





HISTORIÆ ANTIQVÆ ROMANÆ Lib. IIII. De Imperatoribus Romanis à Iulio Cæsare ad diuisum imperium, hoc est, ad Constantinum Irenes, & Carolum Magnum.

D. MAGNI AVSONII BVRDIGALENSIS POETÆ, Augustorum præceptoris, viriq; consularis, carmina monosticha de XII. Cæsaribus, quorum vitæ à Suetonio Tranquillo conscriptæ sunt.

AVSONIVS HESPERIO FILIO S. P. D.

CÆsareos proceres, in quorum regna secundis
Consulibus dudum Romana potentia creuit,
Accipe bissenos, (sua quemque monosticha signant)
Quorum per plenam seriem Suetonius olim
Nomina, res gestas, vitámque obitúmque peregit.

AVSONII MONOSTICHA DE ordine XII. Cæsarum.

Primus regalem patefecit Iulius aulam
Cæsar, & Augusto nomen transcripsit & arcem:
Priuignus post hunc regnat Nero Claudius: à quo
Cæsar, cognomen caligæ cui castra dederunt.
Claudius hinc potitur regno, post quem Nero sæuus,
Vltimus Æneadum. post hunc tres, nec tribus annis:

Galba senex frustra socio confisus inerti,
Mollis Otho, infami per luxum degener auo,
Nec regno dignus nec morte Vitellius, vt vir.
His decimus, fatóque accitus Vespasianus:
Et Titus, imperij felix breuitate: sequutus
Frater quem caluum dixit sua Roma Neronem.

AVSONII MONOSTICHA DE tempore imperij XII. Cæsarum.

Iulius (vt perhibent) diuus trieteride regnat.
Augustus post lustra decem sex prorogat annos:
Et ter septenis geminos Nero Claudius addit.
Tertia finit hyems grassantia tempora Caij.
Claudius hebdomadem duplicẽ trahit: & Nero dirus
Tantundem summa, sed consul defuit vnus.
Galba senex, Otho lasciue, & famose Vitelli
Tertia vos Latio regnantes nescijt astas,
Interitus dignos vita properante probrosa.
Implet fatalem decadem sibi Vespasianus:
Ter dominante Tito cingit noua laurea Ianum,
Quindecies sauis potitur dum frater habenis.

AVSONII MONOSTICHA DE mortibus eorundem.

Iulius interijt Cæsar grassante senatu.
Addidit Augustum diuis matura senectus.
Sera senex Capreis exul Nero fata peregit.
Exegit pœnas de Cæsare Charea mollis.
Claudius ambiguo conclusit fata veneno.
Matricida Nero proprio se perculit ense.
Galba senex perijt sæuo prostratus Othone.
Mox Otho famosus, clara sed morte potitus.
Prodiga succedunt perimendi sceptra Vitelli.
Laudatum imperium, mors lenis Vespasiano.
At Titus orbis amor rapitur florentibus annis:
Sera grauem perimunt, sed iusta, piacula fratrem.

DE

DE IMPERATORIBVS Romanis.

IVLIVS CÆSAR.

Ex Liuij Epitomatore.

LIB. CIX.



Ausæ ciuilium armorum & initia referuntur, contentionesque de successore C. Cæsari mittēdo, cùm se dimissurum exercitum negaret nisi à Pompeio dimitteretur, & C. Curionis tribuni plebis primùm aduersus Cæsarem actiones cōtinet. Cùm S C. factum esset vt successor Cęsari omnino mitteretur: M. Antonio & Q. Cassio tribunis plebis, quoniam intercessionibus id S.C. impediebāt, vrbe pulsis, mandatum à senatu consulibus & Cn. Pōpeio, vt viderent nequid Resp. detrimēti caperet. C. Cæsar bello inimicos persecutus, cum exercitu in Italiam venit: Corfinium cum L. Domitio & L. Lentulo cepit, eosque dimisit: Cn. Pompeium, vniuersosque eius partium Italia omnino expulit.

LIBER CX.

C. Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit, & relictis in obsidione. C. Trebonio & D. Bruto, profectus in Hispaniam L. Afranium, & C. Petreium legatos Cn. Pompeij cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit omnesque incolumes dimisit: Varrone quoque legato Pompeij cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis

ciuitatem dedit. Massilienses duobus naualibus prælijs victi, post longam obsidionem in potestatem Cæsaris se permiserunt. C. Antonius legatus Cæsaris male contra Pompeianos pugnauit & in Illyrico captus est: in quo bello. Opitergini transpadani Cæsaris auxiliares rate sua ab hostilibus nauibus clausa potius quàm in potestatem inimicorum venirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio legatus Cæsaris in Africa, cùm aduersus Pompeianarum partium ducem Varronem pugnasset: à Iuba rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam traiecit.

LIBER CXI.

CAIVS Cæcilius Rufus prætor cùm seditiones in vrbe quàm maximè concitaret, nouarum tabularum spe plebe solicitata: abrogato magistratu pulsus vrbe, Miloni exuli qui fugitiuorum exercitum contraxerat, se coniunxit. vterque cùm bellum molirentur, interempti sunt. Cleopatra Ægypti regina à Ptolemæo fratre regno pulsa est. Propter Q. Catuli prætoris auaritiam crudelitatemque Cordubenses in Hispania cum duabus Varianis legionibus à partibus Cæsaris desciuerunt. Cn. Pompeius ad Brundusium obsessus à Cæsare, & præsidijs eius cum magna clade diuersæ partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est. Cicero in castris remansit, vir nihil minus quàm ad bella natus. omnibusque aduersarum partium, qui se potestati victoris permiserunt, Cæsar ignouit.

LIBER

LIBER CXII.

TRepidatio victarum partium per diuersas orbis terrarum partes & fuga referuntur. Cn. Pompeius cùm Ægyptum petijsset, iussu Ptolemæi regis pupilli, autore Theodoro præceptore, cuius apud regem maxima erat autoritas, & Photino, occisus est ab Achilla, cui delegatum id facinus erat, in nauicula, antequam in terram exiret. Cornelia vxor, & Sex. Pompeius filius in Cyprum refugerunt. Cæsar post tertium diem insecutus, cùm ei Theodorus caput Pompeij & annulum obtulisset, infensus est, & illacrymauit. sine periculo Alexandriam tumultuantem intrauit. Cæsar dictator creatus Cleopatram in regnum Ægypti reduxit; & inferentem bellum ijsdem auctoribus Ptolemæum, quibus Pompeium interfecerat, cum maximo suo discrimine vicit. Ptolemæus dum fugit, in Nilo nauicula subsedit. Præterea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum legionibus iter, & bellum à Cn. Domitio contra Phraatem Parthum prosperè gestum continet.

LIBER CXIII.

COnfirmatis in Africa Pompeianis partibus earum imperium P. Scipioni delatum est, Catone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente. Et cùm de diruenda vrbe Vtica propter fauorem ciuitatis eius in Cæsarem deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuisset: Iuba suadente vt dirueretur, tutela eius & custodia mandata est Catoni. Pompeij Magni filius in Hispania contractis viribus

quarum ducatum nec Afranius nec Petreius excipere volebant, bellum aduersus Cæsarem renouauit. Pharmaces Mithridatis filius rex Ponti sine vlla belli mora victus est. Cùm seditiones Romæ à P. Dolabella trib. pleb. legem ferente de nouis tabulis excitatæ essent, & ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis à M. Antonio magistro equitum in vrbem militibus, octingenti è plebe cæsi sunt. Cæsar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit. & cùm in Africam traiecisset, contra copias Iubæ regis cum discrimine maximo pugnauit.

LIBER CXIIII.

BEllum in Syria Cæcilius Bassus eques Romanus Pompeianarum partium excitauit, & relicto à legione Sexto Cæsare, quæ ad Bassum transierat: occisoque eo Cæsar Scipionem prætorem, Afraniũ, Iubamq; vicit ad Tapsum, castris eorum expugnatis. Cato audita re, cùm se percusisset Vticæ, & interueniente filio curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere expirauit, anno ætatis quadragesimonono. Petreius Iubam seque interemit. P. Scipio in naue circunuentus honestæ morti vocem quoque adiecit. quærentibus enim hostibus imperatorem dixit, Imperator bene se habet. Faustus & Afranius occisi: Catonis filio venia data. Brutus legatus Cæsaris in Gallia Bellouacos rebellantes vicit.

LIBER CXV.

CÆsar quatuor triumphos duxit: ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, & Africa. epulum, & omnis generis spectacula edidit, M. Marcello

conſulari, ſenatu rogante, conceſſit reditum, qui Marcellus beneficio eius frui minimè potuit, à P. Magio Chilone cliente ſuo Athenis occiſus. Et cenſum egit, quo cenſa ſunt ciuium capita centum quinquaginta millia. Profectus in Hiſpaniam contra Sex. Pompeium, vtrinque multis expeditionibus factis, & aliquot vrbibus expugnatis, ſummam victoriam cum maximo diſcrimine ad Mundam vrbem conſecutus eſt. Pompeius Sex. effugit.

LIBER CXVI.

C. Cæſar ex Hiſpania quintum triumphum egit: & cùm multi quàm maximiq; honores ei à Senatu decreti eſſent, inter quos vt pater patriæ appellaretur, & ſacroſanctus ac dictator perpetuò eſſet, inuidiæ cauſam aduerſus eũ præſtitere, quod ſenatui deferenti hos honores, cũ ante ædẽ Veneris genitricis ſederet, minimè aſſurrexerit. & quòd à M. Antonio conſule collega ſuo inter Lupercos currente diadema capiti ſuo impoſitum, in ſella repoſuit: & quòd Epidio Marullo, & Cæſetio Flauo tribunis plebis inuidiam ei tanquam regnum affectanti mouentibus poteſtas abrogata eſt. Ex ijs cauſis conſpiratione in eum facta, cuius capita fuerunt M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Caſſius, & ex Cæſaris partibus D. Brutus, in curia Pompeij occiſus eſt viginti tribus vulneribus occupatumque ab interfectoribus eius Capitolium. Obliuione deinde cædis eius à ſenatu decreta, obſidibus Antonij & Lepidi liberis acceptis, coniurati à Capitolio deſcenderunt. Teſtamẽto Cæſaris ex parte dimidia inſtitutus

C. Octauius ex sorore nepos, & in nomen adoptatus est. Cæsaris corpus cùm in campum Martium ferretur, à plebe ante rostra crematum est. *Epitomator Liuij.*

Bellum Cæsaris & Pompeij.

IAm pænè toto orbe pacato, maius erat imperium Romanum quàm vt vllis externis viribus extingui posset. Itaque inuidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armauit. Ac Mariana quidem Cinnanaque rabies intra vrbem se præcluserat, quasi experiretur; Sullana tempestas, latiùs, intra Italiam tamen, detonuerat: Cæsaris furor atque Pompeij, Vrbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique quà patebat imperium, quodam quasi diluuio & inflammatione corripuit; adeo, vt non rectè tantum ciuile dicatur, ac ne sociale quidem, sed nec externum; sed potius commune quoddam ex omnibus, & plus quàm bellum. Quippe si duces eius inspicias, totus senatus in partibus: si exercitus, hinc XI. legiones, inde XVIII. flos omnis & robur Italici sanguinis: si auxilia sociorum, hinc Gallici Germaniq; delectus; inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tarcondimotus, Cotmus, omne Thraciæ, Cappadociæque, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiusque robur Orientis: si moram belli, quatuor anni; & pro clade rerum breue tempus: si locum & spatium vbi cōmissum est, intra Italiam; inde se in Galliam Hispaniamque deflexit; reuersumque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit: hinc in Ægyptum subito transilijt; inde respexit Asiam, inde Africæ incubuit: postremò

Hiſpaniam remigrauit, & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quieuere, quàm in vrbe ipſa, medio ſenatu, eorum qui victi erãt, odia, victoris ſeſe cæde ſatiarent. Cauſſa tantæ calamitatis eadem quæ omnium, *nimia felicitas*. Siquidem Quincto Metello & Lucio Afranio conſulibus, cùm Romana maieſtas toto orbe polleret, recenteſque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret, nimia Pompeij potentia apud otioſos (vt ſolet) ciues mouit inuidiam. Metellus, ob imminutum Cretæ triumphum; Cato, aduerſus potentes ſemper obliquus, detrectare Pompeium, actiſque eius obſtrepere. Hic dolor trãſuerſum egit, & ad præſidia dignitati paranda impulit. Fortè tunc Craſſus genere, diuitijs dignitate florebat: vellet tamen auctiores opes. Caius Cæſar, eloquentia, & ſpiritu, & iam conſulatu alleuabatur. Pompeius tamen ſuper vtrumque eminebat. Sic igitur Cæſare dignitatem cõparare, Craſſo augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibuſque pariter potentię cupidis, de inuadenda Rep. facilè conuênit. Ergo cùm mutuis viribus in ſuum quiſque decus niteretur, Galliam Cæſar inuadit, Craſſus Aſiam, Pompeius Hiſpaniam, tres maximos exercitus: & iam ſic orbis imperium, ſocietate trium principum occupatur. Decem annos traxit iſta dominatio. Exinde; quoniam mutuo metu tenebantur, Craſſi morte apud Parthos, & morte Iuliæ Cęſaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi ſocerię; cõcordiam matrimonij fœdere tenebat, ſtatim æmulatio erupit. Iam Pompeio ſuſpectæ

Florus lib. 4.

Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana dignitas grauis. nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tamquam duos tanta imperij fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcelloque consulibus, rupta prima coniurationis fide, de successione Cæsaris senatus, idemque Pompeius agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitijs haberetur consulatus, absenti quem decem tribuni plebis, fauente Pompeio nuper decreuerant, tum dissimulante eodem negabatur. veniret, & peteret maiorum more. Ille contrà flagitare decreta, ac, nisi in fide permanerent, non se dimissurum exercitum. Ergo vt in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorum armis defendere. Prima ciuilis belli arena, Italia fuit; cuius arces leuibus præsidijs Pompeius insederat: sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. Prima Arimino signa cecinerūt. Tum pulsus Etruria Libo, Vmbria Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundusij opprimere, vt cœperat, potuisset. Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga euasit. Turpe dictu: modò princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum à se mare lacerata & pænè inermi naue fugiebat. Nec Pompeius ab Italia, quàm senatus ab vrbe fugatur prior: quam pænè vacuam metu, Cæsar ingressus, cōsulem se ipse facit. Ærarium quoque sanctum, quia tardiùs aperiebant Tribuni, iussit effringi; censumque & patrimonium populi Romani antè rapuit quàm imperium. pulso fugatoque Pompeio, maluit priùs ordinare

prouincias,

prouincias, quàm ipsum sequi. Siciliam & Sardiniam, annonæ pignora, per legatos habuit: Nihil hostile erat in Gallia: pacem ipse fecerat. sed ad Hispanienses Pōpeij exercitus transeūti per eam duci, portas claudere ausa Massilia est. misera dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tutis muris erat, vinci eam sibi iussit absenti, Græcula ciuitas, non pro mollitia nominis, & vallum cædere, & incendere machinas ausa, & congredi nauibus: sed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terra marique perdomuit: mox dedētibus sese ablata omnia præter (quam potiorem omnibus habebant) libertatem. Anceps variumque, & cruentum in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompeij, Petreio & Afranio; quos Ilerdæ castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & oppido intercludere aggreditur. Interim obundatione verni fluminis, commeatibus prohibet. Sic fame castra tentata sunt, obsessorque ipse quasi obsidebatur: sed vbi pax fluminis rediit; populationibus & pugna campos aperuit; iterum ferox instat; & cedētes ad Celtiberiam consecutus, aggere & vallo, & per hæc siti ad deditionem cōpulit. Sic citerior Hispania recepta est, nec vlterior moram fecit. Quid enim vna post quinque legiones? Itaque vltrò cedente Varrone Gades, Fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamē aduersus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam; quasi de industria prospera eius aduersis radiarentur. Quippe cùm fauces Adriatici maris iussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic

Florus lib. 4.

Corcyręo litore castra posuissent, iam maria latè tenente Pompeio, repĕtè castra legatus eius Octauius & Libo ingĕtibus copijs classicorum vtrinque circumuenit. deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque à Basilo in auxilium eius rates, quales inopia nauium fecerat, noua Pompeianorum arte, Cilicum actis sub mari funibus, captæ quasi per indaginem. duas tamen æstus explicuit: vna, quę Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. quippe vix mille iuuenum manus, circumfusi vndique exercitus per totum diem tela sustinuit: & cùm exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio, mutuis ictibús in se concurrit. In Africa quoque par & virtus & calamitas Curionis fuit; qui ad recipiendam prouinciam missus, pulso fugatoque Varo iam superbus, subitum Iubæ regis aduentum, equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga: sed pudor suasit vt amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur. Sed iam debitum par fortuna flagitante, sedem bello Pompeius Epiron elegerat: nec Cæsar moratus. quippe, ordinatis à tergo omnibus, quamuis hyems media prohiberet tempestate, ad bellum nauigauit: positisque ad Oricum castris, cùm pars exercitus ob inopiam nauium cum Antonio dimissa, Brundusij moram faceret; adeo impatiens erat, vt ad arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio nauigio solus ire tentauerit. Exstat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox ipsius; *Quid times? Cæsarem vehis.*

Contractis

Contractis in vnum vndique omnibus copijs, positisque cominus castris, diuersa erant ducum consilia. Cæsar, pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, ostentare aciem, prouocare, lacessere, nunc obsidione castrorum, quæ erãt sedecim millium vallo obducta, (sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus copijs abundarent?) nunc expugnatione Dyrrhachij irrita; (quippe quam vel situs inexpugnabilem faceret) adhoc, assiduis in eruptionem hostium prælijs; (quo tempore egregia virtus Scęuæ centurionis emicuit, cuius in scuto centum atque viginti tela sedere) iam verò direptione vrbium sociarum, cùm Oricum & Gomphos, & alia castella Thessaliæ vastaret: Pompeius aduersus hæc nectere moras, tergiuersari simul, vt hostem interclusum vndique inopia commeatuum tereret, vtque ardentissimi ducis consenesceret impetus. Nec diutius profuit duci salutare consilium. Milites otium, socij moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic *præcipitantibus fatis*, prælio sumta est Thessalia: & Philippicis campis, vrbis, imperij, generis humani fata commissa sunt. Numquam vllo loco tantum virium populus Romanus, tãtum dignitatis fortuna vidit. trecenta amplius millia hinc & illinc, præter auxilia regum & senatus. Numquam imminentis *ruinæ manifestiora prodigia*, fuga victimarum, examina, insignes interdiu tenebræ. Dux ipse & nocturna imagine theatri sui audiens plausum in modum planctus circumsonare, & manè cum pullo amiculo (nefas) apud principia conspectus est. Numquã acrior neq; alacrior exercitus

Florus lib. 4.

Cæsaris fuit. Inde classica priùs, inde tela. Annotatum quoque committentis aciem Crastini pilum; qui mox adacto in os gladio, sic inter cadauera repertus, libidinem ac rabiem qua pugnauerat, ipsa nouitate vulneris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe cùm Pompeius adeo equitum copia abundaret, vt facilè circunuenturus sibi Cæsarem videretur, circumuētus ipse est. Nam cùm diu æquo marte contenderent, iussuque Pompeij fusus à cornu erupisset equitatus, repentè hinc signo dato, Germanorum cohortes tātum in effusos equites fecere impetum, vt illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus, leuis armaturæ ruina comitata est. Tunc terrore latiùs dato, turbantibus inuicem copijs, reliqua strages quasi vna manu facta est. Nec vlla res magis exitio fuit, quàm ipsa exercitus magnitudo. Multus in eo prælio Cæsar fuit, mediusque inter imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis exceptæ; altera, cruenta, sed docta, & ad victoriam efficax, *Miles faciem feri*: altera, ad iactationem composita, *Parce ciuibus*: cùm ipse sequeretur. Felicem vtcumque in malis Pompeium, si eadem ipsum, quæ exercitum eius, fortuna traxisset. Superstes dignitati suæ vixit, vt cum maiore dedecore per Thessalica Tempe equo fugeret, pulsus Larissa: in deserto Ciliciæ scopulo, fugam in Parthos, Africam, vel Ægyptum agitaret: vt denique in Pelusiaco litore, imperio vilissimi regis, consiliis spadonum, &, ne quid malis desit, Septimij desertoris sui gladio trucidatus, sub oculis

vxoris

vxoris suæ liberorumque moreretur. Quis non peractum esse cum Pompeio crederet bellum? Atqui acriùs multò atq; vehementiùs Thessalici incendij cineres recaluere. Et in Ægypto quidem aduersus Cæsarem sine partibus bellū. Quippe cùm *Ptolemæus* rex Alexandriæ, summū ciuilis belli scelus peregisset, fœdusq; amicitię cum Cæsare medio Pompeij capite sanxisset, vltionem tanti viri mánibus quærente fortuna, causa non defuit. *Cleopatra* regis soror, affusa Cæsaris genibus, partem regni reposcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quòd talis passa videbatur iniuriam: odium ipsius regis, qui Pompeij cædem partium fato, non Cęsari dederat: haud dubiè idem in ipsum ausurus, si expedisset. Quam vbi Cæsar restitui iussit in regnum, statim ab eisdem percussorib. Pompeij obsessus in regia, quamuis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute sustinuit. Ac primùm ædificiorum proximorum atq; naualium incendio, infestorum hostium tela submouit: mox in peninsulam Pharon subitus euasit: inde depulsus in maria, mira felicitate ad proximam classem enatauit; relicto quidem in fluctibus paludamento, seu fato, seu consilio, vt illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur. Tandem receptus à classicis suis, vndiq; simul hostes adortus, de imbelli ac perfida gēte, iusta generi manibus dedit. Quippe & Theodotus magister, auctor totius belli, & ne virilia quidem portenta, Pothinus atque Ganymedes, diuersi per mare & transfugio & morte cōsumpti. Regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in aureæ loricæ honore. In

Florus lib. 4. b

Asiâ quoq; nouus rerum motus à Ponto; planè quasi de industria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitum, vt à Pompeio pater, à Cæsare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis discordiæ nostræ fiducia, quàm virtutis suæ, infesto in Cappadociam agmine ruebat. Sed hũc Cæsar aggressus, vno, & (vt sic dixerim) non toto prælio obtriuit, more fulminis, quod vno eodemque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris, antè victum hostem esse, quàm visum. Sic cum exteris. At in Africa cum ciuibus multò atrociùs quàm in Pharsalia. Huc reliquias partium naufragarũ quidam furoris æstus expulerat; nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsæ magis quàm oppressæ vires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio. Quippe satis amplè sonabant in Pompeiani nominis locum Cato & Scipio. Accessit copiis Mauritanus rex *Iuba*; videlicet vt latiùs vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam & Thapson; nisi quòd amplior, eoque acrior Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium creuisse bellum. Deniq; quod aliàs numquam, ante imperium ducis sua sponte signa cecinerunt. Strages à Iuba cœpit: eius elephanti, bellorum rudes, & nuper à sylua, consternati subito clangore: statim & exercitus in fugam, & duces fortiùs quàm vt effugerent non inconspicua tamen morte omnium. Iam *Scipio* naue fugiebat: sed assequutis eum hostib⁹, gladium per viscera exegit; & vbi esset quodam requirente, respondit hoc ipsum, *Bene se habet Imperator.* Iuba cum se recepisset in regiam,

regiam, magnificè epulatus, postero die cum *Petreio* fugæ comite, super mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. Ille & regi suffecit, & sibi; cùm interim semesi in medio cibi, & parentalia fercula, regio simul Romanoq; sanguine madebant. *Cato* non interfuit bello; positisq; ad Bagradam castris, *Vticam* velut altera Africæ claustra seruabat Sed accepta partium clade, nihil cunctatus, (vt sapiēte dignum erat) mortem etiam lætus acciuit Nam postquam filium comitesq; amplexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro qui immortalitatem animæ docet, paululum quieuit: tum circa primā vigiliam stricto gladio reuelatum manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc virum medici violare fomentis. Ille passus dum abscederent, rescidit plagas: sequutaque vis sanguinis, moribundas manus in ipso vulnere reliquit. Quasi non esset vsquam dimicatum, sic arma rursus, & partes: quantoq; Africa supra Thessaliam fuit, tanto Africam superabat Hispania; plurimumq; fauoris partibus addebat fraternitas ducum, & pro vno duos stare Pompeios. Itaq; nusquam atrocius, nec tam ancipiti marte concursum est. Primùm in ipso ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixere. Sed acrius fuit cum ipso mari, quàm inter se nauibus, bellum. siquidem, velut furorem ciuium castigaret Oceanus, vtramq; classem naufragio cæcidit. Quinam ille horror, cùm eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naues armamenta confligerent? adde situs ipsius formidinem; vergētia in vnum hinc Hispaniæ, inde Mauritaniæ littora? mare &

Florus lib. 4.

inteſtinum,& externum,imminentesque Herculis ſpeculas; cùm omnia vndiq; ſimul prælio & tempeſtate ſæuirent. Mox circa obſidiones vrbium vtrimq; diſcurſum eſt; quæ miſerę inter hos atque illos duces ſocietatis Romanæ pœnas dabant. Omnium poſtrema certaminũ *Munda*. Hic non pro cætera felicitate, ſed anceps & diu triſte prælium: vt plane videretur neſcio quid deliberare fortuna. Sanè & ipſe ante aciem mœſtior, non ex more, Cæſar: ſiue reſpectu fragilitatis humanæ, ſiue nimiam proſperorum ſuſpectam habens continuationem; vel eadem timẽs, poſtquam idem eſſe cœperat quod Pompeius. Sed in ipſo pręlio, quod nemo vmquam meminerat, cùm diu pari marte acies nihil aliud quàm occiderent, in medio ardore pugnantium ſubitò ingens inter vtroſq; ſilentium; quaſi conueniſſent. hic omnium ſenſus erat. Nouiſſimè illud inuſitatum Cæſaris oculis, nefas. poſt *X* IIII. annos, probata veteranorum manus gradum retro dedit: quod, etſi nondum fugerat, apparebat tamẽ pudore magis quam virtute reſiſtere. Itaq; ablegato equo, ſimilis furenti, primam in aciem procurrit. Ibi prenſare fugientes, confirmare; per totum deniq; agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione & de extremis agitaſſe ſecum, & ita manifeſto vultu fuiſſe, quaſi occupare manu mortem vellet, niſi cohortes hoſtium quinq; per tranſuerſam aciem actæ quas Labienus periclitantibus caſtris pręſidio miſerat, fugæ ſpeciem præbuiſſent. hoc aut & ipſe credidit, aut dux callidus arripuit in occaſionem; & quaſi in fugientem inuectus, ſimul

simul & suorum erexit animos, & hostes perculit. Nam hi, dum se putant vincere, fortiùs sequi; inde Pompeiani, dum fugere credũt suos, fugere cœperũt. Quanta fuerit hostium cædes, ira rabiesq; victoribus, sic æstimari potest: hoc à prælio profugi, cùm se Mundæ recepissent, & Cæsar obsideri statim victos imperasset, ex congestis vndique cadaueribus agger effectus est, quæ pilis iaculisq; confixa inter se tenebantur; fœdum etiam inter barbaros. Sed videlicet victoriam desperãtibus Pompeij liberis, Cn. prælio profugum, crure saucio deserta & auia petentem, Cesennius apud Lauronem oppidum consecutus, pugnantem (adeo nondum desperauerat) interfecit: Sextum fortuna in Celtiberia interim abscondit, aliisq; post Cęsarem bellis reseruauit Cæsar in patriam victor inuehitur. Primum de Gallia *triumphum* transmiserat Rhenus, Rhodanus, & ex auro captiuus Oceanus: alterum, Laurus Ægyptia: tunc in ferculis Nilus, Arsinoe, & ad simulacrum ignium ardens Pharus tertius de Pharnace currus, & Ponto: quartus Iubam & Mauros. & bis subactam ostendebat Hispaniam. Pharsalia, & Thapsus, & Munda, nusquam: & quantò maiora erant de quibus non triumphabat! Hic aliquãdo finis armis fuit; reliqua pax incruenta, pensatumq; clementia bellum. Nemo cæsus imperio, præter Afranium; satis ignouerat semel: & Faustum Sullam; didicerat generum timere: filiamque Pompeij cum patruelibus ex Sulla; hic posteris cauebatur. Itaq; non ingratis ciuibus omnes vnum in principem congesti honores; circa tẽpla imagines; in theatro distincta

radiis corona; ſuggeſtus in curia; faſtigium in domo; menſis in cœlo; adhæc *Pater* ipſe *patriæ, perpetuusq́, Dictator:* nouiſſimè, dubium an ipſo volente, oblata pro roſtris ab Antonio cōſule regni inſignia. Quæ omnia velut infulæ in deſtinatam morti victimam congerebantur. Quippe *clemētiam principis vicit inuidia*, grauisq; erat liberis ipſa beneficiorum potentia; nec diutius dilatio donata eſt: ſed Brutus & Caſſius, aliiq; patricij, conſenſerunt in cædem Principis. *Quanta vis fati!* manauerat latè coniuratio; libellus etiam Cæſari datus eodem die; nec perlitare centum victimis potuerat: venit in curiam tamē, expeditionem Parthicam meditans. ibi in curuli ſedentem eum ſenatus inuaſit; tribusq; & viginti vulneribus ad terram datus eſt. Sic ille qui terrarum orbem ciuili ſanguine impleuerat, tandem ipſe ſanguine ſuo curiam impleuit. *Ex L. Flori lib. 4. Hiſtor c. 2.*

HInc iam *bellum ciuile* ſucceſſit exſecrandum & lacrymabile; quo, præter calamitates quæ prœliis acciderunt, etiam Romani nominis fortuna mutata eſt. Cæſar enim, rediens è Gallia victor, cœpit depoſcere alterum conſulatū: atq;, cùm ſine dubietate aliqua deferretur, contradictum eſt à Marcello conſule, à Bibulo, à Pompeio, à Catone; iuſſusq; dimiſſis exercitibus ad vrbem redire. propter quam iniuriam, ab Arimino, vbi milites congregatos habebat, aduerſum patriam cum exercitu venit. COSS. cum Pompeio, Senatusq; omnis, atq; vniuerſa nobilitas ex vrbe fugit, & in Græciam tranſiuit: apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, contra Cæſarem bellum parauit.

Cæſar,

Cæſar, vacuam vrbem ingreſſus, Dictatorem ſe fecit. inde Hiſpanias petiit. Ibi Pompeij exercitus validiſſimos & fortiſſimos, cùm tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone ſuperauit. Inde reuerſus, in Græciam tranſiit; aduerſum Pompeium dimicauit. primo prælio victus eſt, & fugatus: euaſit tamen: quia nocte interueniente, Pompeius ſequi noluit. dixitq; Cæſar, nec Pompeium ſcire vincere; & illo tantùm die ſe potuiſſe ſuperari. Deinde in Theſſalia apud Palæopharſalum productis vtrimque ingentibus copiis dimicauerunt. Pompeij acies habuit XL. millia peditum; equitum in ſiniſtro cornu VII. millia in dextro D. prǽterea totius Orientis auxilia, totamq; nobilitatem, innumeros Senatores, prætorios, conſulares, & qui magnorum iam populorum victores fuiſſent. Cæſar in acie ſua habuit peditum non integra XXX. millia, equites mille.

Numquàm adhuc Romanę copiæ in vnum, neq; maiores, neq; melioribus ducibus conuenerant, totum terrarum orbem facilè ſubacturæ, ſi contra Barbaros ducerentur. pugnatum tamen eſt ingenti contentione: victusq; ad poſtremum Pompeius, & caſtra eius direpta ſunt: ipſe fugatus, Alexandriam petiit, vt à rege Ægypti, cui tutor à Senatu datus fuerat, propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quàm amicitiam ſequutus, occidit Pompeium: caput eius & annulum Cæſari miſit: quo conſpecto, Cæſar etiam lacrymas fudiſſe dicitur, tanti viri intuens caput, & generi quondam ſui.

Mox Cæſar Alexandriam venit. ipſi quoque

Ptolemæus parare voluit insidias. qua causa regi bellum illatum est. victus in Nilo periit; inuentumque est corpus eius cum lorica aurea. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, Ptolemæi sorori; cum qua consuetudinē stupri habuerat. Rediens inde Cæsar, Pharnacē Mithridatis magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, & multas Pop. Rom. prouincias occupantem, vicit acie: postea ad mortem coëgit. Inde Romam regressus, tertiò se consulem fecit cum M. Æmilio Lepido, qui ei magister equitum dictatori ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est; vbi infinita nobilitas cum Iuba Mauritaniç rege bellum reparauerat. duces autem Romani erant, P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: (hic etiam socer magni Pompeij fuerat) M. Petreius, Q. Varus, M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus, Syllæ dictatoris filius. Contra hos commisso prælio, post multas dimicationes victor fuit. Cato, Scipio, Petreius, Iuba, ipsi se occiderunt: Faustus Syllæ quondam dictatoris filius, Pompeij gener à Cæsare interfectus est.

Post annum Cæsar Romam regressus, quartò se consulem fecit; & statim ad Hispanias est profectus; vbi Pompeij filij Cnæus & Sextus, ingens bellum repararerant. Multa prælia fuerunt; vltimum prælium apud Munda [illegible] tem: in quo adeo Cæsar penè victus est, vt fugientibus suis, se voluerit occidere; ne post tantam rei militaris gloriam, in potestatē adolescentium, natus annos sex & quinquaginta, veniret. deniq; reparatis suis, vicit; & Pompeij filius

filius maior occisus est, minor fugit. Inde Cæsar bellis ciuilibus toto orbe compositis, Romam rediit; agere insolentius cœpit, & contra consuetudinē Romanę libertatis. Cùm ergo & honores ex sua voluntate prę̨staret, qui à populo antea deferebãtur, nec Senatui ad se venienti assurgeret, aliaq; regia ac penè tyrannica faceret, coniuratum est in eum à LX. vel amplius Senatoribus equitibusq́ue Romanis. Præcipui fuerunt inter coniuratos, duo Bruti, ex eo genere Bruti qui primus Romæ consul est factus, & reges expulerat; C. Cassius, & Seruilius Casca. Ergo Cæsar, cùm Senatus die quadam inter cæteros venisset ad curiam, tribus & viginti vulneribus confossus est. *Ex Eutropij Breuiario lib. 6. ad Valentem.*

AVSONII CARMINA TETRAsticha, de Cæsaribus seu Imperatoribus, à Iulio Cæsare vsq; ad tempora sua.

(Sed amissa sunt quæ de posterioribus Imperatoribus scripserat tetrasticha.)

Nunc & prædictos, & regni sorte sequentes
Expediam, series quos tenet imperij.
Incipiam ab diuo, percurramq́, ordine cunctos,
Noui Romanæ quos memor historia.

IVLIVS CAESAR.

Imperium binis fuerat solenne quod olim
Consulibus, Cæsar Iulius obtinuit.
Sed breue ius regni, sola trieteride gestum,
Perculit armata factio sæua toga. Ausonius.

CAius Iulius Cæsar, veneratione rerum gestarum *Diuus* dictus. Contubernalis Thermo in Asiam profectus; cùm sæpe ad Nicomedem regem Bithyniæ commearet, impudicitiæ infamatus est. Mox Dolabellam iudicio oppressit. Dum studiorum causa Rhodum petit, à piratis captus & redemptus, eosdem & postea captos puniuit. Prætor Lusitaniam, & pòst Galliam, ab Alpibus vsque; & Oceanum bis classe transgressus, Britãniam subegit. Cùm ei triumphus à Pompeio negaretur, armis eum vrbe pulsum in Pharsalia vicit. Capite eius oblato fleuit, & honorificè sepeliri fecit: mox à satellitibus Ptolemæi obsessus, eorum & regis nece Pompeio parentauit. Pharnacem Mithradatis filium fama nominis fugauit. Iubam & Scipionem in Africa; Pompeios iuuenes in Hispania apud Mundam oppidum ingenti prælio vicit. Deinde ignoscendo amicis, odia cum armis deposuit. nam Lentulũ tantùm, & Afranium, & Faustum Sullæ filium, iussit occidi. Dictator in perpetuum factus à Senatu; in curia, Cassio & Bruto cædis auctoribus, tribus & viginti vulneribus occisus est. cuius corpore pro rostris posito, Sol orbem suum celasse dicitur.

Ex additamento virorum illustrium ex Libris antiq. manu descriptis.

De Cn. Pompeio Magno.

CN. Pompeius Magnus, ciuili bello Sullæ partes sequutus, ita egit. vt ab eo maximè diligeretur. Siciliam sine bello à proscriptis recepit. Numidiam Hiarbæ ereptam Massanissæ restituit. Viginti sex annos natus, triumphauit. Lepidum, acta Sullæ rescindere volentem, priuatus

natus Italia fugauit. Prætor in Hispaniam pro consulibus missus, Sertorium vicit. Mox piratas intra quadragesimum diem subegit. Tigranem ad deditionē, Mithradatem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate & celeritate nunc in Septemtrione Albanos, Colchos, Heniochos, Caspios, Iberos: nunc in Oriente Parthos, Arabas, atq; Iudæos, cum magno sui terrore penetrauit. Primus in Hyrcanum, Caspiū, Rubrum, & Arabicum mare vsque peruenit. Mox cùm diuiso orbis imperio, Crassus Syriā, Cæsar Galliam, Pompeius vrbem obtineret: post cædem Crassi, Cæsarem dimittere exercitum iussit. cuius infesto aduentu vrbe pulsus, in Pharsalia victus, ad Ptolemæum Alexandriæ regem confugit. Eius imperio ab Achilla & Pothino satellitibus occisus est. Huius latus sub oculis vxoris & liberorum à Septimio Ptolemæi præfecto mucrone confossum est. iamque defuncti caput gladio præcisum, quod vsq; ad ea tempora fuerat adoratum. Truncus Nilo iactus, à Seruio Codro rogo inustus humatusq; est, inscribente sepulcro, HIC SITVS EST MAGNVS POMPEIVS. Caput ab Achilla Ptolemæi satellite, Ægyptio velamine inuolutum, cum anulo Cæsari præsentatum est: qui non continens lacrymas, illud plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curauit. *Ex Sex. Aurel. Victore de viris illustr.*

De Catone Pretorio.

CAto Prætorius, Catonis Censorij pronepos, cùm in domo auunculi Drusi educaretur, nec pretio nec minis potuit adduci à Q.

S. Aurel. Victor.

Popedio Silone, Marsorum Principe, vt fauere se causæ Sociorum diceret. Quæstor in Cyprum missus ad vehendam ex Ptolemæi hæreditate pecuniam, cum summa eam fide perduxit: præterea coniuratos puniendos censuit. Bello ciuili, Pompeij parteis sequutus est: quo victo, exercitum per deserta Africæ duxit; vbi Scipioni consulari delatum ad se imperium concessit. Victis partibus, Vticam concessit: vbi filium hortatus vt clementiam Cæsaris experiretur, ipse lecto Platonis libro, qui *De bonis mortis* est, semet occidit. *Ex additamento virorum illustrium S. Aurelij Victoris.*

L. Lentulus & C. Marcellus. *His COSS. perniciosa in Curia constantur de Pompeio Cæsareq; discordia: sed Caius Iulius Cæsar de Galliis veniens, Pompeium fugauit Italia, aurum atq; argentũ Romæ de ærario sustulit, ac primus Romanorum singulare obtinuit imperium, à quo CÆSARES Romani principes appellati. Imperauit autem an. IIII. mensibus VI. sub quo hi Consules fuerunt.*

C. Iulius Cæsar II. & P. Seruilius.

Q. Funius & Publius Vaticanus. *His COSS. Cæsar Pompeium Pharsalico prælio superauit; Pompeius fugiens in Ægyptum, occisus est.*

C. Iulius Cæsar III. & M. Lepidus.

C. Iulius Cæsar IIII. & Fabius Maximus. *His COSS. C. Iulius Cæsar per quatriduum triumphauit.*

C. Iulius Cæsar V. & M. Antonius. *His COSS. M. Antonius Lupercalibus sella aurea sedenti Cæsari diadema renuenti imposuit; atq; Idib. Martiis Cæsar in Pompeia curia occisus est.* Cassiodorus in Chronico.

CAius Iulius Cæsar, monarcha primus, scripsit Metaphrasin Phænomemon Arati, & Artem Grammaticam, Latinè, & de vita sua. *Suidas.*

PRimus hic perpetuam dictaturam inuasit. Debellata enim intra decenniũ Gallia, tẽtata tunc primùm Britannia, & Germanis in syluas ac paludes suas compulsis in Italiã descendit, eaq; solita celeritate recepta, Hispaniisque pacatis, Pompeium Magnum Pharsalico prælio fudit. Cumq; de omnibus hostibus triumphasset, tandem amicissimorum coniuratione oppressus periit ætatis anno 6. & 50. dictaturæ verò initæ anno 3. Vir pacis belliq; artibus, & in primis clementia longè clarissimus, si libertatis assertor, quã inuasor esse maluisset. *Egnatius.*

C. OCTAVIVS.

Ex Liuij Epitomatore.



Ictaturæ honos in perpetuũ sublatus est. Chamaces humillimæ sortis homo, qui se C. Marij filiũ ferebat, cùm apud credulam plebem seditiones moueret, interfectus est.

LIBER CXVII.

C. Octauius Romã ex Epiro venit. eò enim illum Cęsar pręmiserat, bellum in Macedonia gesturus omnibusq; prosperis exceptus, etiam nomen Cæsaris sumpsit. in confusione rerum ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit. Sed M. Antonius C O S. cùm

impotenter dominaretur, legemq; de prouinciarum permutatione tulisset per vim, & Cæsarem quoq; petētem vt sibi aduersum auunculi percussores adesset, magnis iniuriis affecit. Cæsar, vt sibi & Reipublicæ vires contra eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitauit. Legiones quoque quarta & Martia signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt. deinde plures sęuitia M. Antonij passim in castris suis trucidati, quia & suspecti erant, & ad Cæsarem desciuerunt. D. Brutus, vt petēti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupauit. Præterea discursus vtriusq; partis virorum ad accipiendas prouincias, apparatúsque belli continet.

LIBER CXVIII.

M. Brutus in Græcia sub prætextu Reipub. & suscepti contra M. Antonium belli, exercitū cui Vatinius præerat, cum prouincia in potestatem suam rędegit. C. Cæsari, qui primus Reipub. arma sumserat pro pop. Rom. imperiū à Senatu dātum est cum cōsularibus ornamentis: adiectumq; vt senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit: missiq; ad eum legati à senatu, de pace, parum ad eam componendam valuerunt. Populus Romanus Saga sumsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium prætorem cum exercitu potestati suæ subegit.

LIBER CXIX.

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellæ occisus est. ob id facinus Dolabella à senatu hostis iudicatus est. Cùm Pansa Cos. malè aduersus Antoniū pugnasset: A. Hircius COS. cum exercitu superueniēs fusis M. Antonij copiis,

piis, fortunam vtriusque partis æquauit victus. Deinde ab Hircio & Cæsare Antonius, in Galliam confugit: & M. Lepidum cum legionibus quæ sub ipso erant, sibi iunxit: hostisq; à senatu cum omnibus qui intra præsidia eius erant, iudicatus est. A. Hircius qui post victoriam suam in inimicorum castris ceciderat: & L. Pansa è vulnere quod in aduerso prælio exceperat, defunctus in Campo Martio sepulti sunt. Aduersus C. Cæsarē qui solus è tribus ducibus supererat, parum gratus senat' fuit, qui D. Bruto obsidione Mutinensi à Cæsare liberato, honore triumphi decreto, Cæsaris, militumq; eius mentionē non satis gratam habuit. ob quę C. Cęsar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia Romam cum exercitu venit: & perculsis aduentu eius iis qui in eum iniqui erant, cùm annos XVIII. haberet, COS. creatus est.

LIBER CXX.

C. Cæsar COS. legem tulit de quæstione habenda in eos quorum opera pater occisus esset. postulatiq; ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, absentes damnati sunt. Cùm M. Antonio vires Asinius quoq; Pollio, & Munatius Plancus cum exercitibus suis adiūcti ampliassent, & D. Brutus, cui senatus vt persequeretur Antonium, mandauit, relictus à legionibus suis profugisset: iussu Antonij, in cuius potestatem venerat, à Capeno Sequano interemptus est. C. Cæsar pacem cum Antonio & Lepido fecit, ita vt tres viri Reip. constituendæ quidem per quinquenniū præessent, ipse, Lepidus, & Antonius, statuerunt, vt suos quisq; inimicos proscriberent, in qua proscriptione plurimi equites, CXXX. senatorum nomina fuerant,

& inter eos L. Pauli fratris M Lepidi & L. Cæsaris, Antonij auunculi: M. Ciceronis, cuius occisi à Popilio legionario milite, cùm haberet annos LXIII. caput quoq; cum manu dextra in rostris positum est. Præterea res à M. Bruto in Græcia gestas continet.

LIBER CXXI.

CAssius cui mandatum à senatu erat, vt Dolabellam inimicum iudicatum bello persequeretur: autoritate Reipub. adiutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem prouincia erant, in potestatem suam redegit. Dolabellam in vrbe Laodicea mori coëgit. M. quoque Bruti iussu C. Antonius captus occisus est.

LIBER CXXII.

M. Brutus aduersus Thracas parum prosperè rem gessit, omnibusq; transmarinis prouinciis exercitibusq; eius in potestatẽ, & C. Cassij redactis coierunt Smyrnæ vterque ad ordinanda futuri belli consilia. M. Messalæ Publicolam fratrem iunctum communi consilio condemnauerunt.

LIBER CXXIII.

SEx. Pompeius, Magni filius lectis ex Epiro proscriptis ac fugitiuis cum exercitu diu sine vlla loci cuiusquam possessione prædatus in mari, Messanam oppidum in Sicilia primùm, deinde totam prouinciam occupauit: occisoq; à Pompeio A. Bithynico prætore, Saludienum legatum Cæsaris nauali prælio vicit. Cæsar & Antonius cum exercitibus in Græciam traiecerunt bellum contra Brutum & Cassium gesturi. Q. Cornificius in Africa T. Sestium Cassianarum partium ducem prælio vicit.

LIBER

LIBER CXXIIII.

C. Cæsar & Antonius apud Philippos vario euentu cõtra Brutum & Cassium pugnauerunt, ita vt vtriusq; dextera cornua vicerint, & castra quoque vtrinq; ab iis qui vicerant expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partiũ mors quidem Cassij fecit: qui cùm in eo cornu fuisset, quod pulsum erat: totum exercitum fusum ratus, mortem sibi consciuit.

Altero deinde prælio victus M. Brutus, & ipse vitam finiuit, exorato Stratone fugæ comite, vt sibi gladiũ adiiceret. annorũ erat circiter ætatis XL. Inter quos Q. Hortẽsius occisus est.

LIBER CXXV.

C. Cæsar relicto Antonio (transmarinę prouinciæ ex parte imperium ei cessit) reuersus in Italiam, veteranis agros diuisit. seditiones exercitus sui, quas corrupti à Fuluia M. Antonij vxore milites contra imperatorem suum concitauerant, cum grandi periculo inhibuit. L. Antonius COS. M. Antonij frater eadẽ Fuluia consulente, bellum Cæsari intulit: receptis in partes suas populis, quòd agri veteranis assignati erãt; & M. Lepido q custodię vrbis cum exercitu prçerat, occiso, hostiliter in vrbẽ irrupit.

LIBER CXXVI.

C. Cæsar cùm esset annorum XXIII. obsessum in oppido Perusia L. Antonium, conatumq; aliquoties erumpere, & repulsum, fame coëgit in deditionem venire: ipsiq;, & omnibus quidem militibus eius ignouit. Perusiam diruit, redactis in potestatem suam omnibus diuersæ partis exercitibus. bellum citra vllum sanguinem confecit.

LIBER CXXVII.

PArthi, Labieno, qui Pompeianarum partiũ fuerat, duce in Syriam irruperunt: victoque Didio Saxa M. Antonij legato, vniuersam eam prouinciam occupauerunt. M. Antonius, cùm ad bellum contra Cæsarem gerendum incitaretur, vxore Fuluia dimissa, ne concordia ducum obstaret: pace facta cum Cæsare, sororem eius Octauiam in matrimonium duxit. Q. Saluidienum consilia nefaria contra Cæsarem molitũ, indicio suo detexit: isque damnatus mortem sibi cõsciuit. P. Ventidius Antonij legatus Parthos prælio victos Syria expulit, Labieno eorũ duce occiso. Cùm vicinus Italiæ hostis Sex. Pompeius Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret: cum eo postulatã pacem Cæsar & Antonius quidem fecerunt: ita vt Siciliam prouinciam haberet.

Prçterea motus Africæ, & bella gesta cõtinet.

LIBER CXXVIII.

CVm Sex. Pompeius rursum latrociniis mare infestum redderet: nec pacem quam acceperat, præstaret: Cæsar necessario bello contra eum suscepto, duobus naualibus prçliis dubio euentu pugnauit. L. Ventidius legatus M. Antonij Parthos in Syria vicit: Regemque eorum interemit. Iudæorum quoq; legati ab Antonio interempti sunt. Præterea belli Siculi apparatum continet.

LIBER CXXIX.

ADuersus Sex. Pompeium vario euentu naualibus certaminibus pugnatum est: ita vt duarum classium, Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret: altera, quam Cæsar duxerat, deleta,

deleta, expositi in terram, in quàm maximo periculo essent. victus deinde Pompeius in Siciliã profugit. M. Lepidus ex Africa velut ad societatem belli contra Sext. Pompeium à Cæsare gerendi traiecerat: ei bellum cùm Cæsar quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumuiratus honore vitam impetrauit. M. Agrippa nauali corona à Cæsare donatus est, qui honos nemini ante eum habitus est.

LIBER CXXX.

M. Antonius, dum cum Cleopatra luxuriatur, Mediam prouinciam ingressus, bellum cum legionibus XVIII. & XVI millibus equitum Parthis intulit, & cùm duabus legionibus amissis, nulla re prosperè cedente retrò rediret: insecutis subinde Parthis, & ingenti trepidatione, & magno totius exercitu periculo, in Armeniam reuersus est, XXI. die trecenta M. fuga emensus. circa octo M. hominum tempestatibus amisit. tempestates quoq; infestas super infeliciter susceptũ Parthicum bellũ, culpa sua passus est, quia hyemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

LIBER CXXXI.

Sex. Pompeius cùm in fidem M. Antonij veniret, bellũ aduersus eum in Asia moliens, à legatis eius oppressus est Cæsar seditionem veteranorum cum magna pernicie motam inhibuit: Iapidas, Dalmatas, & Pannonios subegit. Antonius Artauasdam Armeniæ regem fide data perductum in vincula coniici iussit, regnumq; Armeniæ filio suo ex Cleopatra nato dedit: quam vxoris loco iampridem captus amore eius habere cœperat.

LIBER CXXXII.

C. Cęsar in Illyrico Dalmatas domuit. Cùm M. Antonius ob amorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelphum, & Alexandrum, neq; in vrbem venire vellet, neq; finito suo tempore triumuiratus imperium deponere, bellumque moliretur, quod vrbi Italięq; inferret: ingentibus tam naualibus quàm terrestribus copiis ob hoc contractis, remissoq; Octauiæ sorori Cæsaris repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu traiecit. Pugnæ deinde nauales & prelia equestria secũda Cęsaris referũtur.

LIBER CXXXIII.

M. Antonius ad Actium classe victus Alexandriam profugit: obsessusq; à Cæsare in vltima rerum desperatione, præcipuè occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, se ipse interemit. Cæsaris Alexandria in potestatem redacta. Cleopatra ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte occubuit. In vrbem reuersus tres triumphos egit: vnum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium ex Cleopatra: imposito fine ciuilibus bellis altero & trigesimo anno. M. Lepidus, qui Lepidi triumuiri fuerat filius, coniuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens oppressus & occisus est.

LIBER CXXXIIII.

C. Cæsar rebus compositis, & omnib. prouinciis in certam formam redactis, Augustus quoq; cognominatus est: & mensis Sextilis in honorem eius appellatus est. Cùm ille conuentum Narbonæ egit, census à tribus Galliis quas Cęsar pater vicerat, actus. Bellum contra Bastarnas & Mæsos & alias gẽtes a M. Crasso refertur.

LIBER

LIBER CXXXV.

Bellum à M. Crasso aduersus Thracas, & à Cæsare aduersus Hispanos gestum refertur: & Salassi gentes Alpinæ perdomiti.

LIBER CXXXVI.

Rhetia à Tiberio Nerone, & Druso Cæsaris priuigno domita. Agrippa Cæsaris gener mortuus, & à Druso census actus est.

LIBER CXXXVII.

Ciuitates Germaniæ cis Rhenum & trans Rhenum positæ oppugnantur a Druso: & tumultus qui ob cẽsum exortus in Gallia erat, compositus. Ara Cæsari ad confluentem Araris & Rhodani dedicata, sacerdoteq; creato C. Iulio Vercondaridubio Heduo.

LIBER CXXXVIII.

Thraces domiti à Scipione: item Cherusci, Tenchateri, Cauci, aliæq; Germanorum trans Rhenum gentes subactæ à Druso referuntur. Octauia soror Augusti defuncta, antè amisso filio Marcello: cuius monimenta sunt theatrum, & porticus, eius nomini dicata.

LIBER CXXXIX.

Bellum contra transrhenanas gentes à Druso gestum refertur: in quo inter primores pugnauerunt Senectius & Anectius, tribuni ciuitatis Neruiorum. Dalmatas & Pannonios Nero frater Drusi subegit. Pax cum Parthis facta est: signis à rege eorum, quæ sub Crasso & postea sub Antonio capta erant, redditis.

LIBER CXL.

Bellum aduersus Germanorum trans Rhenum ciuitates gestum à Druso refertur. ipse ex fractura equo super crus eius collapso. XXX.

die quàm id acciderat, mortuus est. corpus à Nerone fratre, qui nuntio valetudinis euocatus raptim occurrerat, Romam reuectum & in C. Iulij tumulo conditum. Laudatus à Cæsare Augusto vitrico, & supremis illius funeribus plures honores additi. *Finis Epitomatoris Liuij.*

Cæsar Octauianus Augustus.

POpulus Romanus Cæsare & Pompeio trucidatis, rediisse in statum pristinæ libertatis videbatur: & redierat, nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar hæredem reliquisset; vel, quod vtroque perniciosius fuit, si non collega quondam, mox æmulus Cæsarianæ potentiæ, fax & turbo sequentis sæculi, superfuisset Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari: dum Octauius mortem patris vlciscitur, iterum fuit mouēda Thessalia; dum Antonius varius ingenio, aut successorem Cæsaris indignatur Octauium, aut amore Cleopatræ descíscit in regem. nam aliter saluus esse non potuit, nisi cōfugisset ad seruitutem. Gratulandum tamen in tanta perturbatione est, quòd potissimum ad Octauium Cæsarem Augustum, summa rerum rediit; qui sapiētia sua atq; sollertia, perculsum vndiq; & perturbatū ordinauit imperij corpus: quod ita haud dubiè numquam coire & consentire potuisset, nisi vnius præsidis nutu, quasi anima & mente, regeretur. Marco Antonio, Publio Dolabella consulibus, *imperium Romanum iam ad Cæsares transferente fortuna,* varius & multiplex motus ciuitatis fuit; quodq; in annua cœli conuersione fieri solet, vt mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent; sic in Romanæ domi-

nationis

nationis, id est humani generis conuersione, penitus intremuit, omniq́ue genere discriminum, ciuilibus, terrestribus ac naualibus bellis, omne imperij corpus agitatum est. *Ex L. Flori libro 4. Historiarum c. 3.*

Bellum Mutinense.

PRima ciuilium motuum causa, testamentũ Cæsaris fuit: cuius secundus heres Antonius, prælatum sibi Octauium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuuenis susceperat bellum. Quippe cùm intra decem & octo annos tenerum & obnoxium & opportunum iniuriæ iuuenẽ videret; ipse planè & conuiciis Cæsaris dignitatem, & furtis hæreditatẽ lacerare; ipsum insectari probris, & cunctis artibus adoptationem Iuliæ gentis cùm inhibere non desineret: deniq; ad opprimendum iuuenem, palàm arma moliri, & iam parato exercitu in Cisalpina Gallia resistẽtem motibus suis Decimum Brutum obsideret: Octauius Cæsar, ætate & iniuria fauorabilis, & nominis maiestate, quod sibi induerat, reuocatis ad arma veteranis, priuatus (quis crederet?) consulem aggreditur; obsidione Mutinæ liberat Brutum, Antonium exuit castris. Tum quidem etiam manu pulcher apparuit. nam cruentus & saucius, aquilam à moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat. *Ex Floro 4. c. 4.*

Triumuiratus.

CVm solus etiam grauis paci, grauis reipublicæ esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit; quia cõtra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem. Diuersa omniũ nota incẽdia. Lepidum,

diuitiarum cupido, quarum ſpes ex turbatione Reipublicæ; Antonium, vltiones de his qui ſe hoſtem iudicaſſent; Cæſarem.inultus pater, & manibus eius graues Caſſius & Brutus, agitabant. In hoc velut fœdus, pax inter tres duces componitur: apud Confluentes inter Peruſiam & Bononiam iungunt manus, & exercitus conſalutant; nullo bono more *Triumuiratus* inuaditur. Oppreſſa armis Republica redit Sullana proſcriptio: cuius atrocitas nihil in ſe minus habet quàm numerum CXL. Senatorum; exitus; fœdi; truces, miſerabiles, toto terrarum orbe fugientium. Pro quibus quis pro indignitate rei non ingemiſcat? cùm Antonius, concedente Cæſare, auunculum ſuum; Lepidus L. Paulum fratrem ſuum proſcripſerit. Romæ capita cæſorum ꝓponere in roſtris, iam vſitatũ erat. Verùm ſic quoq; ciuitas lacrymas tenere non potuit, cùm reſciſſum Ciceronis caput in illis ſuis roſtris videretur; nec aliter ad videndum eum, quàm ſolebat ad audiendum, concurreretur. Hæc ſcelera in Antonij Lepidiq; tabulis: Cæſar percuſſoribus patris contentus fuit. hæc quoque niſi multa fuiſſet, etiam iuſta cædes haberetur. *Ex Floro 4. c. 5.*

Bellum Caſſij & Bruti.

BRutus & Caſſius ſic C. Cæſarem, quaſi Tarquinium regem depuliſſe regno videbantur. ſed libertatem, quam maximè reſtitutam voluerunt, illo ipſo patricidio perdiderunt. Igitur cæde perfecta, cùm veteranos Cæſaris, nec immeritò timerent, ſtatim è curia in Capitoliũ confugerant., nec illis ad vltionem deerat animus; ſed ducem non habebant. Igitur cùm ap-

pareret,

pareret, quæ ſtrages Reip. immineret; diſplicuit vltio, conſenſu conſulis abolitione decreta. Ne tamen publici doloris oculos ferrent, in prouincias ab illo ipſo quem occiderant Cæſare datas, Suriam & Macedoniam conceſſerant. ſic vindicta Cæſaris dilata potius quàm oppreſſa eſt. Igitur ordinata magis, vt poterat quàm vt decebat, in Triumuiros república, relicto ad vrbis præſidium Lepido, Cæſar cum Antonio in Caſſium Brutumq; ſuccingitur. Illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam quæ fatalis Cn. Pompeio fuit, arenam inſederant: ſed nec tum imminentia cladis deſtinatæ ſigna latuere. nam & aſſuetæ cadauerum pabulo volucres, caſtra quaſi iam ſua circumuolabant. & in aciem prodeuntibus Æthiops obuius, nimis apertè ferale ſignum fuit. ipſiq; Bruto per noctem, cùm illato lumine ex more aliqua ſecum agitaret, atra quædam imago ſe obtulit; & quæ eſſet, interrogata, *Tuus*, inquit, *malus Genius*: hoc dixit, & ſub oculis mirantis euanuit. Pari in meliora præſagio in Cæſaris caſtris omnia aues victimæq; promiſerant: ſed nihil illo præſentius, cùm Cæſaris medicus ſomnio admonitus eſt, vt Cæſar caſtris excederet, quibus capi imminebat: vt factum eſt. Acie namq; commiſſa, cùm pari ardore aliquamdiu dimicatum foret, & quamuis duces non eſſent tunc præſentes, quorum alterum corporis ægritudo, illum metus & ignauia ſubduxiſſent; ſtabat tamen pro partibus inuicta fortuna, & vltoris, & qui vindicabatur. Primùm adeo anceps fuit, & par vtrimq; diſcrimen; vt exitus prælij docuit: capta ſunt hinc Cæſaris caſtra, inde Caſſij. Sed quantò

Florus lib.4. C 5

efficacior est fortuna quàm virtus! & quàm verum est, quod moriens efflauit, *non in re, sed in verbo tantùm esse virtutem!* Victoriam illi pręlio error dedit. Cassius, inclinato cornu suorum, cùm captis Cæsaris castris rapido impetu recipientes se equites videret, fugere arbitratus, euadit in tumulum; inde puluere & strepitu, etiam nocte vicina, eximentibus gestæ rei sensum; cùm speculator quoque in id missus, tardiùs renuntiaret; trāsactum de partibus ratus, vni ex proximis auferendum præbuit caput. Brutus, cùm in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret, (ita enim par superesse bello conuenerat) ipse quoq; vni comitum suorum confodiendum præbuit latus. Quis sapientissimos viros non miretur, ad vltimum non suis manibus vsos? nisi hoc quoq; ex persuasione non defuit, ne violarent manus; sed in abolitione sanctissimarum pientissimarumq; animarum iudicio suo, scelere alieno vterentur. *Ex Floro 4.c.6.*

Bellum Perusinum.

ALterum bellum concitauit agrorum diuisio, quos Cęsar veteranis, in castris pretium militiæ persoluebat. Semper aliàs L. Antonij pessimum ingenium. Fuluia, gladio cincta, virilis militiæ vxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando, iterum in arma ierat. Hic verò iam non priuatis, sed totius Senatus suffragiis iudicatum hostem Cæsar aggressus, intra Perusiæ muros redegit; compulitq; ad extrema deditionis, turpi & nihil non experta fame. *Ex L. Floro 4.c.5.*

Bellum

Bellum cum Sexto Pompeio.

SVblatis percussoribus Cæsaris, supererat Pompeî domus. Alter iuuenum in Hispania occiderat, alter fuga euaserat; contractisq; infelicis belli reliquiis, cùm insuper ergastula armasset; Siciliam Sardiniamq; habebat; iam & classe medium mare insederat. O quàm diuersus à patre! ille, Cilicas exstinxerat; hic, secum piratas nauales agitabat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto iuuenis oppressus est; magniq; famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset vlterius; nisi quod magnæ indolis signum est, *sperare semper.* Perditis enim rebus profugit, Asiamq; velis petit; venturus ibi in manus hostium, & catenas; &, quod miserrimum est fortib. viris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus. Nō alia post Xerxem miserabilior fuga. Quippe modò trecentarum quinquaginta nauium dominus, cum sex septemve fugiebat, exstincto prætoriæ nauis lumine, annulis in mare abiectis, pauens atq; respectans, & tamen non metuens ne periret. Quamuis in Cassio & Bruto partes sustulisset, & in Pompeio totum partium nomen abolesset; nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Cęsar: cùm scopulus, & nodus, & mora publicæ securitatis superesset Antonius: nec ille defuit vitiis quin periret, immò omnia expertus ambitu & luxuria, primùm hostes, deinde ciues, tandem etiam terrore sui sæculum liberauit. *Ex L. Floro 4. c. 8.*

Bellum Parthicum duce Ventidio.

PArthi, clade Crassiana altiùs animos erexerant, ciuilesq; populi Rom. motus læti ac-

Florus lib. 4.

ceperant. itaque, vt prima affulsit occasio, non dubitauerunt erumpere; vltrò quidem inuitante Labieno qui missus à Cassio Brutoque, (qui furor scelerum!) sollicitauerat hostes in auxilium: & illi, Pacoro duce, regio iuuene, dissipant Antoniana præsidia. Saxa legatus, ne veniret in potestatem, à gladio suo impetrauerat. Deniq; ablata Suria emanabat latius malum, hostibus sub auxilij specie sibi vincentibus; nisi Ventidius, & hic legatus Antonij, incredibili felicitate, & Labieni copias, ipsumq; Pacorum, & omnem Particum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem simulatè cecidisset. Viginti amplius millium fuit; nec sine consilio ducis; quippe qui simulato metu, adeo passus est hostem castris succedere, donec absumto iactus spatio, adimeret vsum sagittarũ. Rex fortissimè dimicans cecidit: mox circumlato eius per vrbes quæ defecerant, capite, Suria sine bello recepta. Sic Crassianam cladem Pacori cæde pensauimus. *Ex L. Floro 4. c. 9.*

Bellum Parthicum Antonij.

EXpertis inuicẽ Parthis atq; Romanis, cùm Crassus atq; Pacorus vtrimq; virium mutuarum documenta fecissent, pari rursus reuerentia, integra amicitia, & quidem ab ipso fœdus Antonio cum rege percussum. Sed immensa vanitas hominis, dum titulorum cupidine Araxem & Euphratem sub imaginibus suis legi concupisset, neq; causa, neq; consilio, ac ne imaginaria quidem belli conditione (quasi hoc quoq; ex arte ducis esset obrepere) relicta repente Suria in Parthos impetum facit. Gens præter armorum fiduciam simulat trepidatio-

nem,

nem, & in campos fugam. Hic statim quasi victor sequebatur; cùm subitò nec magna hostium manus ex improuiso, & iam in fessos via, sub vespera velut nimbus erupit, & missis vndique sagittis duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis quæ in posterū diem imminebat, nisi interuenisset deûm miseratio. Vnus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat; & salute Latinè data, cùm fidem ipso fecisset, quid immineret, edocuit; iam affuturum cum omnibus copiis regem: irent retrò peterentq; montes: sic quoq; hostem fortasse non defore. Atq; ita secuta est minor vis hostium: quàm imminebat. Adfuit tamen; deletæq; reliquæ copiæ forent, nisi vrgentibus telis in modum grandinis, quadam forte quasi docti, procubuissent in genua milites, & elatis super capita scutis, cæsorum speciem prębuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. Deinde, Romani cùm se rur us extulissent, adeo res miraculo fuit, vt vnus ex barbaris miserit vocem; *Ite & bene valete Romani: meritò vos victores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fertis.* Non minor ex aqua postea quàm ab hostibus clades. Infesta primum siti regio; tum quibusdam Salmacidis fluuius infestior: nouissimeq; cùm iam ab inualidis & auidè hauriebatur, noxiæ etiam dulces fuere. Mox & ardores per Armeniam, & niues per Cappadociam & vtriusq; cœli subita mutatio pro pestilentia fuit. Sic vix tertia parte de X V I. legionibus reliqua, cùm argentum eius passim dolabris concideretur; & subinde inter moras mortem à gladiatore suo flagitasset, egregius impe-

Florus lib. 4.

rator tandem profugit in Syriam. ibi incredibili quadam mētis vecordia ferocior aliquanto factus est; quasi vicisset qui euaserat. *Ex L. Floro 4.c.10.*

Bellum Actiacum cum Antonio & Cleopatra.

FVror Antonij, quatenus ambitu non interiret, & luxu & libidine exstinctus est. Quippe post Parthos, cùm exosus arma, in otio ageret captus amore Cleopatræ, quasi bene gestis rebus, in regio se sinu reficiebat. Hęc mulier Ægyptia ab ebrio Imperatore pretium libidinū Romanum imperium petit. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare; nec tacitè; sed patriæ, nominis, togæ, fasciū oblitus, totus in monstrum illud, vt mente, ita animo quoq; cultuq; desciuerat. Aureum in manu baculum; ad latus, acinacis; purpurea vestis, ingētibus obstricta gemmis; diadema aderat, vt regina rex ipse frueretur. Ad primam nouorum motuum famam Cæsar à Brundusio traiecerat, vt venienti bello occurreret: positisque in Epiro castris, Leucadem insulam, montemq; Leucatem, & Ambracij sinus cornua, infesta classe succinxerat. Nobis C C C C. amplius naues; C C. non minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. quippe à senis in nouenos remorum ordinibus; adhoc turribus atq; tabulatis alleuatæ castellorum & vrbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur: quæ quidem ipsa moles exitio fuit. Cæsaris naues à triremibus in senos non ampliùs ordines creuerant. itaq; habiles in omnia quæ vsus poscebat, ad impetus & recursus flexusq; capiendos,

dos,

dos, illas graueis, & ad omnia præpeditas, singulas plures adortæ, missilibus simul, tum rostris adhoc ignibus iactis ad arbitrium dissipauere. Nec vlla re magis hostiliũ copiarum apparuit magnitudo, quàm post victoriam. Quippe immensa classis, naufragio belli facto, toto mari ferebatur; Arabumq; & Sabæorum, & mille aliarũ gẽtium Asiæ spolia, purpuram aurumq;, in ripam assiduè mota ventis maria remouebant. Prima dux fugæ regina, cum aurea puppe, veloq; purpureo se in altum dedit: mox secutus Antonius: sed instare vestigiis Cæsar. Itaq; nec præparata in Oceanum fuga, nec munita præsidiis vtraq; Ægypti cornua, Parætonium atq; Pelusium, profuere: properè manu tenebantur. Prior ferrum occupauit Antonius: Regina, ad pedes Cæsaris prouoluta, tentauit oculos ducis; frustra. nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. nec illa de vita, quæ offerebatur, sed de parte regni laborabat. quod vbi desperauit à principe, seruariq; se triumpho vidit, incautiorẽ nacta custodiam, in Mausoleum se (sepulcra regum sic vocant) recepit: vbi maximo, vt solebat, induta cultu, in differto odoribus solio iuxta suum se collocauit Antoniũ; admotisque ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est. *Ex L. Floro 4. c. 11.*

Bella aduersus gentes exteras.

HIc finis armorum ciuilium: reliqua aduersus exteras gentes; quæ districto circa mala sua imperio, diuersis orbis oris emicabant. Noua quippe pax: necdum assuetæ frenis seruitutis tumidæ gentium inflatæq; ceruices, ab imposito nuper iugo resiliebãt. Ad *septemtrionẽ* conuersa ferme plaga, ferociùs agebat; Norici,

Illyrij, Pannonij, Dalmatę, Mysij, Thraces & Daci, Sarmatæ atq; Germani. *Noricis animos* dabant Alpes atq; niues; quò bellum nō posset ascendere. Sed omnes illius cardinis populos, *Breunos, Senones*, atq; *Vindelicos*, per priuignum suum Claudium Drusum perpacauit. Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facilè vel mulieres ostendêre; quæ, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo, in ora militum aduersa miserunt. *Illyrij* quoque sub Alpibus agunt, imasq; valles earum, & quædam quasi claustra custodiunt, abruptis torrentibus implicati. in hos expeditionem ipse sumsit, fieriq; pontes imperauit. Hic se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ad ascensum militi scutum de manu rapuit; & in via primus; tunc agmine secuto, cùm Illyricus multitudine pōtem succidisset, saucius manibus ac cruribus, speciosior sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostium præcidit. *Pannonij*, duobus saltibus, ac tribus fluuiis, Drauo, Sauo, Istroq; vallātur: populati proximos, intra ripas se recipiebant. In hos domandos Vibium misit. cæsi sunt in vtrisque fluminibus: arma victorum non ex more belli cremata, sed capta sunt & in profluentes data; vt cæteris, qui resistebant, victoria sic nuntiaretur. *Dalmatæ*, plerumque sub syluis agunt; inde ad latrocinia promtissimi. Hos iam quidem Marcius, incensa vrbe Delminio, quasi detruncauerat: postea Asinius Pollio gregibus, armis, agris multauerat: sed Augustus perdomandos Vibio mandat: qui efferum genus fodere terras coëgit, aurúmque venis repurgare; quod alioquin gens omnium cupidissima, studiosa

ſtudioſa diligentia anquirit; vt illud in vſus ſuos ſeruare videatur. *Myſi*, quàm feri, quàm truces fuerint, quàm ipſorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu eſt. Vnus ducum ante aciem poſtulato ſilentio; *Qui vos*, inquit, *eſtis*? Reſponſum inuicem; *Romani, gentium domini*: Et illi; *Ita*, inquiunt; *ſi nos viceritis*. Accepit omen Marcus Craſſus. Illi ſtatim ante aciem immolato equo concepere votum, vt cęſorum extis ducum & litarent, & veſcerentur. Deos audiſſe crediderim: nec tubam ſuſtinere potuerũt. Non minimum terroris incuſſit barbaris Domitius centurio, ſatis barbarę efficacis tamen apud pares homines ſtoliditatis; qui foculum gerens ſuper caſſidem, ſuſcitatam motu corporis flammam velut ardenti capite fundebat. Ante hos, *Thracum* maximus populus deſciuerat. Ille barbarus, & ſignis militaribus, & diſciplina, armis etiam Romanis aſſueuerat: ſed à Piſone perdomiti, in ipſa captiuitate rabiem oſtendêre: quippe cùm catenas morſibus tentatent, feritatem ſuam ipſi puniebant. *Daci*, montibus inhærent. Cotiſonis regis imperio, quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas, diſcurrere ſolebant, & vicina populari. Viſum eſt Cęſari Auguſto gentem aditu difficillimam ſubmouere. Miſſo igitur Lentulo, vltra vlteriorem repulit ripam: citra, præſidia conſtituit. Si tunc Dacia non victa, ſummota atque dilata eſt. *Sarmatæ*, patentibus campis inequitant. & hos per eundem Lentulum prohibere Danubio ſatis fuit. nihil præter niues raraſque ſyluas habent. tanta barbaria eſt, vt pacem non intelligant. *Germaniam* quoque vtinam vincere

Florus lib. 4. d

tanti non putasset: magis turpiter amissa est, quàm gloriosè acquisita: sed, quatenus sciebat patrem suum Cæsarem bis traiecto ponte Rheni quæsisse bellum, in illius honorem concupijt facere prouinciam: & factum erat, si barbari tam vitia nostra quàm imperia ferre potuissent. Missus in eam prouinciam Drusus, primos domuit *Vsipetes*: inde *Tencteros* percurrit, & *Cattos*. Nam *Marcomannorum* spolijs insignibus quendam editum tumulum in tropæi modum excoluit. Inde validissimas nationes, *Cheruscos, Sueuos*, & *Sicambros*, pariter aggressus est: qui viginti centurionibus concrematis, hoc velut sacramento sumserant bellum; adeo certa victoriæ spe, vt prædam in antecessum pactione diuiderent. Cherusci equos, Sueui aurum & argentum, Sicambri captiuos elegerāt. Sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus, equos, pecora, torques eorum, ipsosque prædam diuisit, & vendidit. Preterea in tutelam prouinciarum, præsidia atque custodias vbique disposuit. Per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim, per Rheni quidem ripam, quinquaginta amplius castella direxit: Bōnam & Geldubam cum pontibus iunxit, classibusque firmauit: inuium atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit. Ea denique in Germania pax erat, vt mutati homines, alia terra, cælum ipsum mitius molliusq; solito videretur. Denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo iuuene, ipsi, quod numquam aliàs alteri, senatus cognomē ex prouincia dedit. Sed *difficilius est prouincias obtinere quàm facere*: viribus parantur, iure retinentur.

Igitur

Igitur breue id gaudium fuit. quippe Germani victi magis quàm domiti erant; moresque nostros magis quàm arma sub Imperatore Druso suscipiebant. postquàm verò ille defunctus est, Vari Quinctilij libidinem ac superbiam haud secus quàm sæuitiam odisse cœperunt. Ausus verò ille agere conuentum: & in castris ius dicebat, quasi violentiam barbarorum & lictoris virgis, & præconis voce posset inhibere. at illi qui iam pridem rubigine obsitos enses, inertesque cernerent equos, vt primùm togas & sæuiora armis iura viderunt, duce Arminio arma corripiunt; cùm interim tãta erat Varo pacis fiducia, vt ne prædicta quidem & prodita per Segestem vnum principem, ducum coniuratione, commoueretur. Itaque improuidum & nihil tale metuentem improuiso adorti, cùm ille (ô securitas) ad tribunal citaret, vndique inuadunt, castra rapiunt; tres legiones opprimuntur. Varus perditas res, eodem quo Cannensem diem Paullus, & fato est & animo secutus. Nihil illa cæde per paludes perque siluas cruentius; nihil insultatione barbarorum intolerabilius; præcipuè tamen in caussarum patronos: alijs oculos, alijs manus amputabãt: vnius os sutum, recisa prius lingua; quam in manu tenens barbarus, *Tandem*, inquit, *vipera sibilare desiste*. Ipsius quoque consulis corpus, quod militũ pietas humi abdiderat, effossum. Signa & aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer, priusquàm in manus hostium veniret, euulsit; mersamque intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit. Hac clade factum, vt imperium quod in litore

Florus lib. 4. 2.

Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret. Hæc ad Septemtrionem. *Sub meridiano* tumultuatum magis quàm bellatum eſt. *Muſulanios* atque *Gætulos* accolas Syrtium, Coſſo duce compeſcuit; vnde illi *Gætulici* cognomen. Latiùs victoria patet. *Marmaridas* atque *Garamantas* Furnio ſubigendos dedit. Potuit & ille redire *Marmaricus*: ſed modeſtior in æſtimanda victoria fuit. *Ad Orientem* plus negotij cum *Armenijs*. huc alterum Cæſar ex nepotibus ſuis miſit. Ambo fato breues; ſed alter inglorius. Maſſiliæ quippe Lucius morbo ſoluitur: in Lycia Caius ex vulnere, cùm Armeniam ad Parthos ſe ſubtrahentem recepit. Armenios victo rege Tigrane in hoc vnum ſeruitutis genus Pōpeius aſſuefecerat, vt rectores à nobis aciperēt. Intermiſſum ergo ius, per hunc recuperatum, non incruento, nec multo tamen certamine. quippe Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, ſimulata proditione adortus virum intentum libello, quem vt theſaurorum rationes cōtinentem ipſe porrexerat, ſtricto ferro cruentat vulnere in tempus: ceterum barbarus, vndique infeſto exercitu oppreſſus, gladio, & pyra, in quā ſe percuſſus immiſit, ſuperſtiti etiamnon Cæſari ſatisfecit. *Sub occaſu* pacata fere erat omnis *Hiſpania*, niſi quam Pyrenæi deſinentis ſcopulis inherētem citerior alluebat Oceanus. Hic duæ validiſſimę gentes, *Cantabri* & *Aſtures*, immunes imperij agitabant. Cantabrorum & prior & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit: qui non cōtenti libertatem ſuam defendere, proximis etiam imperitare tentabāt; *Vaccæosq;* & *Curgonios*, & *Autrigonas*, crebris incur-

incursionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehementiùs agere nuntiabantur, non mandata expeditio, sed sumta est. ipse venit Segisamā: castra posuit: inde partito exercitu totam inde iam complexus Cantabriam, efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat. Nec ab Oceano quies; cùm infesta classe ipsa quoque terga hostium cæderentur. Primùm aduersus Cantabros sub mœnibus *Vellica* præliatus est. Hinc fuga in eminentissimum *Vindium* montem; quem maria priùs Oceani, quàm arma Romana ascensura esse crediderant. Tertiū *Aracillum* oppidum magna vi repugnat: captū tamen postremò fuit in Edulij montis obsidione, quem perpetua XV. millium fossa comprehensum cinxit, vndique simul adeunte Romano. Postquam extrema barbari vident, certatim igne, ferro inter epulas, venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxis exprimitur, præcepere mortem, seque pars maior à captiuitate, quæ videbatur, vindicauere. Hæc per Antistium, Furnium, Agrippam legatos, hibernans in Tarraconis maritimis Cæsar accepit. ipse præsens hos deduxit montibus, hos obsidibus adstrinxit, hos sub corona iure belli venum dedit. Digna res lauro, digna curru senatui visa est. & iam Cęsar tantus erat, vt posset triumphos contemnere. *Astures* per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant. nec tenuere suos, vt barbari impares: sed positis castris apud Asturam flumen, trifariam diuiso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parabant. Fuisset & anceps & cruentum, & vltimum mutua clade certamen, tunc tam forti-

bus tam subitò, tam cum consilio venientibus; nisi *Brigacini* prodidissent; à quibus præmonitus Carisius, cum exercitu adueniens oppressit consilia. Sic tamen quoque non incruento certamine, reliquias fusi exercitus validissimi, ciuitas Lancia excepit; vbi adeo certatum est; vt cùm in captam vrbem faces poscerentur, ægrè dux impetrauerit veniam, vt victoriæ Romanæ stans potiùs esset, quàm incensa monumentum. Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit: idem rebellandi finis Hispaniæ. Certa mox fides, & æterna pax cum ipsorum ingenio in pacis partes promtiore, tum consilio Cæsaris; qui fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, castra sua (sed quæ in plano erant) habitare & incolere iussit. Ingentis esse consilij illud obseruari cœpit. Natura regionis circa se omnis aurifera, minijq; & chrysocollæ & aliorum colorum ferax. Igitur exerceri solum iussit. Sic Astures, latentes in profundo opes suas atque diuitias, dum alijs quærunt, nosse cœperunt. Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septemtrionem quoque (duntaxat intra Rhenum atque Danubium) item ad Orientem intra Taurum & Euphratem, illi quoque reliqui qui immunes imperij erant, sentiebant tamen magnitudinem, & victoriam gentium populi Romani reuerebantur. Nam & *Scythæ* misêre legatos, & *Sarmatæ*, amicitiam petentes. *Seres* etiam, habitantesque sub ipso sole *Indi*, cum gemmis & margaritis, elephantos quoque inter munera trahentes nihil magis quàm longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleuerant;

rant;

ſtant, & tamen ipſe hominum color eos ab alio venire ſole fatebatur. *Parthi* quoque, quaſi victoriæ pœniteret, rapta clade Craſſiana, vltro ſigna retulêre. Sic vbique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Auſusque tandem *Cæſar Auguſtus* ſeptingenteſimo ab Vrbe condita anno *Ianum geminum* claudere; bis ante ſe clauſum, ſub Numa rege, & victa primùm Carthagine. Hinc conuerſus ad pacem, pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens ſæculum, grauibus ſeueriſque legibus multis coercuit. Ob hæc tot facta ingentia *Dictator perpetuus*, & *pater patriæ* dictus. Tractatum etiam in ſenatu, an, quia condidiſſet imperium, *Romulus* vocaretur: ſed ſanctius & reuerentius viſum eſt nomen *Auguſti*; vt ſcilicet iam tum dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur. *Ex Lucio Floro 4. cap. 12.*

SVb *Octauiano Cæſare Auguſto* Armenia cum Parthis conſpirauit. Claudius Cæſar nepos Auguſti, cum exercitu miſſus ad Orientem, cùm pro maieſtate Romani nominis facilè cũcta ſedaſſet, atque ei ſe Armenij, qui tunc temporis validiores erant Parthis, dediciſſent, iudiceſque ex inſtituto Pompeij dictis gentibus Claudius Cæſar præficeret, Dones quidam, quem Parthis Arſaces præpoſuerat, proditione ſimulata, libellum in quo ſcripti theſauri continerentur, obtulit. quem cùm Romanus imperator legeret intentiùs, cultro Dones aggreſſus Claudium vulnerauit. Percuſſor quidem à militibus confoſſus eſt; Claudius vulneratus, regreſſus in Syriã, obijt. Parthi ad ſatisfactionẽ

tam audacis admiſſi, obſides tunc primùm Octauiano Cæſari dederunt, & erepta ſub Craſſo ſigna retulerunt. Pacatis gentibus Orientis, Auguſtus Cæſar etiam *Indorum* legationem primus accepit. *Ex Sexti Rufi libello ad Valentinianum.*

ANno vrbis DCC. ferè ac nono, interfecto Cæſare, *bella ciuilia* reparata ſunt. percuſſoribus enim Cæſaris Senatus fauebat. Antonius conſul, partium Cæſaris, ciuili bello opprimere eos conabatur. Ergo turbata Rep. multa Antonius ſcelera committens, à Senatu hoſtis iudicatus eſt. miſſi ad eum perſequẽdum duo Coſſ. Panſa & Hirtius, & Octauianus, adoleſcens annos XVIII. natus, Cæſaris nepos; quem ille teſtamento heredem reliquerat, & nomen ſuum ferre iuſſerat. hic eſt qui poſtea *Auguſtus* eſt dictus, & rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, vicerunt eum. Euenit tamen vt victores Coſſ. ambo morerẽtur. Quare tres exercitus vni Cæſari paruerunt. Fugatus Antonius, amiſſo exercitu, confugit ad Lepidũ, qui Cæſari magiſter equitum fuerat, & tum copias militum grãdes habebat; à quo ſuſceptus eſt. Mox Lepido operam dante, Cæſar cum Antonio pacem fecit: & quaſi vindicaturus patris ſui mortem, à quo per teſtamẽtum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus eſt; extorſitque vt ſibi XX. anno conſulatus daretur. Senatum proſcripſit cum Antonio & Lepido, & Rempublicam armis tenere cœpit. per hos etiam Cicero orator occiſus eſt, multique alij nobiles.

Interea Brutus & Caſſius, interfectores Cæ-

ſaris,

ſaris,ingens bellum mouerunt. erant enim per Macedoniam & Oriẽtem multi exercitus, quos occupauerunt. Profecti igitur contra eos,Cæſar Octauianus Auguſtus,& M. Antonius, (remanſerat enim ad defendendam Italiam Lepidus) apud Philippos, Macedoniæ vrbem, contra eos pugnauerunt.Primo prælio victi ſunt Antonius & Cæſar: perijt tamen dux nobilitatis Caſſius: ſecundo, Brutus & infinita nobilitas quæ cum illis bellum geſſerat: ac ſic inter eos diuiſa eſt Reſp. vt Auguſtus Hiſpanias, Gallias, Italiam teneret; Antonius Aſiam,Pontum,Orientem. Sed intra Italiam L. Antonius Cos. bellum ciuile commouit; frater eius qui cum Cæſare cõtra Brutum & Caſſium dimicauerat. Is apud Peruſium Tuſciæ ciuitatem victus & captus eſt, neque occiſus.

Interim à Sexto Pompeio, Cnæi Pompeij Magni filio, ingens bellum in Sicilia commotum eſt, his qui ſuperfuerant ex partibus Bruti Caſſijque ad eum confluentibus. Bellatum per Cæſarem Auguſtum Octauianum, & M. Antonium aduerſus Sextum Pompeium:pax poſtremò conuenit.

Eo tempore M. Agrippa in Aquitania rem proſperè geſſit, & L. Ventidius Baſſus irrumpentes in Syriam Perſas,tribus prælijs vicit.Pacorum regis Orodis filium interfecit, eo ipſo die quo olim Orodes Perſarum rex per ducem Surenam Craſſum occiderat. Hic primus de Parthis iuſtiſſimum triumphum Romæ egit.

Interim Pompeius pacem rupit: & nauali prælio victus,fugiens ad Aſiam,interfectus eſt. Antonius, qui Aſiam & Orientem tenebat,

repudiata sorore Cæsaris Augusti Octauiani, Cleopatram, reginam Ægypti duxit vxorem. Contra Persas ipse etiam pugnauit: primis eos prælijs vicit: regrediens tamen, fame & pestilentia laborauit: & cùm instarent Parthi fugienti, ipse pro victoria cessit.

Hic quoque ingens bellum ciuile commouit, cogente vxore Cleopatra, regina Ægypti; dum cupiditate muliebri optat etiam in vrbe regnare. Victus est ab Augusto, nauali pugna clara & illustri, apud Actium; qui locus in Epiro est: ex qua fugit in Ægyptum: & desperatis rebus, cùm omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit. Cleopatra sibi aspidem admisit, & veneno eius extincta est. Ægyptus per Octauianum Augustum imperio Romano adiecta est: præpositusque eius factus est Cn. Cornelius Gallus. hunc primum Ægyptus Romanum iudicem habuit. Ita bellis toto orbe confectis, Octauianus Augustus Romam rediit, XII. anno postquā consul fuerat. ex eo Remp. per XLIIII. annos solus obtinuit. antè enim XII. annis cum Antonio & Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius vsque ad finem LVI. anni fuerunt. Obijt autem LXXXVI. anno, morte communi in oppido Campaniæ Atella. Romæ in campo Martio sepelitur: vir qui non immeritò ex maxima parte Deo similis est putatus. neq; enim facilè vllus eo aut in bellis felicior fuit, aut in pace moderatior. XLIIII annis quibus solus gessit imperium, ciuilissimè vixit: in cunctos liberalissimus, in amicos fidissimus: quos tantis euexit honoribus, vt penè æquaret fastigio suo. Nullo tempore ante eum

res

res Romana magis floruit nam exceptis ciuilibus bellis, in quibus inuictus fuit, Romano adiecit imperio Ægyptum, Cantabriam, Dalmatiam sæpe antè victám, sed penitus tunc subactam: Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhętiã, Vindelicos, & Salassos in Alpibus; omnes Ponti maritimas ciuitates: in his nobilissimas, Bosphorum, & Panticapæon. Vicit autem prælijs Dacos: Germanorum ingentes copias cæcidit: ipsos quoque trans Albim fluuium submouit, qui in Barbarico longè vltra Rhenum est. hoc tamen bellum per Drusum priuignum suum administrauit; sicut per priuignum Tiberium alterum, Pannonicũ; quo bello CCCC. millia captiuorum ex Germania transtulit, & surpe ripam Rheni in Gallia collocauit. Armeniam à Parthis recepit, obsides (quod nulli antea) Persæ ei dederunt: reddiderunt etiam signa Romana, quæ Crasso victo ademerant. Scythæ & Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera & legatos ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc prouincia facta est, cùm antea regnum fuisset; primusque eã M. Lollius pro Prætore administrauit. Tanto autem amore etiã apud Barbaros fuit, vt reges Popul. Rom. amici, in honorem eius conderent ciuitates, quas *Cæsareas* nominarent: sicut in Mauritania à rege Iuba, & in Palęstina, quæ nũc est vrbs clarissima. Multi autem regis ex regnis suis venerunt, vt ei obsequerentur: & habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculũ vel equum ipsius cucurrerunt. Moriens *Diuus* appellatus est. Rempublicam beatissimam Tiberio successori reliquit: qui priuignus eius, mox gener

Eutropius.

postremò adoptione filius fuerat. *Eutropius 9. Breuiarij ad Valentem.*

OCTAVIVS AVGVSTVS.

Vltor, successorq́ꝫ dehinc Octauius, idem
Cæsar & Augustus, nomine nobilior.
Longæua & nunquam dubijs violata potestas,
In terris positum credidit esse Deum. Ausonius.

CÆsar *Octauianus*, ex Octauia familia in Iuliam tralatus, in vltionem Iulij Cæsaris, à quo hæres fuerat institutus, Brutum & Cassiũ, cædis auctores, in Macedonia vicit. Sextum Pompeium Cn. Pompeij F. bona paterna repetentem, in freto Siculo superauit. Marcum Antonium Consulem Syriam obtinentem, amore Cleopatræ deuinctum, in Actiaco Ambraciæ litore debellauit: reliquam orbis partem per legatos domuit. Huic Parthi signa quæ Crasso sustulerant, vltrò reddiderunt: Indi, Scythæ, Sarmatæ, Daci, quos non domuerat, dona miserunt. Iani gemini portas bis ante se clausas, primò sub Numa; iterum post primũ Punicum bellum; sua manu clausit. Dictator in perpetuum factus, à Senatu ob res gestas, *Diuus Augustus* est appellatus. *Ex additamento virorũ illustrium Sex. Aurelij Victoris.*

De Marco Tullio Cicerone.

MArcus Tullius Cicero, genere Arpinas, patre equite Romano natus, genus à Tito Tatio rege duxit. Adulescens, Rosciano iudicio, eloquentiam & libertatem suam aduersum Sullanos ostẽdit. ex quo veritus inuidiam, Athenas studiorum gratia petiuit: vbi Antio-

chum

dium Academicum philoſophum ſtudiosè audiuit. Inde eloquentiæ gratia Aſiam, pòſt Rhodum petijt; vbi Molonem Græcum, rhetorem tum diſertiſſimum, magiſtrum habuit; qui fleſſe dicitur, quòd per hunc Græcia eloquentiæ laude priuaretur. Quæſtor Siciliam habuit; Ædilis, C. Verrem repetundarum damnauit. Prætor, Ciliciam latrocinijs liberauit. Conſul, coniuratos capite puniuit. Mox inuidia P. Clodij, inſtinctuque Cæſaris & Pompeij, quos, dominationis ſuſpectos eâdem qua quõdam Sullanos libertate perſtrinxerat, ſollicitatis Piſone & Gabinio Conſulibus, qui Macedoniam Syriamq; prouincias in ſtipendium opera huius acceperant, in exilium actus: mox ipſo referente Pompeio redijt; cumque ciuili bello ſequutus eſt. Quo victo, veniam à Cæſare vltrò accepit. quo interfecto, Auguſtum fouit; Antoniũ hoſtem iudicauit. Et cum III. viros ſe feciſſent, Cæſar, Lepidus, Antoniusque, concordia non aliter viſa eſt inter eos iungi poſſe; niſi Tullius necaretur: qui, immiſſis ab Antonio percuſſoribus, cum forte Formijs quieſceret, imminens exitium corui auſpicio didicit: & fugiens occiſus eſt: caput ad Antonium relatum. *Ex additamento virorum illuſtrium Sex. Aurel. Victoris.*

De Marco Bruto.

MArcus Brutus, auũculi Catonis imitator, Athenis philoſophiam, Rhodi eloquentiam didicit. Cytheridem mimam cum Antonio & Gallo amauit. Quæſtor in Galliam proficiſci noluit; quòd is bonis omnibus diſplicecebat: Cum Appio Claudio in Cilicia fuit: & cùm ille repetundarum accuſaretur, ipſe ne

S. Aurel. Victor.

verbo quidem infamatus est. Ciuili bello à Catone ex Cilicia retractus, Pompeium sequutus est. quo victo, veniam à Cæsare accepit, & Proconsul Galliam rexit; tamen cum alijs coniuratis in curia Cæsarem occidit. Et ob inuidiam veteranorum in Macedoniam missus, ab Augusto in campis Philippicis victus, Stratoni ceruicem præbuit. *Ibidem.*

De C. Cassio Longino.

CAius Cassius Longinus, Quæstor Crassi in Syria fuit: post cuius cædem, collectis reliquijs in Syriam redijt. Osacem præfectum regium, apud Orontem fluuium superauit. Dein, quod coëmtis Syriacis mercibus fœdissimè negotiaretur, *Caruota* cognominatus est. Tribunus plebis Cæsarem oppugnauit. Bello ciuili Pompeium sequutus classi pręfuit: à Cæsare veniam accepit: tamen aduersus eum coniurationis auctor cum Bruto fuit; & in cæde dubitanti cuidam, *Vel per me*, inquit, *feri*: magnoque exercitu comparato, in Macedonia Bruto coniunctus, in campis Philippicis ab Antonio victus, cùm eandem fortunam Bruti putaret, qui Cæsarem vicerat, Pandaro liberto iugulum præbuit. Cuius morte audita, Antonius exclamasse dicitur, *Vici*. Ibidem.

De Sexto Pompeio.

SExtus Pompeius, in Hispania apud Mundam victus, amisso fratre, reliquijs exercitus collectis Siciliam petijt: vbi ruptis ergastulis, mare obsedit. Interceptis commeatibus Italiam vexauit: & cùm mari feliciter vteretur,

Neptuni

Neptuni se filium confessus est, cumque bobus auratis & equo placuit. Pace facta epulatus in naui cum Antonio & Cæsare, non inuenustè ait; *Hæ sunt meæ Carinæ*. quia Romæ in Carinis domum eius Antonius tenebat. Rupto per eundem Antonium fœdere, Sextus ab Augusto per Agrippam nauali prælio victus, in Asiam fugit, vbi ab Antonianis militibus occisus est. *Ibidem*.

De Marco Antonio.

MArcus Antonius, in omnibus expeditionibus Iulio Cæsari comes, Lupercalibus diadema ei imponere tentauit: mortuo diuinos honores decreuit. Augustum perfidiosè tractauit, à quo apud Mutinam victus, Perusij fame domitus, in Galliam fugit: ibi Lepidum sibi collegam adiunxit: Brutum, exercitu eius corrupto, occidit. Reparatis viribus in Italiam regressus, cum Cęsare in gratiam rediit. Triumuir factus, proscriptionē à Lucio Cæsare auunculo suo cœpit. In Syriam missus, bellum Parthis intulit. à quibus victus, vix tertiam partem de quindecim legionibus in Ægyptum perduxit. ibi Cleopatræ amore deuinctus, in Actiaco litore ab Augusto victus est. In Alexandriam regressus, cùm habitu regio in solio regali sedisset, necem sibi consciuit. *Ibidem*.

De Cleopatra Regina.

CLeopatra, Ptolemæi regis Ægyptiorum filia, à fratre suo Ptolemæo, eodemque marito, quem fraudare regno voluerat, pulsa, ad Cęsarem bello ciuili in Alexandriam venit;

S. Aurel. Victor.

ab eo specie sua & cõcubitu, regnum Ptolemæi & necem impetrauit. Hæc tantæ libidinis fuit, vt sępe prostiterit, tantę pulchritudinis, vt multi noctem illius morte emerint. Postea Antonio iuncta, cum eo victa, cùm se illi inferias ferre simularet in Mausoléo eius, admotis aspidibus perijt. *Ibidem.*

ANno Vrbis conditæ septingentesimo vigesimo secundo; ab exactis verò regibus quadringentesimo octogesimoque, mos Romæ repetitus vni prorsus parendi, pro rege *Imperatori*, vel sanctiori nomine *Augusto* appellato. *Octauianus* igitur, patre Octauio senatore genitus, maternum genus ab Ænea per Iuliam familiã sortitus, adoptione verò *Caij Cæsaris* maioris auunculi, *Caius Cæsar* dictus; deinde ob victoriam *Augustus* cognominatus est. iste in imperio positus, *Tribuniciam potestatem* per se exercuit. Regionem Ægypti, inundatione Nili accessu difficilem, inuiamque paludibus, in prouinciæ formam redegit. Quam vt anno Vrbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas, labore militum patefecit. Huius tempore ex Ægyto Vrbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur. Iste Cantabros & Aquitanos, Rhætos, Vindelicos, Delmatas numero Prouinciarum populi Romani coniunxit. Sueuos Cattosque deleuit; Sucambros in Galliam transtulit. Pannonios stipendiarijs adiecit. Getarum populos, Basternasq;, lacessitos bellis, ad cõcordiam compulit. Huic Persæ obsides obtulerunt; creandique regis arbitrium permiserunt. Ad hunc Indi, Scythæ, Garamantes, Æthiopes, legatos cum donis miserunt.

ferunt. Adeo namque turbas, bella, simultates exsecratus est, vt, nisi iustis de caussis, numquã genti cuiquam bellum intulerit. *Iactantisq́ esse ingenii & leuissimi* dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id est folia infructuosa, in discrimen, per incertos euentus certaminum, securitatem ciuium præcipitare. Neque imperatori bono quidquã minus quàm *temeritatem* congruere. *Satis celeriter fieri, quidquid commodè geritur.* *Armaq́*, nisi maioris emolumenti caussa, nequaquam mouenda esse: ne compendio tenui, iactura graui, petita victoria, similis sit hamo aureo piscãtibus: cuius abrupti amissique detrimentum, nullo capturæ lucro pensari potest. Huius tempore trans Rhenum vastatus est Romanus exercitus, atque tribuni & proprætor cæsus. Quod intantum perdoluit, vt cerebri valido incussu parietem pulsaret, veste capilloque, ac reliquis lugentium indicijs deformis. Auunculi quoq; inuentum vehementer arguebat, qui milites *commilitones*, nouo blandoque more appellans, dum affectat charior fieri, auctoritatem principis emolliuerat. Denique erga ciues clementissimè versatus est. In amicos fidus exstitit: quorum præcipui erãt, ob taciturnitatem, Mæcenas; ob patientiam laboris, modestiamque, Agrippa. Diligebat prętereа Virgilium. Rarus quidem ad recipiendas amicitias; ad retinendas, constantissimus. Liberalibus studijs; præsertim eloquentiæ, intantum incumbens, vt nullus ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret. Leges alias nouas, alias correctas protulit suo nomine. Auxit ornauitq; Romam

ædificijs multis; isto glorians dicto; *Vrbem lateritiam repperi, relinquo marmoream.* Fuit mitis, gratus, ciuilis animi & lepidi: corpore toto pulcer, sed oculis magis: quorum aciem clarissimorum siderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab inteudentibus tamquam Solis radijs aspectui suo. à cuius facie cùm quidam miles oculos auerteret & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit; *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum.* Nec tamen vir tantus vitijs caruit. Fuit enim paululum impatiens, leuiter iracundus, occultè inuidus, palàm factiosus: porrò autem dominandi, supra quam æstimari potest, auidissimus: studiosissimus aleæ lusor. Cumque esset cibi ac vini multum, aliquatenus verò somni abstinens; seruiebat tamen libidini vsq; ad probrum vulgaris famæ. Nam inter duodecim catamitos, totidemque puellas, accumbere solitus erat. Abiecta quoq; vxore Scribonia, amore alienæ coniugis possessus, Liuiam, quasi marito concedente, sibi coniunxit. cuius Liuiæ iam erant filij Tiberius & Drusus. Cumque esset luxuriæ seruiens, erat tamen eiusdem vitij seuerissimus vltor: *More hominum, qui in vlciscendis vitijs,* quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt. Nam & poëtam *Ouidium*, qui & *Naso*, pro eo quòd tres libellos amatoriæ artis cōscripserat, exsilio damnauit. Quodque est læti animi, vel amœni, oblectabatur omni genere spectaculorum; precipuè ferarum incognita specie, & infinito numero. Annos septem & septuaginta ingressus, Nolæ morbo interijt. quamquam alij scribant dolo Liuiæ exstinctum; metuentis ne, quia priuignæ filium

filium Agrippam, quem odio nouercali in insulam relegauerat, reduci compererat, eo summam rerum adepto, pœnas daret. Igitur mortuum, seu necatum, multis nouisq; honoribus senatus censuit decorandum. Nam præter id quòd antea *Patrem patriæ* dixerat, templa tam Romæ, quam per vrbes celeberrimas, ei consecrauit; cunctis vulgò iactantibus, *Utinam aut non nasceretur, aut non moreretur.* Alterum enim, pessimi incepti; exitus præclari alterum. Nam & in adipiscendo principatu oppressor libertatis est habitus; & in gerendo, ciues sic amauit, vt tridui frumento in horreis quondam viso, statuisset veneno mori, si è prouincijs classes interea non venirent. quibus aduectis, felicitati eius, salus patriæ est attributa. Imperauit annos quinquaginta sex; duodecim, cum Antonio; quadraginta & quatuor, solus. qui certè numquam aut Reipublicæ ad se potentiam traxisset, aut tamdiu ea potiretur, nisi magnis naturæ & studiorum bonis abundasset. *Excerpta ex libro Sexti Aurelij Victoris, de vita & moribus Imperatorum Romanorum à Cæsare Augusto ad Theodosium Imperatore, ex editione Andreæ Schotti.*

ANno Vrbis septingētesimo ferè, vicesimoq; II. etiā mos Romæ incessit, vni prorsus parendi Namque *Octauianus* patre Octauio, atque adoptione magni auūculi Cæsaris, ac mox Procerum consulto, ob victoriam patriam placidè exercitam, *Augusti* cognomento dictus, illec s per dona militibus, atque annonę curandę specie vulgo, cęteros haud difficulter subegit. Eoq; modo annis quatuor circiter & quadraginta actis, morbo Nolæ cōsumtus; adiectis imperio

ciuium Rhætis, Illyricoque; ac pacata externarum gentium ferocia, nisi Germaniæ: quanquam tertius post Numam, victo Antonio, *Ianum clauserit*; quod iure Romano quiescentibus bellis accidebat. Mores viro ciuiles lepidique, flagrante haud modice luxuria, ludorumque cupidine, atque ad somnum intemperantiæ. Doctorum, qui abunde erant, necessariorumque percultor, cùm eloquentiæ studio, ac religionibus mire retineretur. *Pater patriæ*, ob clementiam, ac Tribunicia potestate perpetuò habitus: hincque, vti Deo, Romæ prouincijsque omnibus per vrbes celeberrimas, viuo mortuóque templa, sacerdotes, & collegia sacrauere. Felix adeo, (absque liberis tamen, simulque coniugio) vt Indi, Scythæ, Garamantes, ac Bactri, legatos mitterent orando fœderi. *Sext. Aurelius Victor historiæ abbreuiatæ de Cæsaribus part. 2. Ab Octauiano Augusto, id est, a fine Titi Liuij, vsque ad Consulatum decimum Constantij Augusti, & Iuliani Cæsaris tertium.*

HVic successit *Octauius*, sub quo hi consules fuerunt:

C. Pansa & A. Hirtius. *His COSS. Cæsar Octauianus, Antonius, & Lepidus, amicitiæ fœdus inierunt; M. Cicero per Popilium militem Caietæ occisus est annorum LXIII. Cæsar Octauianus forum Augustum ædificauit.*

M. Lepidus & L. Plancus.

P. Seruilius II. & L. Antonius.

Gn. Domitius & C. Asinius.

L. Censorinus & Caius Caluisius.

App. Claudius & Caius Norbanus.

M. Agrippa & L. Caninius.

His

His COSS. lacus Lucrinus in portum conuersus est.
L.Gellius & M.Cocceius.
Sex.Pompeius & L.Cornificius.
L.Scribonius & L.Atratinus.
C.Cæsar & L.Vulcatius.
Cn. Domitius & C.Sossius.
C.Cæsar II. & M.Messala.
His COSS. apud Actium M. Antonius à Cæsare superatur.
C.Cæsar III. & M.Crassus.
His COSS. Nicopolim Cæsar construit, ludos Actiacos instituit: Antonius à Cæsare prælio peremptus, Alexandriæ in Mausoleo cum Cleopatra reconditur.
C.Cæsar IIII. & Sex.Apuleius.
C.Cæsar V. & M. Agrippa II.
His COSS. Parthorum dissensiones per Cæsarem sedatæ.
C.Cæsar VI. & M. Agrippa III.
His COSS. Cæsar leges protulit; iudices ordinauit, prouincias disposuit; & ideo AVGVSTVS cognominatus est. cuius temporibus floruerunt Virgilius, Horatius, & Liuius.
C.Augustus Cæsar VII. & T. Statilius.
C.Aug.Cæsar VIII. & M. Silanus.
His COSS. Cantabros, Germanos, Salassos Cæsar perdomuit.
C.Aug.Cæsar IX. & C.Norbanus.
His COSS. Astures & Cantabri per L. Lanium perdomiti.
C.Aug.Cæsar X. & Cn.Piso.
M. Marcellus & L.Aruntius.
M.Lollius & Q.Lepidus.
M.Apuleius & P.Silius.

His COSS. aquilas & signa Crassiana de Parthis Cæsar recepit.

C. Sentius & Q. Lucretius. *His COSS. Cæsari ex prouincijs redeunti currus cum aurea corona decretus est; quò ascendere noluit.*

Cn. Lentulus & P. Lentulus.

T. Furnius & C. Silanus.

L. Domitius & P. Scipio.

M. Drusus & L. Piso.

Cn. Lentulus & M. Crassus.

Tib. Nero & P. Quintilius.

M. Messala & P. Sulpicius.

Paulus Fabius & Q. Ælius.

Iulus Antonius & Africanus Fabius.

Drusus Nero & L. Quintius. *His COSS. apud Lingonum gentem templum Cæsari Drusus sacrauit.*

C. Asinius & C. Marcius. *His COSS. inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti; per Sextum Apuleium Pannonij subacti.*

Tib. Nero & Cn. Piso.

D. Lælius & C. Antistius.

C. Augustus Cæsar XI. & L. Sylla.

C. Caluisius & L. Passienus.

C. Lentulus & M. Messala. *His COSS. Dominus noster IESVS CHRISTVS filius Dei in Bethleem nascitur, annô imperij Augusti XLI.*

C. Aug. Cæsar XII & M. Plautius.

Cossus Lentulus & L. Piso.

C. Aug Cæsar XIII. & L. Paulus.

C. Vinitius & P. Alphenus.

M. Seruilius & L. Lamia.

Sextus Ælius & C. Sentius.
Cn. Cinna & L. Valerius. *His COSS. per dies VIII. Tiberis impetu miseranda clades hominum domorumq́; fuit.*
M. Lepidus & L. Aruntius.
Q. Cæcilius & A. Licinius.
M. Furius & Sextus Nonius.
Q. Sulpicius & C. Poppæus.
P. Dolabella & C. Silanus.
M. Lepidus & T. Statilius.
Germanicus Cæsar & C. Fonteius.
L. Plancus & C. Silius.
Sextus Pompeius & Sext. Apuleius.
His COSS. Imperator Augustus obijt, LXXVI. anno ætatis suæ, Imperij autem LVI. semis. Cassiodorus in Chronico.

AVgustus Cæsar, nepos Iulij ex sorore: à quo & mensis Augustus nomen habet. Dicuntur autem Augusta, pretiosa, magna, insignia. Nam sub eo IESVS CHRISTVS, Deus & seruator noster carnem assumpsit è sancta Deipara & semper virgine Maria. ¶ Augustus Cæsar Octauianus, qui & Sebastos cognominatus est: de vita sua & rebus gestis libros scripsit 13. & Aiacem atque Achillem, tragædias. Huic cùm visum esset numerare omnes Romani imperij incolas, vt sciret quanta esset multitudo: reperit myriades CCCCX. mille & XVII. viros. ¶ Augustus Cæsar, re diuina facta, percontabatur Pythiam, quis post se regnaturus esset? Cui illa respondit; Puer Hebræus iubet me, dijs beatis imperans, hanc ædem relinquere, & in orcum redire. Tu nunc

abito tacitus ab aris noſtris. Auguſtus autem ab oraculo reuerſus in Capitolio aram erexit, Romaniſque literis inſcripſit; HÆC ARA EST PRIMOGENITI DEI.

Auguſtale appellatum eſt ꝙ Idibus Octobris prouinciarum præſides & miniſtri Auguſtales, in Auguſtali [largiebantur] ſaltabant; velut in foro rerum venaliū, in honorem Tiberij. Eum locum ſic appellabant ab Auguſto. Collocauit & magnus Conſtantinus in aprico Daphnes ſtatuam ſuæ matris: vnde locum Auguſtale appellauit. Auguſto Cæſare mortuo, Tiberius & Druſus in funere præceſſerũt, defunctum prorſus non attingentes: (id enim nefas erat principibus) teſtamentum verò eius virgines Veſtales aſſeruabant. Ἀπογραφὴ, deſcriptio] Cæſar Auguſtus, monarcha, viros XX. probatiſſimæ vitæ delectos, in omnes prouincias miſit: per quos & homines & opes deſcripſit, edixitque vt iuſtam inde partem in ærarium inferrent. Hæc deſcriptio prima facta eſt; cùm ij qui eum anteceſſerunt, quid non poſſeſſoribus eriperẽt? vt locupletibus publico eſſent crimini diuitiæ. *Suidas.*

TRibus ac viginti vulneribus interfecto Cæſare, feliciſſimus omnium ad hãc diem ſucceſſit Octauius ex Actia Cæſaris nepte. Vindicatis enim patris interfectoribus, victorquè ciuilibus bellis omnibus, nouiſſimè Antonio ad Actium nauali pugna ſuperato, quo cum 12. annos rempub. tenuerat, triumphator orbis totius, pacisq; reſtitutor æternæ, per 4. ac 40. annos imperium rexit: vrbemq; Romam optimis inſtitutis ac legibus, magnificẽtiſſimisq; operibus

ribus ſic excoluit, vt meritò parẽs patriæ primus atque Auguſtus diceretur. Obiit Nolæ ſeptuageſimo ſexto ætatis anno, cum 56. imperaſſet. Ad cuius imperij felicitatẽ illud acceſſit, quòd ſeruator noſter Chriſtus lux gentium & orbis ſub eo naſci voluit: vt quem ſummis animi corporisq; dotibus principem clariſſimũ terris dederat, eodem etiam generis humani parens optimus & maximus naſceretur. Huius felicitas cæteris optata principibus. *Egnatius.*

TIBERIVS.



TIBERIVS ingenti ſocordia imperium geſſit, graui crudelitate, ſceleſta auaritia, turpi libidine. nam nuſquam ipſe pugnauit; bella per legatos ſuos geſſit. quoſdã reges ad ſe per blanditias euocatos, numquam remiſit; in queis Archelaum Cappadocem: cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximã ciuitatem appellari ſuo nomine iuſſit; quæ nũc *Caſarea* dicitur, cùm Mazaca antea vocaretur. Hic tertio & vigeſimo imperij anno, ætatis LXXXIII. ingenti omnium gaudio mortuus eſt in Cãpania. *Eutropius breuiarij lib. 6.*

Pranomen Tiberi nactus NERO prima iuuenta-
Tempora laudato geſſit in imperio.
Fruſtra dehinc ſolo Caprearum clauſus in antro,
Qua prodit vitijs, credit operta locis. Auſonius.

CLaudius Tiberius, Liuiæ filius, Cęſaris Octauiani priuignus, imperauit annos vigintitres. Iſte, quia *Claudius Tiberius Nero* dicebatur,

eleganter à iocularibus *Caldius Biberius Mero*, ob vinolentiam, nominatus est. Satis prudens in armis, satisque fortunatus ante sumtum imperiu sub Augusto fuit vt nō immeritò Reipublicæ dominatus ei committeretur. Inerat ei sciētia literarum multa. Eloquio clarior; sed ingenio pessimo, truci, auaro, insidioso, simulans ea se velle quę nollet: his quasi infensus, quibus cōsultum cupiebat; his vero quos oderat, quasi beneuolus apparens. Repētinis respōsionibus aut consilijs melior, quàm meditatis. Denique delatū a patribus principatū (quod quidē astu fecerat) fictè abnuere; quid singuli dicerent vel sentirēt, atrociter explorās. quę res bonos quosque pessum dedit. Æstimantes enim ex animo eū longa oratione imperialis molestiæ magnitudinē declinare, cùm sentētias ad eius voluntatem promunt incessère exitia postrema. Iste Cappadocas in prouinciā, remoto Archelao rege eorū, redegit. Gætulorū latrocinia repressit. Maraboduū Sueuorum regē callide circumuēnit. Cùm immani furore insontes, noxios suos pariter externosq; puniret, resolutis militię artibus, Armenia per Parthos, Mœsia à Dacis, Pānonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gētibus direptæ sunt. Iste post septuagesimum octauū annum, & mensem quartum, insidijs Caligulę extinctus est. *Sex. Aurelius Victor in Excerptis de vita & moribus Imperatorum Romanorum.*

DEin *Claudius Tiberius Nero*, in Augusti liberos è priuigno redactus arrogatione, vbi quæ metuebantur, satis tuta animaduertit, Imperiū cōplexus est cuius nomē astu obtinebat: subdolus & occultior; hisque sæpe simulando infensus,

infensus, quæ maximè cuperet. & insidiosè deditus, quæ odio erant ingenio ad repentina lōgè acriore. bonis initijs idem perniciosus; quæsitissimis in omnē ferè ætatē sexumq; libidinibus atq; atrociùs puniēs insontes, suos pariter externosq;. Adhuc dum vrbes & conuentus adhuc exsecratur. Capreas insulā quæsierat flagitijs obtentui. Quare solutis militiæ artibus, direpta pleraque iuris Romani: nihilque præter Cappadocas, idque inter exedra, in prouincia subactum, remoto rege Archelao; compressaq; Gætulorū latrocinia, quæ de Farnace duce passim proruperant. Prætorias, quæ dispersæ proximis municipijs, seu Romæ, quæque per domos habebantur, in castra apud Vrbem redegit; qua tenebantur, Præfecturam appellans, vel augens Prætorio. nā cæteros paritorū, Præsidesq;, Augustus instituerat. *S. Aurel. Victor de Cæsarib. part. 2.*

HVic successit *TIBERIVS* Cæsar qui imperauit annis XXIII. sub quo hi Consules fuerunt.

Drusus Cæsar & C. Norbanus.

Sisenna Statilius & L. Scribonius.

His COSS. Mathematici vrbe pelluntur.

L. Pomponius & C. Cæcilius.

Tib. Cæsar, & Germanicus Cæsar.

M. Silanus & C. Norbanus. *His COSS. Germanicus Cæsar in Syria mortuus.*

M. Valerius & M. Aurelius.

Tib. Cæsar, & Drusus Cæsar.

D. Haterius & C. Sulpicius

C. Asinius & C. Antistius. *His COSS. Drusus Cæsar publicè funeratur.*

Ser. Cornelius & L. Visellius.

M. Asinius & Cossus Cornelius.
C. Caluisius, & Cn. Gætulicus.
L. Piso, & M. Crassus.
Appius Silanus, & P. Silius.
C. Rubellius, & C. Fusius.
M. Vinitius, & L. Cassius.
Tib. Cæsar V. COS. & solus.
Cn. Domitius & Camillus Scribonianus. *His COSS. Dominus noster IESVS CHRISTVS passus est VIII. Calend. Apriles; & defectio Solis facta est, qualis antè vel postmodum numquam fuit.*
Vinitius & Longinus.
Sulpicius & Sylla.
Priscus & Vitellius.
Gallus & Nonianus. *His COSS. Persius Placcus Satyricus poëta Volaterris nascitur.*
Gallienus & Plautianus. *His COSS. Tiberius imperator in Campania moritur.* Cassiodorus.

Tiberius Octauij filius, Romanorũ Imperator, temere & amẽter imperiũ, crudelitate formidabili, auaritia detestanda & nefaria, turpique luxu, administrauit. Expeditiones enim omnes recusauit; per secundarum partiũ duces oscitanter atque sordidè hostibus aduersatus. Cùm autem malitiosus homo esset, nonnullos socios reges fraude circumuentos, regnis suis exuit: quorum de numero fuit Archelaus, Cappadocum rex; quem blandis & benignis ad se verbis vocatum, domum redire non passus est; sed in prouinciam redegit Cappadociam, & maximam eius loci vrbium quæ prius ab incolis Mazaca dicebatur, à sese cognominari iussit, vt quæ nostra ætate Cæsarea dicatur. Prouecta tamen ætate mortuus est. Tiberius Romano-


rum

rum Imperator, peculiari natura fuit præditus. Neque enim eorum quæ appetebat, quidquam præ se ferebat: & eorum quæ dicebat nihil facere volebat: sed cum verba voluntati suę contraria faceret, quicquid appetebat, recusabat; & quicquid oderat, amplectebatur. Magistratus, acerbiùs tributa exigentes, puniebat; dicens: *Oues meas tonderi volo, non deglubi*. Adeo fuit æquus, vt saltatorem, qui libertate sese donari petebat, voti compotem nō fecerit, priusquam dominus eius, pretio accepto, cōsensisset. Cum sodalibus priuati more viuebat, cumque ludebat, non adducto præsidio. Vetuit etiam ne quis serica veste vteretur. Sed subitò in peius ita mutatus est, vt mentis errore affici putaretur. Illud etiam vetus dictum vsurpauit; *Me mortuo conflagret terra incendio*: & Priamum beatum iudicabat, quòd cum patria & regno perijsset. *Suidas.*

TRistissimus omnium mortalium optimo principi successit Tiberius, Liuiæ vxoris magis impulsu, quàm Augusti iudicio: quippe cuius neque mores neque ingenium vnquam probasset; pertinaciam & infinitam eius sæuitiam pertæsus: principatum ab initio dissimulato ingenio & matris reuerentia, non incommodè gessit: mox Capreensi secessu luxuriæ ac cædibus vacans, cùm prouinciæ vndique vastarentur, Caligulæ nepotis astu & fraude perit octauo ac septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo imperij. Huius imperij anno duodeuigesimo Christum seruatorem nostrum Iudæi cruci affixerunt: ex quo ad supremam gentis internecionem nunquam seditione, fa-

me, ferro, peste laborari ab his desitum. *Egnatius.*

CALIGVLA.



Vccessit ei CAIVS CÆSAR cognomēto CALIGVLA, Drusi priuigni Augusti & ipsius Tiberij nepos: sceleratissimus ac funestissimus, & qui etiam Tiberij decoccoia purgauerit. Bellum contra Germanos suscepit: & ingressus Sueuiam, nihil strenuè fecit. Stupra sororibus intulit; ex vna etiam natam filiam cognouit. Cùm aduersum cunctos ingenti auaritia, libidine, crudelitate sæuiret, interfectus in palatio est, anno ætatis suæ XXXIX. imperij III. mense X. dieque VIII. *Eutropius Breuiarij lib. 6.*

Post hunc Castrensis caligæ cognomine Cæsar
Successit, sæuo sæuior ingenio.
Cædibus incestisq́, dehinc maculosus, & omni
Crimine pollutum qui superauit auum. Auson.

C*Aligula* imperauit annos quatuor. Iste, filius Germanici, qa natus in exercitu fuerat, cognomentū calciamēti militaris, id est *Caligula*, sortitus est. Ante principatū omnibus charus acceptusq; fuit in principatu verò talis, vt non immeritò vulgaretur, atrociorē illo dominū nō fuisse. Deniq; tres sorores suas stupro maculauit. Incedebat habitu deorū suorum: Iouem, ob incestu; e choro autē bacchanali, Liberū se afferebat. De quo nescio an decuerit memoriæ prodis

di; nisi fortè quia iuuat de principibus nosse omnia; vt improbi saltē famæ metu talia declinent. In palatio matronas nobiles publicę libidini subiecit. Primus diademate capiti imposito, *Dominū* se iussit appellari. In spatio triū millium, quod in sinu Puteolano inter moles iacet, duplici ordine naues contexens, arenæ aggestu ad terræ speciem viam solidatam, phalerato equo, insignis quercea corona, quasi triūphans indutus aureo paludamento, curru bijugi decucurrit. Dehinc à militibus confossus interijt. *Excerpta ex libris Sexti Aurelij Victoris.*

IGitur Claudio Tiberio iā insidijs oppresso, cum imperiū tres atq; viginti, æui octogesimū, vno minus, annos egisset, *Caius Cæsar*, cognomēto *Caligula*, auētibus cunctis deligitur, maiorum gratiæ parentisq;. Namq; per filiā proauus Augustus: genere materno, Agrippa; Drusus, Germanici pater, è quo is oriebatur, aui erant. Quorum modestia atq; immaturo, absq; Octauiani, interitu, vulgus, simul matris fratrumq;, quos Tiberius exitio interceperat, permouebatur. Qua caussa nitebātur omnes casum tātę familiæ lenire, adolescētuli spe: Tū quia natus in exercitu (vnde cognomentū calciamento militari quæsiuerat) legionibus carus acceptusque habebatur Præterea prudētissimus quisq; similē fore sui credebat; quod lōge secus. *quasi natura lege*, quæ crebrò tamquā ex industria malos è bonis agrestes e doctioribus, & cæteros huiusce modi seu cōtra gignit quo demū exēplo sapiētium plures caruisse liberis vtilius duxere. Cæterum in Caligula haud quaquā vero plurimū aberant; quippe qui diu immania animi ita

pudore ac parendi ſpecie obtexerat, vti meritò vulgaretur, neque meliores famulos neq; atrociorem dominum illo fuiſſe. Denique nactus poteſtatem, vti talia ingenia veteris ſolent anni menſibus, egregia ad populum inter partes cum militibus geſſit: delataque coniuratione, quaſi minus credens, prædicaret, vix conuenire in eum, cuius vita nullius oneri aut incommodò eſſet. Sed repentè cæſis primùm vario facinore innocentium paucioribus, tamquam belluæ hauſto ſanguine ingenium exercuit. itaque deinceps triennium conſumtum; cùm Senatus atque optimi cuiuſque multiplici clade, terrarũ orbis fœdaretur. Quinetiam ſororum ſtupro ac matrimonijs illudens nobilibus, Deorum habitu incedebat; cùm Iouem ſe ob inceſtum; ex thoro autem Bacchanali Liberum ſe aſſereret. Neque ſecus contractis ad vnum legionibus, ſpe in Germaniam tranſgrediendi, cōchas vmbilicosque in ora maris Oceani legi iuſſit: cùm ipſe nunc fluxo cultu Venerioque intereſſet; nunc armatus ſpolia à ſe nō ex hominibus, ſed cæleſtiū capi dictitaret. ſcilicet quòd huiuſmodi piſces, Græcorum dicto, quis augendi omnia ſtudium eſt, *Nympharum lumina* accepiſſet. His elatus, dominum dici, atque inſigne regni capiti nectere tentauerat. Qua cauſſa auctore Chærea moti, quibus Romana virtus inerat, tanta pernicie Remp. confoſſo eo leuare: prælatumq; excellēs Bruti facinus eiecto Tarquinio foret, ſi per Quirites modò militia exerceretur. verũ vbi ciues deſidia externos barbaroſq; in exercitum cogere libido inceſſit; corruptis moribus libertas oppreſſa, atq; habēdi auctum ſtudium.

Interim

Interim dum Senatus decreto gentem Cæsarum, etiam muliebri sexu, omnemq; affinitatẽ armati persequuntur, forte vnus ortus Epiri è cohortibus quæ palatiũ per opportunos locos obsidebant, Ti. Claudium occultantem se reperit deformi latebra: protractoque eo exclamat apud socios, si sapiant, adesse principem. Et sane, quia vecors erat, mitissimus videbatur imprudentibus. quæ res aduersum nefariam patrui Neronis mentem auxilio, neq; apud fratris filium Caligulam inuidiæ fuit. quinetiam militares plebisq; animos conciliauerat, dum flagrante suorum dominatione, ipse cõtemtui miserabilior haberetur. Talia plerisq; memorantibus, repente eum, nullo retractante, quæ aderant turbæ circumsistunt, simulq; affluebãt reliqui militum, & vulgi magna vis. Quod vbi Patres accepere, mittunt ocius ausum comprimere. Sed postquam variis tetrisque seditionibus ciuitas cunctique ordines lacerabantur, tamquam ex imperio omnes dedere se. Ita Romæ Regia potestas firmata, proditumq; apertius, *mortalium conatus vacuos à Fortuna cassosq; esse.* S. Aurèl. Victor de Cæsarib. part, 2.

HVic successit C. Cæsar, cognomento Caligula; qui regnauit annis tribus, & mensibus X. sub quo hi consules fuerunt:

Proculus & Nigrinus.

Iulianus & Asprenas.

Publicola & Nerua. *His COSS. Pilatus in multas incidẽs calamitates, propria se manu interfecit.*

Cæsar & Iulianus. *His COSS. C. Cæsar cognomento Caligula, à protectoribus suis occiditur in Palatio, anno ætatis XXIIII.* Cassiodorus.

CAligula.] Sic vocabatur Caius Romanorum imperator; quoniam à tenera ætate, maxima ex parte in castris educatus, militari vtebatur subligamine à caligis ergo Caligulam cum nominarunt. Aut Caligula dictus est Caius, propterea quòd in castris fuit natus: vt tradit Ælianus in libro de diuinis manifestationibus. ¶ Caius Cæsar, cognomento Caligula, dicendi artem Latinè scripsit. ¶ Caius Romanorum Imperator principio res imperij magnificè administrabat, & omnes subiectos populos, vt decet. Sed post biennium naturæ humanæ oblitus, patris imitatione se Deum fecit: suamq; statuam in omnes vrbes misit, in templis collocandam; itemq; in Hierosolymitanum templum: edictoq; sanxit, vt Iuuenis Caij templum diceretur. Seruorum quoq; dominatum instituit, lege lata, vt iis accusare dominos liceret, si quod peccatum eorum vidissent. Vnde ingens calamitas orbem terrarum omnem oppressit: cùm serui maximis pœnis dominos subiicerent. Quilibet enim cruciatus ab hero suo illatos, vlcisci voluit. Quinetiam nefario furore correptus, vestes muliebres induebat, & comam plicis quibusdam ornãdo, & fœminas imitando, & omnia flagitia perpetrando, festa quædam excogitabat & initia peregrina peragebat. Ac aliquando filia sua in gremio simulacri collocata, *Hanc tu,* inquit, *genuisti, & pater eius legitimus es.* Vsq; adeo porro impurus & nefarius extitit, tantamque scelerum seriem connexuit, vt Tiberij delicta onerauerit. Nam quæ Augustus longo tempore acquisierat, hic vno effudit die. Atque omnium maximus adulter, vxores

vxores desponsas & nuptas capiebat. Nutricem suam, has intemperias castigantem, ad voluntariam necem compulit. Sororum consuetudine vsus est, & incesto coitu: ex earum vna prolem suscepit: eiq;, vt semideæ, templa extrui & immolari iussit. Tali Imperatori Romani traditi sunt: vt Tiberij facinora quamuis atrocissima visa, Caius tantum superarit, quantum Tiberius Augusti. Hic post Tiberium regnauit, cognomento Caligula. *Suidas.*

PRæfuit hic Reipublicæ annos quatuor, magis in Germanici patris gratiam populo ac militibus commendatus, quàm ingenio suo. primus enim à Cæsarum stemmate penitus degenerauit, vt non immeritò fax humani generis dictus sit. certè vox eius nefaria excepta, vnã ceruicem populo Romano optantis, quò faciliùs vno ictu abcidi posset. Cassij Chereæ & aliorum coniuratione ferro occubuit, annum agens XXVIII. de quo sit dictum, nec meliorem ab initio principem nec peiorem postea fuisse. *Egnatius.*

CLAVDIVS.

POst hunc CLAVDIVS fuit patruus Caligulæ, Drusi, qui apud Mogontiacum monumentum habet, filius; cuius & Caligula nepos erat. Hic medie imperauit; multa gerens tranquille atq; moderate, quædã crudeliter atque insulse. Britanniæ intulit bellum, quam nullus Romanorum post Iulium Cæsarem attigerat: eaque deuicta per Cnæum

Sentium & Aulum Plautium, illuſtres & nobiles viros, triumphum celebrem egit. Quaſdam inſulas etiam vltra Britanniam in Oceano poſitas, Romano imperio addidit; quæ appellantur Orcades: filioq; ſuo *Britannici* nomen impoſuit. Tam ciuilis autem circa quoſdam amicos exſtitit, vt etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa ac egregia fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur, & conſcēdenti Capitolium læuus incederet. Is vixit annos LXIIII. imperauit XIIII. poſt mortem conſecratus eſt, *Diuusq;* appellatus. *Eutrop. Breuiar. lib. 6.*

Claudius irriſæ priuato in tempore vita,
In regno ſpecimen prodidit ingenij.
Libertina tamen nuptarum & carmina paſſus,
Non faciendo nocēs, ſed patiendo fuit. Auſon.

CLaudius Tiberius, Druſi, Tiberij fratris, filius, Caligulæ patruus, imperauit annos quatuordecim. Iſte, cùm ſenatus cenſuiſſet, gentem Cæſarum exterminari, deformi latebra latens, repertus à militibus, quia vecors erat, & mitiſſimus videbatur imprudentibus, Imperator effectus eſt. Hic ventri, vino, libidini fœdæ obediens, vecors & propè hebes, ignauus ac pauidus, libertorum & coniugis imperiis ſubiectus fuit. Huius tempore *Scribonianus Camillus* intra Dalmatias Imperator creatus, continuò occiditur. Mauri prouinciis acceſſere. Cæſa Muſulamiorum manus eſt. *Aqua Claudia* Romæ inducta. Huius vxor Meſſalina primò clàm, mox paſſim, quaſi iure, adulteris vtebatur. Ex quo facto plures, metu abſtinentes, exſtincti ſunt. Dehinc atrociùs accenſa, nobiliores quaſque nuptas & virgines,

virgines, scortorum modo secum proposuerat: coactiq; mares vt adessent. Quod si quis talia horruerat, adficto crimine, in ipsum, omnemq; familiam eius sæuiebatur: vt magis videretur sub Imperatore, viro, quàm Imperatori, nupta esse. Ita liberti eius potestatem summam adepti, stupris, exsilio, cæde, proscriptionibus, omnia fœdabant. Ex quibus *Felicem* legionibus Iudeæ præfecit: *Posidio* eunucho post triumphum Britannicum, inter militarium fortissimos, arma insignia tamquam participi victoriæ dono dedit. *Polybum* inter consules medium incedere fecit. Hos omnes anteibat *Narcissus* ab epistolis; dominum se gerens ipsius domini: *Pallasq;* prætoriis ornamentis sublimatus: adeo diuites, vt causante eo inopiam fisci, lepidissimè famoso elogio vulgatum sit, Abunde ei pecuniam fore, si à duobus libertis in societatem reciperetur. Huius temporibus visus est apud Ægyptum *Phœnix*: quam ferunt volucrem anno quingētesimo ex Arabia memoratos locos aduolare: atque in Ægæo mari repentè insula emersit. Hic Agrippinam, Germanici fratris sui filiam, vxorem duxit: quæ filio imperium procurans, primò priuignos insidiis multiformibus, dehinc ipsum coniugem veneno interemit. Vixit annos sexaginta quatuor. cuius funus, vt quondam in Tarquinio Prisco, diu occultatum. Dum arte muliebri corrupti custodes ægrum simulant, Nero priuignus eius, imperij iura suscepit. *Excerpta ex libris Sexti Aurelij Victoris.*

IGitur *Claudius*, quamquam ventri fœdè obediēs, vecors iuxtà atq; immemor, pauidusq;

animi & ignauior esset; pleraque per formidinem tamen egregiè consultabat, Nobilitatis præcipuæ consiliis, quæ metu colebatur: Quippe *stolidorum ingenia* proinde agunt, vti monitores sunt. Denique bonis auctoribus compressa per eum vitia, ac per Galliã Druidarum famosæ superstitiones: lata iura quàm commodissima; curatum militię officium: retenti fines seu dati imperio Romano: Mesopotamia per Orientem; Rhenus Danubiusq; ad Septemtrionem; & à Meridie Mauri accessere prouinciis, demtis regibus post Iubam: cęsaq; Musalamiorum manus; simul, vltima occasus, Britanniæ partes contusæ; quam solam adiit, Ostiã profectus mari. nam cætera duces curauere. Adhuc annonæ egestas composita; quam Caligula induxerat: dum adactis toto orbe nauigiis, peruium mare theatris curribusq; damno publico efficere contendit. Neq; secus censu nouato, cùm Senatu motis pluribus, lasciuũm adolescentem, quem sibi probatum parens asseruerat, retinuisset, Censorem & liberis patrem debere esse, rectè adiecerat. Ast vbi Messalinæ coniugis, simulque libertorum delinimentis, quibus semet dediderat, in prauum abstractus; non illa modò tyrannorum admissa, verùm quæ postremum genus mulierum atq; seruile quibat facere viro amenti dominoq;. Namque vxor primò passimq;, quasi iure, adulteris vtebatur: eoque exstincti cum suis plerique, ingenio seu metu abstinentes; dum peruagatis mulierum artibus peti se à petitis criminatur. Dehinc atrociùs accẽsa, nobiliores quasq; nuptas, & virgines, scortorũ modo secum prostituerat: coactique

coactique mares vti adessent. Quòd si qui talia horruerant, afficto crimine, in ipsum omnemq; familiam sæuiebatur. Namque Claudium vti supra docuimus, natura performidolosum, iniecto metu sui agitabant, maxime coniurationis. Quo commento liberti etiam, quos vellent, perditum ibant. Qui primò sceleribus collubẽtes, vbi pares patronæ facti sunt, eam quoque ignaro, quasi iubente tamen domino, per satellites interfecere. Et sane in id progressa mulier erat, vti, animi ac pellicum gratia Ostiã profecto, Romæ nuptias cum altero frequentaret, & hinc notior, dum mirum videtur apud Imperatorem virum, quam Imperatori nuptam esse. Ita liberti potestatem nacti summam stupris, exilio, cæde, proscriptionibus, omnia fœdabant, eoque herilem stultitiam perpulere, vti senex fratris filiam in nuptias concupisceret. Quæ quamuis superiore absurdior haberetur, ideoq; paria extimesceret; veneno coniugem interemit. Huius anno sexto, cùm quatuordecim regnarit, octingentesimus Vrbis mirè celebratus visusq; apud Ægyptum Phœnix; quam volucrem ferunt anno quinquagesimo ex Arabis memoratos locos aduolare. atque in Ægæo mari repente insula ingens emersit, nocte qua defectus Lunæ acciderat. Tetrum funus, vti quondam in prisco Tarquinio diu occultatum; dum arte mulieris corrupti custodes, ægrum simulant, atque ab eo mandatam interim priuigno, quem paulò antè in liberos adsciuerat, curam Reipublicę. *S. Aurel. Victor de Cæsarib. part. 2.*

HVic successit *Claudius* qui imperauit annis XIII. mensibus VIII. diebus XXVIII. sub quo hi consules fuerunt:

Cæsar II. & Saturninus.

Secundus & Venustus. *His COSS. Petrus Apostolus Romam mittitur; vbi Euangelium prædicans XXV. annis eiusdẽ vrbis episcopus perseuerat.*

Tiberius & Gallius.

Crispinus & Taurus. *His COSS. Claudius de Britannis triumphauit, & Orcadas insulas Romano adiecit imperio.*

Vinitius & Cornelius. *His COSS. inter Theram & Therasiam exorta est insula, habens stadia XXX.*

Asiaticus & Cornelius. *His COSS. descriptio Romæ facta est, & inuenta sunt ciuium Romanorum centena millia, & XLIIII. Thracia hucusq; regnum, in prouinciam redigitur.*

Tiberius II. & Vitellius.

Vitellius II. & Publicola.

Verannius & Gallus.

Vetus & Seruilianus.

Claudius & Orphitus.

Syluanus & Syluius.

Tiberius III. & Antoninus.

Silanus & Otho. *His COSS. Claudius moritur in Palatio, anno ætatis LXIV.* Cassiodorus.

CLaudius, ex homine priuato Imperator, ingenio nõ malo fuit, sed & in disciplinis ita exercitato, vt quædam conscripserit: corpore verò morbido, & capite & manibus tremulis. Eaq; de causa voce etiam hæsitabat: neque omnia quæ in senatum afferret, ipse recitabat, sed quæstori dabat, vt is publicè pronuntiaret.

Quæ au-

Quæ autem ipse legebat, sedens ferè recitabat. Primus etiam Romanorum sella tecta vsus est. Neq; tamen tam propter vitia corporis, quàm propter libertorum & mulierum consuetudinem malè habebat. Apertissime enim a mulieribus regebatur; vt à puero seuerè & in timore educatus. Proptereaq; maiorem vera simplicitatem præ se ferebat : id quod & ipse fatebatur. Quia enim longo tempore cum nutrice & matre vixerat, in cœtu mulierum versatus, nihil ingenuum & liberale habebat. Insidiabantur autem ei tum in cõuiuiis, tum in venereis congressibus. Vtriusque enim rei erat insatiabilis: eoq; tempore facilè poterat expugnari. Adhæc etiam formidolosus erat: ac metu attonitus, nullam officij rationem habebat. nam & illum perterrefaciendo, & aliis metum incutiendo, quæstum faciebant. Quamuis autem talis esset, non pauca tamē rectè fecit, cum his affectibus liber erat. Claudius, Romanorum Imperator, legem tulit, ne senatori vltra septimum ab vrbe lapidem iniussu Imperatoris abesse liceret. Et, cùm quidam seruos ægrotantes prorsus negligerent, atque ædibus expellerent etiam, quicumq; ex iis incolumes euasissent, eos liberos esse iussit. Vetuit etiam, ne quis in curru sedens, per vrbem inueheretur. Cùm sub eo Iudęi seditionem contra Christianos mouissent, Claudium Felicem eis præfecit, eosq; punire iussit. Qui cùm in templo conuenissent, vox ex adytis audita est, dicens, *Migremus hinc*; idq; factum est tertiū, ex quo internecione deleti sunt. *Suid.*

NEscias in hoc principe quid primum accuses, adeo vecordia cum sæuitia, ac luxu-

ria certabant: qui fato potius ac fortunæ ludibrio ad imperium cùm latitaret extrema pertimescens, interfecto Caligula venerit. quod nō minore socordia quàm crudelitate per annos quatuordecim vexarit Quanta fuerit eius stultitia, hinc aduertas. Messalina vxor portentosæ libidinis fœmina C. Silio nupserat: qua vix interfecta, Agrippinam Germanici fratris filiam nouo exemplo nouercam liberis duob. superinduxit, & Britannico filio priuignum Neronē antepofuit: cuius insidiis & Agrippinæ veneno in boleto dato periit senex, ætatis anno sexagesimo quarto. *Egnatius.*

NERO.

NERO, quem turpissimum Imperatorem Romana est passa Respublica, amisit Armenias duas: tum Romanæ legiones duæ sub iugum à Parthis missæ, extremo dedecore Romani exercitus sacramenta fœdarunt. *Ex Sexti Rufi libello ad Valentinianum.*

SVccessit huic *Nero*, Caligulæ auunculo suo simillimus: qui imperium Romanum & deformauit, & diminuit: inusitatæ luxuriæ sumptuumque, vt qui exemplo Caij Caligulæ, calidis & frigidis se lauaret vnguentis, retibus aureis piscaretur, quæ blatteis funibus extrahebat Infinitam partem Senatus interfecit; bonis omnibus hostis fuit. ad postremum se tāto dedecore prostituit, vt saltaret & cantaret in scena citharœdico habitu & tragico. parricidia multa

multa cõmisit fratre, vxore, matre interfectis. vrbem Romã incendit, vt spectaculi eius imaginem cerneret, quali olim Troia capta arserat. In re militari nihil omnino ausus, Britanniam penè amisit. Nam duo sub hoc nobilissima oppida capta illic atque euersa sunt: Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub iugum miserunt. Duæ tamen prouinciæ sub eo factæ sunt; Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone; & Alpes Cotiæ, Cotio rege defuncto. Propter hoc Romanæ vrbi exsecrabilis, ab omnibus simul destitutus, & à Senatu hostis iudicatus, quum quæreretur ad pœnam (quæ pœna erat talis, vt nudus per publicum ductus, furca capiti eius inserta, virgis vsq; ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de saxo) è palatio fugit: & in suburbano se liberti sui, quod est inter Salariam & Numentanam viam, ad quartum vrbis milliarium, interfecit. Is ædificauit Romæ thermas, quæ ante *Neronianæ* dictæ nunc *Alexandrinæ* appellantur. Obiit trigesimo & altero ętatis anno, imperij XIIII. atq; in eo omnis familia Augusti consumpta est. *Europ. Breuiarij lib. 7. ad Valentem.*

Æneadum generis qui sextus & vltimus heros,
Polluit, & clausit Iulia sacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoq; crimina vitæ:
Disce ex Tranquillo quæ meminisse piget. Auson.

D*Omitius Nero*, patre Domitio Ænobarbo genitus, matre Agrippina, imperauit annos tredecim. Iste quinquennio tolerabilis visus. vnde quidam prodidere, Traianum solitum dicere, procul distare cunctos principes à Neronis quinquennio. Hic in vrbe am-

phitheatrum & lauacra construxit. Pontum in ius prouinciæ, Polemonis reguli permissu redegit; à quo *Polemoniacus Pontus* appellatus est: itemque *Cottiæ alpes*, Cottio rege mortuo. Eo namq; dedecore reliquum vitæ egit, vt pudeat memorare huiuscemodi quemquam. Eo progressus est, vt neq; suæ, neq; aliorum pudicitiæ parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam conuocato senatu dote dicta, cunctis festa de more frequentantibus, nuberet. Pelle tectus feræ, vtriq; sexui genitalia vultu contrectabat. Matrem etiam stupro contaminauit: quam postmodum interemit. Octauiam, & Sabinam cognomento Poppæam, in matrimonium duxit, viris earum trucidatis. Tunc *Galba* in Hispania procul, & Caius Iulius, imperium corripuere. Vbi aduentare Nero Galbam didicit, senatusq; sententia constitutum, vt more maiorum collo in furcam coniecto, virgis ad necem cæderetur: desertus vndique, noctis medio, egressus Vrbem, sequentibus Phaône, Epaphrodito, Neophytoq;, & spadone Sporo, quem quondam Nero exsectum formare in mulierem tentauerat, semet ictu gladij transegit, adiuuante trepidantem manū impuro, de quo diximus, eunucho Sporo: cùm sanè priùs nullo reperto à quo feriretur, exclamaret; *Itane nec amicum habeo, nec inimicum? dedecorosè vixi, turpiùs peream.* Periit anno ætatis tricesimo secundo. Hunc Persæ intantum dilexerunt, vt legatos mitterent, orantes copiam construendi monumenta. Cæterùm adeo cunctæ prouinciæ omnisq; Roma interitu eius exsultauit, vt plebs induta pileis manumissionū,

tamquam

tamquam [illegible]uo exemta domino, triumpharet.
Excerpt[illegible] ex [illegible]ris Sexti [illegible]urelij Victoru.

EO modo *L. Domitius* (nam id certè nomen Neroni patre Domitio, erat) Imperator factus est. Qui cum longe adolescēs dominatum parem annis vitrico gessisset, quinquenniū tamen tantus fuit augenda vrbe maximè, vti meritò Traianus sæpius testaretur, *procul differre* cunctos Principes Neronis quinquennio: quo etiam Pontum in ius prouinciæ, Polemonis permissu, redegit; cuius gratia *Polemoniacus Pontus* appellatur: itemq; *Cottias Alpes*, Cottio rege mortuo. Quare satis compertum, *neq; æuum* impedimento virtuti esse: eam facile mutari, corrupto per licentiam ingenio: omissamque adolescentiæ quasi legem, perniciosius repeti. Namq; eo dedecore reliquum vitæ egit, vti pigeat pudeatq; memorare, huiuscemodi quemquam, nedum rectorem gentium, fuisse. Qui dum psallere per cœtus, Græcorum inuento, in certamē coronæ cœpisset; eò progressus est, vti neque suæ, neque aliorum pudicitiæ parcēs, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam Senatu, dote data, cunctis festa more celebrantibus, in manum conueniret lecto ex omnibus prodigiosis. Quod sane in eo (narrantur scelera Neronis) leuius æstimandū. Quippe, noxiorum vinctis modo, pelle tectus feræ, vtriq; sexui genitalia vultu contrectabat; exactor parium maiore flagitio. Atq; inter hæc matrem etiam contaminauisse plures habent; dum ea quoq; dominandi ardore, scelere quolibet subiici filium cupit. Id ego, quamquam scriptoribus diuersa firmantibus, verum puto.

S. Aurel. Victor.

Namq; *vbi mentem* inuaserint vitia, nequaquã verecundiæ externis societate humanius datur peccandi consuetudo, noua, & eo dulciora, affectans, ad extremum in suos agens. quod his proditum magis, dum quasi quodam progressu, illa, per alteros ad patrui nuptias, atq; alienorum cruciatibus, mariti exitium: hic, paulatim ad sacerdotem Vestæ, deinde in se, postremò vterq; in sui scelus processerunt. Neq; blandimentis talibus tamen coalescere potuêre; sed eo præceps dati, dum insidiantur inuicem, mater peruersa interiit. Igitur cùm omne ius fasq; parricidio triuisset, ac magis magisq; in optimos sæuiretur, coniurauêre plures varia sane tempestate, ad liberandam Rempubl. Quis proditis cæsisque immanior, vrbem incendio, plebem feris vulgò emissis, Senatum pari morte tollere decreuerat, noua sede regno quæsita, maximeque incitante legato Parthorum; qui fortè inter epulas, aulicis, vti mos est, canentibus, cùm sibi citharistam poposcisset; responso dato, liberum esse adiecerat, sumeret ipse quem vellet è suis; ostentans qui conuiuio aderant: quòd *liber sub* imperio nullus haberetur. Ac ni Galba, qui Hispaniæ præsidebat, cognito mandatum sui exitium, quamquam senecta ætate, imperio correpto subuenisset; tantum facinus haud dubiè patraretur. Verùm eius aduentu desertus vndiq;, nisi ab spadone, quem quondam exsectum formare in mulierem tentauerat, semet ictu transegit; cùm implorans percussorem, diu ne ad mortem quidem meruisset cuiusquam officium.

Hic finis Cæsarum genti fuit: quem fore, prodi-

prodigiorum multa denunciauere præcipueq; eorum ortu lauri nemus dictum triumphantibus; atq; interitus gallinarum, quæ adeo multæ albæq; aptiores erant religionibus, vt iis Romæ habeatur hodie locus. *S. Aurel. Victor de Cæsarib. part. 2.*

HVic successit *Nero*, qui regnauit añis XIII. mensibus VII. diebus *XXVII.* sub quo hi consules fuére:

Silanus II. & Antoninus II.

Marcellinus & Auiola. *His COSS. sanctus Paulus Apostolus Romã vinctus à Felice Iudæa præside destinatur. Probus etiam eruditissimus grammaticus Romæ cognoscitur. Vrsulus Tolosensis celeberrime in Gallia Rhetoricam docet.*

Nero & Vetus.

Nero II. & Piso.

Nero III. & Messala,

C. Capito & Apronius.

Nero IIII. & Cornelius.

Pius & Turpilianus.

Macrinus & Gallus,

Crassus & Bassus. *His COSS. Thermæ à Nerone ædificatæ quas Neronianas appellauit; cuius odio, mutato vocabulo, nunc Alexandrinæ nominantur.*

Syluanus & Paulinus. *His COSS. Nero, vt similitudinem Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem Romanæ vrbis incendit.*

Celsinus & Apuleius. *His COSS. duæ prouinciæ factæ sunt Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto:*

Telesinus & Paulinus.

Capito & Rufus.
Italicus & Turpilianus.
Syluanus & Otho. *His COSS. Romæ sanctus Petrus & Paulus Apostoli trucidati sunt à Nerone; qui turpiter viuens, cùm à Senatu quæreretur ad pœnam, è Palatio fugiens, ad quartum vrbis miliarium in suburbano Nomentana via sese interfecit, anno ætatis XXXII.* Cassiodorus.

NEro, cùm adhuc iuuenis esset, philosophis operam dabat, & de Christo quædam discebat. adhuc enim eum inter homines habitare putabat, sed cùm à Iudæis crucifixum esse intellexisset, indignè tulit; mandauitq; vt venirent sacerdotes Annas & Caiphas, & ipse Pilatus, qui tunc præfectus erat, ferro vincti, & cùm in senatu consedisset, quæ de illo acta essent, audiebat. Annas igitur & Caiphas dicebant, se legibus obtemperantes illum tradidisse, nec lęsæ maiestatis esse reos: prętorem enim potestate præditum, quæ voluisset egisse. Nero igitur indignatus, Pilatum in carcerem coniecit: Annam verò & Caipham dimisit. Tum Simon quoque magus florebat, & cùm Petrus & Simon præsente Nerone, inter se disputarent; eductus est è carcere Pilatus. Hi tres cùm adstarent, Nero Simonē interrogat, Num tu es Christus? Ille verò se esse ait. Deinde & Petrum, num ipse esset Christus? Ille negat. *Me enim*, inquit, *astante in cœlum sublatus est.* Tum Pilatum rogat vter horum esset is qui Christus diceretur? is verò, *Neuter*, inquit, *nam Petrus quidem discipulus eius fuit, & apud me pro discipulo eius delatus, cùm eum nescire se diceret, quis homo esset, dimissus, Simon verò iste nequaquam mihi notus est, neq; vllam*

vllam habet cum illo similitudinem. Nam hic quidem & Ægyptius est, & corpulentus, & densis capillu, & niger, omninoq; ab illius forma alienus. Iratus igitur Imperator Simoni quidem, quòd mentitus esset, seq; Christum esse dixisset: Petro autem qui negasset magistrum: eos è concilio eiecit. Pilato verò caput amputauit; qui tantũ hominem iniussu Imperatoris interficere non dubitasset. Nero Imperator Romanorum, principatu confirmato, ad impias actiones deuiauit; & rebus ab imperio alienis operam dedit; cithara ludens, tragœdias recitans, & saltans in theatris: atq; pietatis etiam odium adiunxit; primus scilicet diuini sermonis persecutor. Posthæc sustulit & matrē & semetipsum. Alexander Ægæus philosophus Peripateticus, præceptor fuit Neronis Cæsaris, vnà cum Chæremone philosopho. Hic Neronem vocabat lutum sanguine maceratum. Malorum discipulorum, vt opinor, peiores fuerunt magistri. Virtus enim doceri & vitium excoli potest *Suidas.*

FAx altera totius orbis iure à nobis dicatur, qui ex Domitio atq; Agrippina natus, imperij Romani maiestatem paterna, maternaq; cæde polluit libidinis adeo effrenatæ, vt matris cōcubitum appetiisse credatur. ipse certè sumpto flammeo nuptiali sponsalia celebrauit. sæuitiæ tantæ, vt præter vrbis incendium, & vxoris Octauiæ cædem, primus Christianum sanguinem Petro & Paulo interfectis hauserit. Et ne quid scelerum deesset, publicè cantauit, in scenaq; operam exhibuit. Tandem deficiente Galba hostis à senatu iudicatus, nec fortiter perire potuit, adiutus alterius adigendo ferro

manu.periit ætatis anno tricesimo ſecundo,imperij decimoquarto. Quinquennio ſub initia omnium princeps optimus exiſtimatus, etiam Traiani teſtimonio,procul diſtare cęteros principes à Neronis quinquēnio,prædicātis. *Egnat.*

GALBA.



Vic SER. GALBA ſucceſſit,antiquiſſimæ nobilitatis Senator. cùm LXXIII. annum ageret ætatis, ab Hiſpanis & Gallis Imperator electus,mox ab vniuerſo exercitu libenter acceptus eſt. Nam priuata eius vita inſignis fuerat militaribus & ciuilibus rebus; ſæpe conſul,ſæpe pro conſule; frequenter dux in grauiſſimis bellis. Huius breue imperium fuit,& quod bona haberet exordia;niſi ad ſeueritatem propenſior videretur. Inſidiis tamen Othonis occiſus eſt, imperij menſe ſeptimo; iugulatus in foro Romæ. ſepultusque in hortis ſuis, qui ſunt Aurelia via, non longè ab vrbe Roma. *Eutropius Breuiarij lib 6.*

Spem fruſtrate ſenex, priuatus ſceptra mereri
Viſus es,imperio proditus inferior.
Fama tibi melior iuueni: ſed iuſtior ordo eſt,
Complacuiſſe dehinc,diſplicuiſſe prius. Auſonius.

GAlba,nobili *Sulpiciorum* genere progenitus, imperauit menſes ſeptem,dieſq; totidem. Iſte in adoleſcentes infamis ad veſcendum intemperans fuit: trium amicorum conſilio, id eſt Vinij,Cornelij & Icellij, cuncta diſponens; adeo vt intra Palatinas ædes pariter habitarēt,

& vulgo

& vulgo *pædagogi* dicerentur. Hic ante sumtam dominationem multas prouincias egregiè administrauit, militem seuerissimè tractans; ita vt ingresso eo castra, vulgaretur statim; *Disce miles militare; Galba est, non Gætulicus.* Cùm septuagesimũ tertium ætatis annum ageret, dum factione Othonis accensas legiones lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium cæsus est. *Excerpta ex libris Sexti Aurelij Victoris.*

AT *Galba*, haud secus nobilis è gente clarissima Sulpiciorum, vbi Romã ingressus est, quasi luxurię aut etiam crudelitati auxilio ventitasset; rapere, trahere, vexare, ac fœdum in modum vastare cuncta, & polluere. Quis rebus intestabilior (dum *grauiùs offendunt* quos molliùs consulturos spes erat) simul quia opes militum, nimis pecuniæ cupidus attenuauerat, Othone auctore interficitur: qui prælatum adoptione eius Pisonem impatientiùs dolens, accensas cohortes armatasque in forum deduxerat. Quò cùm lorica tectus Galba tumultum leniturus contenderet; ad lacum Curtium cæsus est, mense Imperij ac die septimo. *S. Aurel. Victor de Cæsarib parte 2.*

HVic successit *Galba*; qui regnauit mensibus VII. Post hunc Otho. Post Vitellius, qui omnes infrà scriptos duos Consules tenuerũt. Vespasianus & Titus. *Cassiodorus.*

NObilissima Sulpitiorum familia natus, ac per omnes dignitatis gradus ad procõsulatum Hispaniæ euectus, iam grandis natu imperium septimestre maiore hominũ ab initio fauore quàm læto successu tenuit. Auaritia & sæuitia in eo principe iuxtà infames: ex quo

inuisus cunctis, cùm Pisonē in cōflatæ inuidiæ remediū adoptasset, annos septuaginta natus in medio foro à M. Othone iugulatur. *Egnatius.*

OTHO.



THO, occiso Galba, inuasit imperium: materno genere nobilior quàm paterno, neutro tamen obscuro: in priuata vita mollis, in imperio documētum sui non potuit ostendere. Nam cùm iisdem temporibus quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius factus esset à Germanicianis exercitibus Imperator, bello cōtra eum suscepto, cùm apud Bebriacum in Italia leui prælio victus esset, ingentes tamen copias haberet, sponte semetipsum occidit. petentibus militibus, ne tam citò de belli desperaret euentu, cùm tanti se non esse dixisset, vt propter eum ciuile bellum commoueretur, voluntaria morte obiit, trigesimo & octauo ætatis anno, nonagesimo & quinto imperij die. *Eutropius Breuarij libro 6.*

Æmula polluto gesturus sceptra Neroni
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit, qui morte decora
Hoc solum fecit nobile, quòd periit. Ausonius.

Saluius Otho splendidis ortus maioribus, ex oppido Ferentino; imperauit menses quatuor: vita omni turpis, maxime adolescentia. Hic à Vitellio primū apud Placentiam, dehinc apud Bebriacum victus, semet gladio transfixit anno ætatis tricesimo septimo: adeo amabilis militibus propriis, vt plerique corpore

eius viso, suis manibus interierint. *Excerpta ex libris Sexti Aurelij Victoris.*


IGitur *Saluius Otho*, Neroni quoque quondam criminosè familiaris, haud multo fine adolescentiæ grandior, potētiam inuadit. Qui dies fere quinq; & octoginta præcognitis moribus potitus, postquam a Vitellio, qui è Gallia descenderat, Veronensi prælio pulsus est; mortem sibi consciuit. *S. Aurelius Victor de Cæsarib. part. 2.*

POst hunc *Otho* regnauit mensibus III. diebus V. *Cassiodorus.*

O*Tho*, post Galbam imperauit; homo generis ignobilis & obscuri, & superiori tempore minime illustris, Neroni ob similem vitæ morumque intemperantiam familiarissimus. Verùm in imperio consueta vti vitæ ratione non potuit, cùm difficilia in eum bella erupissent. *Suidas.*

MAlè partum principatum *Otho* adeptus, & aduersa per omnem ætatem fama, laudabili fine clausit. Dum enim quarto vix mense exacto Bebriacensibus campis bellum ciuile contra Vitellij duces execraretur papillam pugione sibi transfixit: adeo militibus charus, vt multi ad eius exemplum, ante mortui pedes semet interfecerint. Vixit annos triginta septem. *Egnatius.*

VITELLIVS.



DEin VITELLIVS imperio potitus est, familia honorata magis quàm nobili. nam pater eius non admodum clarè natus, tres tamē ordinarios gesserat consulatus. Hic cum multo dedecore imperauit, & graui sæuitia notabilis, præcipuè ingluuie & voracitate: quippe cùm de die sæpe quartò vel quintò feratur epulatus. notissima certè cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit: in qua super cæteros sumptus, duo millia piscium, septem auium millia apposita traduntur. Hic cùm Neroni similis esse vellet, atque id adeo præ se ferret, vt etiàm exsequias Neronis, quæ humiliter sepultæ fuerant, honoraret, à Vespasiani ducibus occisus est, interfecto priùs Sabino Vespasiani Imperatoris fratre; quem cum Capitolio incendit. Interfectus autem, & cum magno dedecore tractus per vrbem Romam publicè, nudus, erecta coma & capite, subiecto ad mentum gladio; stercore in vultum & pectus ab omnibus obuiis appetitus: postremò iugulatus, & in Tiberim deiectus, etiam communi caruit sepultura. Periit autem ætatis anno septimo & quinquagesimo, imperij mēse VIII. & die vno. *Eutrop. Breu. li. 6.*

Vita fors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæsar, sic sibi fata placent.
Vmbra tamē breuis imperij: quia præmia regni
Sæpe indignus adit, non nisi dignus habet Auson.

V*Itellius*, ortus familia nobili, patre Lucio Vitellio ter consule, imperauit menses octo.

Iste mente crudelis, auarusque cum profusione fuit. Huius tempore *Vespasianus* in Oriente principatum arripuit: à cuius militibus certamine sub muris Vrbis habito superatus, è palatio, quò se abdiderat, Vitellius, vinctis à tergo manibus, productus, circumducitur ad spectaculum vulgi. Ac, ne homo impudens, in extremis saltem, malorum, quæ gesserat, rubore faciem demitteret, subiecto in mentum gladio, seminudus, multis cœno, fimo, & cæteris turpioribus dictu purgamentis, vultum eius incessentibus, per scalas Gemonias trahitur: vbi Sabinum Vespasiani fratrem necari permiserat. numerosis ictibus confossus interiit. Vixit annos quinquaginta septem. Hi omnes, quos paucis attigi, præcipuè Cæsarum gens, adeo litteris culti atque eloquentia fuere, vt, ni cunctis vitiis, absque Augusto, nimij forent, profectò texissent immodica flagitia. *Excerpta ex libris Sexti Aurelij Victoris.*

ITa ad *Aulum Vitellium* potestas delata; quæ progressu funestior talibus initiis foret, si Vespasianus aliquamdiu Iudæorũ bello, quod Neronis iussu susceperat, impensius attineretur. Is vbi gesta per Galbam, ipsumque oppressum accepit; simul quoniam legati Mœsiæ, Pannoniciq; exercitus hortantium venerant, Imperium capit. Namq; milites prædicti, postquam Othonem prætoriis, Vitellium Germanicianis legionibus factum comperere, æmuli, vt inter se solent, ne dissimiles viderentur, Vespasianum perpulere; in quem iam Syriacæ cohortes ob egregia vitæ consenserant. Quippe Vespasianus noua Senator familia, Reatinis

maioribus, induſtria rebusque pacis ac militiæ longè nobilis habebatur. Huius legatorum in Italiam tranſgreſſu, fuſisque apud Cremonam ſuis, Vitellius ab Sabino Vrbi præfecto, Veſpaſiani fratre, ſeſtertium millies pepigerat, arbitris militibus Imperio decedere: ſed poſtquam mox circumuentum ſe nuntio ratus eſt, quaſi renouato furore, ipſum cæterosq; aduerſæ partis, cum Capitolio, quòd ſaluti remedium ceperant, cremauit. Aſt vbi vera eſſe, ac propinquare hoſtes patefactū eſt; productus è tugurio, quo ſe abdiderat, ianitoris iniecto laqueo, parricidarum more, ad ſcalas Gemonias, perq; eas pertractus; ſimul ictibus, quantum quiſq; valuerat, confoſſo corpore, in Tiberim deiicitur tyrannidis octauo menſe; annos natus ſeptuaginta, & quinque amplius.

Hi omnes, quos paucis attigi, præcipuèque Cæſarum gens, adeo litteris culti atque eloquentia fuere, vt, ni cunctis vitiis (abſq; Auguſto) nimij forēt; tantæ artes profectò texiſſent modica flagitia. Quis rebus quamquam ſatis conſtet præſtare mores; tamen cuique, præſertim ſummo rectori, vtroq;, ſi queat, iuxta opus: ſin autem vitæ propoſito in immenſum progrediente, elegantiæ ſatis atq; auctoritatis ſumat eruditionem. *S. Aurel. Victor de Cæſarib. part. 2.*

POſt *Vitellius* regnauit menſibus octo, die vno. *Caſsiodorus.*

VItellius, Romanorum Imperator, ſucceſſor Galbæ, omnibus probris refertus, inexplebili præſertim gulæ incontinentia, & ventris ingluuie. ſæpe enim non interdiu modò, ſed & noctu cibum capiebat, & in apparandis cœnis

magna

magna pars vectigalium consumebatur. Ferunt enim centena bina sestertia & semis in singulas cœnas insumpsisse: cùm quidem & continenter atq; insatiabiliter impleretur, & continenter eructaret atque reuomeret omnia. qua vna re crapulam ferre potuit. Nam eius quidē conuictores, pessimè habebant. Bebius certè Crispus, cùm per aliquot dies ob morbum conuiuio abfuisset, argute dixit, se, nisi ægrotasset, periturum fuisse. Insigne etiam Vitellij apud fratrem conuiuium celebratur, in quod præter cæteras impensas, duo millia piscium & auium septem millia fuerint illata. Laudabat acta Neronis, & cadauer eius in obscuro quodā specu situm, exornabat. Interfectus est à Vespasiani militibus, imperiū sibi iam vindicantis. *Suidas.*

PVdet tot dedecorum, sed ad institutam seriem pertinet & hunc ipsum referre. Qui patre L. Vitellio, & matre longè optima natus, militari factione, dum legatus Germaniæ superiori præest, imperium inuasit, fœdo ingenio, ventriq; ac gulę natus, & quod vsu in his venit, sæuitia par. Cæterum Vespasiano principe declarato, cœno, fimoq; iactatus, ac furca sub mētum posita diu per vrbem tractus in scalis Gemoniis omniū ludibrio diu iacuit. Vita illi annorum LVII. Imperium vix octimestre. *Egnat.*

VESPASIANVS.

VESPASIANVS huic successit, factus apud Palæstinam Imperator: princeps obscurè quidem natus, sed optimis comparandus, priuata vita illustris; vt qui

à Claudio in Germaniam, deinde in Britanniã missus tricies & bis cum hoste cõflixerit; duas validissimas gentes, XX. oppida, insulam Vectam Britanniæ proximã, imperio Romano adiecerit. Romæ se in imperio moderatissimè gessit: pecuniæ tamẽ auidior fuit, ita vt eam nulli iniustè auferret: quam cùm omni diligentiæ prouisione colligeret, tamen studiosissimè largiebatur, præcipuè indigentibus nec facilè antè eum cuiusquam principis vel maior est liberalitas comperta, vel iustior. placidissimæ bonitatis; vt qui maiestatis quoque contra se reos non facilè puniret vltra exsilij pœnam. Sub hoc Iudæa Romano accessit imperio: & Hierosolyma quæ fuit vrbs clarissima Palæstinæ, Achaiã, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quæ liberæ ante hoc tempus fuerãt: item Thraciam, Ciliciam Tracheam, Commagenen, quæ sub regibus amicis erant in prouinciarum formam redegit. Offensarum & inimicitiarũ immemor fuit: conuicia à causidicis & philosophis in se dicta, leniter tulit; diligens tamen coërcitor disciplinæ militaris. Hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphauit. Per hæc cùm Senatui & populo, postremò cunctis amabilis ac iucũdus esset, profluuio ventris exstinctus est in villa propria, circa Sabinos, annũ ætatis agẽs LXIX. imperij nonum & diem septimum: atq; inter diuos relatus est. Genituram filiorum ita cognitam habuit, vt cùm multæ contra eum coniurationes fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in senatu dixerit; aut filios sibi successuros, aut neminem. *Eutropius Breuiarij lib. 6.*

Quærendi

Quærendi attentus, moderato commodus usu,
Auget, nec reprimit Vespasianus opes.
Olim qui dubiam priuato in tempore famam
Par aliis princeps transtulit in melius. Auson.

VEspasianus imperauit annos decem. Huius inter cætera bona illud singulare fuit, *inimicitias obliuisci*; adeo, vt Vitellij hostis sui filiam, locupletissime dotatam, splendidissimo coniungeret viro. Ferebat patienter amicorum motus; contumeliis eorum, vt erat facetissimus, dictis iocularibus respondens. Namque Licinium Mucianum, quo adiutore ad imperium peruenerat, fiducia meritorum insolentem lepide flectebat, adhibito aliquo vtrique familiari; id vnum dicens, *Nosti me virum esse*. Sed quid mirum in amicis, cùm etiam caussidicorum obliqua dicta, & philosophorum contumaciam contemneret? Iste exsanguem diu fessumque terrarum orbem breui refecit. Namq; primùm satellites tyrannidis, nisi qui fortè atrociùs longè processerãt, flectere potiùs maluit, quam excruciatos delere; prudentissimè ratus, *nefaria ministeria* à pluribus metu curari. Præterea legib. ęquissimis monẽdo, quodq; vehemẽtius est, *vitæ specie*, vitiorum plura aboleuerat. Infirmus tamen, vt quidam prauè putant, aduersus pecuniam: cùm satis constet, ærarij inopia, & clade vrbium, nouas eum neque postea habitas vectigalium pensiones exquisiuisse. Hic Romam deformem incendiis veteribus ac ruinis, permissa, si domini deessent, volentibus ædificandi copia, Capitolium, ædem Pacis, Claudij monumenta, reparauit: multaq; noua instituit. Per omnes terras, quà ius Ro-

manum est, renouatæ vrbes cultu egregio: viæ operibus maximis munitæ sunt. Tunc cauati montes per Flaminiam sunt prono trãsgressu; quæ vulgariter *Perrusa petra* vocitatur. Mille gẽtes compositæ, cùm ducentas ægerrime reperisset, exstinctis sæuitia tyrannorum plerisque. Rex Parthorum Vologeses metu solo in pace coactus est Syria seu Palæstina, nec non Cilicia Trachea, & Commagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, prouinciis accessere. Iudæi quoq; additi sunt. Hic monentibus amicis, vt caueret à Metio Pomposiano, de quo sermo percrebuerat regnaturum; consulem fecit; alludens tali cauillo, *quandoque memor esit tanti beneficij*. Institutum verò vniforme omni imperio tenuit: vigilare de nocte; publicisq; actibus absolutis caros admittere; dum salutatur, calceamenta sumens & regium vestitum: pòst autem negotiis, quæcumque aduenissent, auditis, exerceri vectatione; deinde requiescere. postremò, vbi lauisset, remissiore animo cõuiuium curabat. Plura dicere studium coëgit Imperatoris boni; quem ab Augusti morte, post annos sex & quinquaginta, Romana respublica exsanguis sæuitia tyrannorum, quasi fato quodam, ne penitus rueret, assecuta est. Itaq; annum agens vitæ absq; vno septuagesimum, feriis ioca, quibus delectabatur, admiscens, interiit. Quippe primò, cùm crinitum sidus apparuisset, *Istud*, inquit, *ad regem Persarum pertinet, cui capillus effusior*. Deinde, ventris eluuie fessus. & assurgens, *Stantem*, ait *imperatorem excedere terris decet*. Excerpta ex libris Sexti Aurelij Victoris.

Hoc

HOc item ex genere *Vespasianus*, sanctus omnia, facundiæ haud egens promendis quæ senserat; exsanguem diu fessumque terrarum orbem breui refecit. Namq; primùm satellites tyrannidis, nisi qui fortè atrociùs longè processerant, flectere potius maluit, quàm excruciatos delere: prudentissimè ratus, *nefaria ministeria* à pluribus metu curari. Dein coniurationum multas scelere inulto abscedere patiebatur; comiter, vti erat, stultitiæ arguēs, qui ignorarent *quanta moles* molestiaq; imperio inesset. Simul diuinis deditus (quorum vera plerisque negotiis compererat) successores fidebat liberos Titum ac Domitianum fore. Præterea legibus æquissimis monendo; quódq; vehemētius est, vitæ specie vitiorum plura aboleuerat: infirmius tamen, vti quidam prauè putant, aduersum pecuniam: cùm satis constet, ærarij inopia, ac labe vrbium, nouas eum neque aliquamdiu postea habitas, vectigalium pensiones exquisiuisse. Namq; Romæ Capitolium, quod conflagrasse supra memorauimus, ædes Pacis, Claudij monumēta, Amphitheatri tanta vis multæque aliæ, ac forum, cœpta ac patrata. Adhuc per omnes terras, qua ius Romanum est, renouatæ vrbes cultu egregio, viæque operibus maximis munitæ, & cauati montes per Flaminiam, prono transgressu. Quæ tot tantaq; breui confecta, intactis cultoribus; prudentiam magis quàm auaritiam probauere: simul censu more veterum exercito, Senatu motus probrosior quisq;, ac lectis vndiq; optimis viris, mille gētes compositæ; cùm ducentas ægerrimè reperisset extinctis sæuitia tyrannorum plerisq;. Ac bello

rex Parthorum Vologesus in pacem coactus. atque in prouinciam Syria cui Palæstinæ nomen, Iudæiq;, annitente filio Tito: quem transgrediens in Italiam, reliquerat externæ militiæ, moxq; victorem Præfectura Prætorio extulerat. vnde etiam honos is, ingens à principio, tumidior, atq; alter ab Augusto imperio fuit. verùm hac tempestate, dum honorum honestas despectatur, mistique bonis indocti, ac prudentibus inertes sunt; fecere nomen plerique potentia vacuum * insolens per iniurias, subiectum pessimo cuiq;, & annonæ specie rapax. *S. Aurelius Victor de Cæsarib. parte 2.*

VEspasianus II. & Titus II. His consulibus *Vespasianus* suscepit imperium, qui regnauit annis IX. mensibus XI. diebus XXXII. sub quo hi consules fuerunt:

Vespasianus III. & Nerua.

Vespasianus IIII. & Titus III. *His COSS. Titus filius Vespasiani Iudæa capta, præter quos gladio interfecit, centum millia captiuorum publicè venumdauit.*

Vespasianus V. & Titus IIII.

Vespasianus VI. & Titus V.

Vespasianus VII. & Titus VI. *His COSS. Vespasianus incensum Capitolium ædificare orsus est.*

Commodus & Rufus.

Vespasianus VIII. & Titus VII. *His COSS. Colossus erectus est, habens altitudinis pedes C. & VII.*

Vespasianus IX. & Titus VIII.

Syluanus & Verus.

Domitianus & Messalinus. *His COSS. Vespasianus est mortuus profluuio ventris in villa propria circa Sabinos.* Cassiodorus

VEspasianus, Imperator Romanorũ, adeo mitis & clemens fuit, vt nec delicta aduersus

ſe, & imperij maieſtatē commiſſa, vltra exſiliū mulctaret. Nam inimicitias & offenſas, ſtatim animo eiiciebat; & dicteria rhetorum ac populorum, quibus inceſſebatur, leuiter & modice ferebat. Acceſſu facilis & comis; ſępe extra palatium diuerſabatur; dignus qui vel cum optimis Imperatoribus cōparetur, vt qui & priuatam ſuam vitam multis ac magnis rebus feliciter geſtis illuſtrarit; (nam Claudij Cæſaris dux contra Germanos & Britannos, tricies fortiter cum hoſtib. cōflixit) & principatū adeptus, moderatè ac ſobriè imperiū adminiſtrauit. Viſus quidē ille fuit auarior; ſed non ita tamē, vt ſua cuiq; eriperet: & opes nō ad luxū, ſed ad publicā vtilitatē cōtulit. Ante hūc ſanè haud vllū inuenias Imperatorē vel largiorē vel in diſtribuēdis munerib. æqui & boni obſeruantiorē. *Suid.*

FEſſam atque labantem rempublicam trium principum tyrānide potiùs, quam imperio, Flauiæ gentis autor Veſpaſianus primus reſtituit. Nam per *X*. annos, quibus imperium rexit, ſingulari ſtudio ac prouidētia rem adminiſtrauit & ne Cæſarianum deſideraretur nomē, effecit. Hieroſolymis expugnatis, cum filio triumphauit. Auaritiam ne culpes in eo, & temporū calamitas & laudabilis eius vſus facit. adeo inimicitiarum omniū princeps oblitus, vt Vitellij hoſtis filiam locupletiſſimè dotatam, ſplendidiſſimo iungeret viro: & inſoleſcentē Mutianū, imperiiq; participē agentē adhibitis familiaribus ſatis habuerit admonere, ſe quoq; hominē eſſe. mors eius quātam animi tranquillitatem ſecum afferret, oſtēdit: dum alleuatus inter aſſidētium manus, ſtantē ait, imperatorē mori decere. Periit anō ętatis vndeſeptuageſimo. *Egnat.*

TITVS.



Vic TITVS filius successit; qui & ipse VESPASIANVS est dictus: vir omnium virtutum genere mirabilis; adeo vt *amor & deliciæ humani generis* diceretur. facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus: causas Latinè egit; poëmata & tragœdias græcè composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, XII. propugnatores XII. sagittarum ictibus confixit. Romæ tantæ ciuilitatis in imperio fuit, vt nullum omnino puniret; conuictos aduersum sese coniurationis, ita dimiserit, vt in eadem familiaritate, qua antea, habuerit. Facilitatis tantæ fuit & liberalitatis, vt nulli quidquam negaret: & cùm ab amicis reprehenderetur, respondit, Nullum tristem debere ab Imperatore discedere. Propterea cum quadam die in cœna recordatus fuisset nihil se illo die cuiquam præstitisse, dixit; *O amici, hodie diem perdidi.* Hic Romæ amphitheatrum ædificauit & quinq; millia ferarum in dedicatione eius occidit.

Per hæc inusitato fauore dilectus, morbo periit, in ea qua pater villa, post biennium, menses octo, dies XX. quam Imperator erat factus, ætatis anno altero & XL. Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, vt omnes tamquam in propria doluerint orbitate. Senatus obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam; & tātas ei mortuo gratias laudesq; congessit, quātas nec viuo vnquam egerat nec præsenti. Inter diuos relatus est. *Eutropius Breuiary libro 6.*

Felix

Felix imperio, felix breuitate regendi,
Expers ciuilis sanguinis, orbis amor,
Vnum dixisti moriens te crimen habere:
Sed nulli de re, non tibi credidimus. Ausonius.

TItus vocabulo patris etiam *Vespasianus* dictus, matre liberta *Domitilla* nomine genitus, imperauit annos duos, & menses duos, diesque viginti. Iste à puero præclaris studijs, probitatis, militiæ, literarum instantissimè deditus, quò contenderit, animi & corporis muneribus ostendit. Hic, vbi patriæ curam suscepit, incredibile est quantum, quos imitabatur, anteierit; præcipue clementia, liberalitate, honorificētia, ac pecuniæ contemptu. quæ eò amplius grata fuere, quòd ex nonnullis à priuato adhuc patratis, asperior, luxuriæ & auaritiæ amans credebatur fore. Namque præfecturam prætorianam patre imperante adeptus, suspectum quemque & oppositum sibi, immissis qui per theatra & castra, inuidiosa iactantes ad pœnam poscerent, quasi criminis conuictos oppressit. in quibus Cęcinam consularem, adhibitum cœnæ, vix dū triclinio egressum, ob suspicionem stupratæ Berenices vxoris suæ, iugulari iussit. Iurgia autem sub patre venumdata, rapinarum cupidum. vnde *Neronem* cuncti vocantes opinantesq; , summam rerum nactum grauiter acceperant. Sed hæc in melius conuersa, adeo ei immortalem gloriam contulere, vt *deliciæ atque amor humani generis* appellaretur. Denique vt subijt pondus regium, Berenicem, nuptias suas sperantem, regredi domum, & eneruatorū greges abire præcepit. Quo facto, quasi signum protulit mutatæ intemperātiæ. Dehinc

cùm dónata cōcessáve à prioribus principibus, firmare insequentes solerent, simul vt imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cauit, vel concessit. Quadam etiam die, recordans vesperi nihil se cuiquam præstitisse, venerand. o cæ!estique dicto, *Amici*, ait, *perdidimus diem*: quia erat magnificæ liberalitatis. Clementiam verò vsque eò perduxit, vt amplissimi ordinis duo cùm aduersus eum cōiurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuerit primò: pòst deductos in spectaculum secum, vtrimque assidere iusserit; petitoque ex industria myrmillonum, quorum pugnæ visebantur, gladio quasi ad explorandam aciem, vni atque alteri commiserit: quibus perculsis & constantiam mirantibus diceret? *videtísne potestate: fato dari; frustráque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu*? Fratrem quoque Domitianum, parantem insidias, militumque animos sollicitantem, flens sæpius obtestatus est, ne parricidiò assequi cuperet, quod & se volente esset obuenturum ei, & iam haberet, cum sit particeps potestatis. Huius tempore mons Vesuuius in Campania ardere cœpit: incendiumque Romæ sine nocturna requie per triduum fuit. Lues quoque, quanta vix vmquam antea, fuit. Quibus malis nonnullis vexatis, pecun a propria subuenit cunctis remediorum generibus, nunc ęgrotantes per semetipsum reficiens nunc consolans suorum mortibus afflictos. Vixit annos quadraginta vnum: & in eodem, quo pater, apud Sabinos agro, febri interi t Huius mors, credi vix potest, quantum luctus Vrbi prouinciisque intulerit, adeo vt eum

delicias publicas, sicut diximus, appellantes, quasi perpetuo custode orbatum terrarum orbem deflerent. *Excerpta ex libris Sexti Aurelij Victoris.*

CÆterum *Titus*, postquam imperium adeptus est, incredibile est quātum quem imitabatur, anteierit: præsertim litteris, clemētiaq; ac muneribus. Denique dum concessa per priores Principes, firmari ab insequentibus mos esset; simul imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cauit prospexitque: neque minus sanctè facilis in tuendis qui fortè in se conspirassent: adeo vt cùm amplissimi ordinis duo abnuere cogitatum scelus nequirent; Patresq; censuissent de confessis supplicium sumendum; deductus in spectaculum; se vtrumque assidere iussit: petitoque ex industria gladiatoris, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, vni atque alteri committere. Quis perculsis, & constantiam mirantibus, *Viderisne*, inquit, *potestates fato dari, frustraq; tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu?* Ita biennio pòst, ac menses ferè nouem, Amphitheatri perfecto opere, lautusque, veneno interijt, anno æui quadragesimo; cùm eius pater septuagesimo obijsset, Imperator decennij. Huius sanè mors adeo prouincijs luctui fuit, vti, generis humani delicias appellantes, orbatum orbem deflerent *Sex. Aurelius Victor de Cæsaribus part. 2.*

HVic *Titus* filius succedens in vtraq; lingua disertissimus, regnauit annis II. mensib. II. sub quo hi Consules extiterunt.

Domitianus II. & Rufus II. *Hi COSS. Titus. Amphitheatrū Romæ ædificauit, & in dedicatione*

eius quinque millia ferarum occidit.

Domitianus III. & Sabinus. *His* COSS. *Titus morbo perijt in eadem villa qua pater eius, anno ætatis XLII. qui ob insignem mansuetudinem, Deliciæ humani generis appellatus est.* Cassiodorus.

T*Itus*, Romanorum Imperator, filius Vespasiani, vir omni virtutis genere ornatus: vt vulgò Orbis amor & deliciæ generis humani diceretur. Nam eloquentissimus, rei militaris peritissimus, & modestissimus fuit. Vernacula latinorum lingua ad communem rerum administrationem vtebatur: poëmata verò & tragœdias Græca voce conficiebat. Cùm Hierosolyma cepisset, Syria vniuersa, & Ægyptus & omnes Palæstinæ finitimæ gentes, virum coronabant, victorem appellantes. At ille coronas repudiabat; non sese dicens illa fecisse; sed Deo, iram suam declaranti, manus suas commodasse. Adeo moderatus & modestia plenus fuit. Tito hoc Hierosolyma obsidente, Romanus quidam, eques probatissimus, cùm Iudæos per prærupta loca ruere cerneret, adolescentem quendam fugientem, robusto corpore, & armatum, rapit, calce arreptum, equo currente inclinatus, & Iudæum equo insidentem persequens. Qui cùm tantum dexteræ firmitatis & reliqui corporis ostendisset, & equestris artis virtutem, tamquam pretiosum aliquod munus ad Cæsarem pertulit captiuum. Titus verò, supra modū miratus robur eius, & vires inuictas, eum remuneratus, captiuum interfecit. ¶ Titus, Romanorum dux. Huic omnia ex sententia successerunt, fortuna etiam suffragata: sed pleraque omnia suaptè prouidentia tractauit:

Valde

Valde enim sollers, si quisquam alius, fuit. Adeò enim sollerter & prudenter non solùm communia negotia sed, priuatos etiam congressus regebat, vt nihil addi posset, quamuis in ipso ætatis flore. Plures enim triginta annis non habebat, & primùm in Græciam cum legionibus transijt. *Suidas.*

AMorem ac delicias humani generis Titum infesta mortalibus numina intra biẽnium sustulêre. Huius præcipuam clementiam ac liberalitatem, virtutesque alias eximias per totum eius principatũ magis commẽdauit & vitæ anteactæ licẽtia,& sub initia luxurię, & auaritiæ suspicio, vt Neronis tyrannidem plerique augurarentur. Sed mutatus adepto imperio in melius,declarauit eiusdem esse ingenij & pessima & optima interdum ferre. Hic Hierosolyma expugnauit,sagittandi peritissimus, & literis impensè doctus. vox eius quandoque memorabilis audita: recordatus enim super cœnam, quòd nemini eo die officium contulisset: *Amici*, inquit, *diem perdidi*. Huius imperio Vesuuius conflagrauit: incendium Romæ totum triduum,& lues fuit. Perijt ætatis anno XLI. in summo omnium mœrore. *Egnatius.*

DOMITIANVS.

DOMITIANVS mox accepit imperium, frater ipsius iunior, Neroni aut Caligulę, aut Tiberio similior, quã patri vel fratri suo. primis tamen annis moderatus in imperio fuit: mox ad ingentia vitia progres-

sus,libidinis, iracundiæ, crudelitatis, auaritiæ, tantum in se odium concitauit, vt merita & patris & fratris aboleret. Interfecit nobilissimos ex Senatu. *Dominum* se & *Deum* primus appellari iussit: nullam sibi nisi auream & argẽteam statuam in Capitolio poni passus est. consobrinos suos interfecit. superbia quoque in eo exsecrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit: vnam aduersus Sarmatas, alteram aduersus Cattos, duas aduersum Dacos. de Dacis Cattisque duplicem quidem triumphum egit: de Sarmatis solam laureã vsurpauit. Multas quidem calamitates iisdem bellis passus est. nam in Sarmatia legiones eius cum duce interfectę: & à Dacis Appius Sabinus consularis, & Cornelius Fuscus præfectus prætorio, cum magnis exercitibus occisi sunt. Romæ quoque multa opera fecit; in his Capitolium & Forum trãsitorium, Odeum, porticus, Isium ac Serapium ac Stadium. Verùm cùm ob scelera vniuersis exosus esse cœpisset, interfectus est suorum coniurationę in palatio, anno ætatis XLV. imperij quintodecimo. Funus eius cum ingenti dedecore per vespillones exportatum, & ignobiliter est sepultum. *Eutropius Breuarij lib. 6.*

Hactenus ediderat geminos gens Flauia iustos,
Cur duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bonorum
Sunt breuia, æternùm, quæ nocuere, dolent. Auson.

DOmitianus, *Vespasiani & Domitillæ* libertæ filius, germanus Titi, imperauit annos quindecim. Iste primò clementiam simulans, neque adeo iners, domi belliquc tolerantior videbatur: idcircoque Cattos Germanosque deuicit

deuicit, ius æquissimè dixit. Romæ multa ædificia vel cœpta, vel à fundamentis construxit. *Bibliothecas* incendio consumtas, petitis vndique, præsertim Alexandria exemplis, reparauit. Sagittarum tam doctus fuit, vt inter patentes digitos extentæ manus viri procul positi, spicula eius transuolarent. Dehinc atrox cædibus, bonorum supplicia agere cœpit: ac more Caligulæ *dominum sese deúmque* dici coëgit: segnisque ridiculè, remotis omnibus, muscarum agmina persequebatur, furens libidine: cuius fœdum exercitium, Græcorum lingua μυιοπιάλην vocabat. Hinc percontanti cuidam, quisquámne in palatio esset, responsum est, *Ne musca quidem*. His eius sæuitijs; ac maximè iniuria verborum, qua se scortum vocari dolebat, accensus Antonius, curans Germaniam superiorem, imperium corripuit. Quo per Norbanum Appium acie strato, Domitianus longè tetrior, in omne hominum genus, etiam in suos, ferarum more grassabatur. Igitur metu crudelitatis, & conscientiæ suæ, coniurauere plerique; impulsoribus Parthenio procurante cubiculum, & Stephano; & tum ob fraudem interceptæ pecuniæ supplicium suspectante Clodiano; adscita etiam in consilium tyranni vxore Domitia, ob amorem Paridis histrionis à principe cruciatus formidante: Domitianum multis vulneribus confodiunt, post annum quintum & quadragesimum vitæ. At senatus gladiatoris more funus efferri, radendumque nomen decreuit. Huius tempore sæculares ludi celebrati sunt.

Hactenus Romæ, seu per Italiam orti, imperium rexere hinc aduenæ. vnde compertum est, vrbem Romam externorum virtute creuisse. Quid enim Nerua prudentius aut moderatius? Quid Traiano diuinius? quid præstantius Adriano? *Excerpta ex libris Sexti Aurelij Victoris.*

IGitur *Domitianus*, fratris atque imperatoris optimi nece, priuato scelere publicoque amentior. simul maculosæ adolescentiæ, prædas, cædem, supplicia agere occœpit: maior libidinum flagitio, ac plus quam superbe vtens patribus. quippe qui se Dominum Deumque dici coëgerit: quod confestim ab insequentibus remotum validius multò posthac deinceps retulêre. Sed Domitianus primò clementiam simulans, neque adeo iners domi, belloque tolerantior videbatur, idcircoque Dacis & Cattorum manu deuictis, Septembrem Octobremq; mēses, Germanici superiorem; è suo nomine alterum appellauerat: multaque opera inchoata per patrem, vel fratris studio, atque in primis Capitolium, absoluit. Dehinc atrox cædibus bonorum, segnisque, ridiculè remotis procul omnibus, muscarum agmina persequebatur, postquam ad libidinem minus virium erat; cuius fœdum exercitium Græcorum lingua κλινοπάλη vocabat. Hincque iocorum pleraque. nam percunctanti cuidam, quisquámne in Palatio esset, responsum; Ne musca quidem: nisi fortè apud palæstram. Is ergo magis magisque sæuitia nimius, eoque suspectior, etiam suis, libertorum consilio, vxore non ignara, quę amorem histrionis viro prætulerat, pœnas luit; quinto & quadragesimo annô vitę, dominatio-

nis

nis circiter quintodecimo. At Senatus gladiatoris more funus ferri, radendumque nomen decreuit. Quo moti milites quibus priuatæ cōmoditates dispendio publico largiùs procedunt, auctores necis ad supplicium petere, more suo seditiosiùs, cœperūnt. Qui vix ægreque per prudentes cohibiti, tādem in gratiam optimatum conuenêre. Neque minus per se moliebantur bellum, quod his conuersum imperium mœstitiæ erat, ob omissionem prædarum, per dona munifica.

Hactenus Romæ, seu per Italiam orti Imperium rexere: hinc aduenæ: nescio quoque an, vt in Prisco Tarquinio, longè meliores. At mihi quidem audienti multa legentique, planè compertum, *vrbem Romam* externorum virtute, atque insitiuis artibus præcipuè creuisse. *S. Aurelius Victor de Cæsarib. part. 2.*

HVic successit *Domitianus* frater Titi junior, crudelissimus; qui imperauit annis XV. mensibus V. sub quo hi Consules fuerunt:

Domitianus IIII. & Rufus III. *His COSS. Domitianus eunuchos fieri prohibuit.*

Domitianus V. & Dolabella.

Domitianus VI. & Rufus IIII.

Flauius & Traianus.

Domitianus VII. & Nerua.

Traianus II. & Glabrio. *His COSS. primò Domitianus Dominum & Deum se appellare iussit.*

Domitianus VIII. & Saturninus.

Syluanus & Priscus. *His COSS. Quintilianus ex Hispania primus Romæ scholam publicam & salarium è fisco accepit, & claruit.*

Asprenas & Clemens. *His COSS. multa*

mœnia & celeberrima Romæ facta sunt; id est, Capitolium, Forum transitorium, Diuorum porticus, Isium, Serapium, Stadium, Horrea piperataria, Vespasiani templum, Minerua Chalcidica, Odion.

Domitianus IX. & Clemens II. *His COSS. insignissima Romæ facta sunt opera; id est, forum Traiani, Thermæ Traianæ & Titianæ, Senatus ludus matutinus, Meta aurea, Meta sudans & Pantheon.*

Nerua II. & Rufus.

Fuluius & Vetus.

Sabinus & Antoninus.

Nerua III. & Traianus III.

Senecio & Palma.

Traianus IIII. & Fronto. *His COSS. Apollonius Tyaneus philosophus insignis habetur. Domitianus occisus in Palatio, anno ætatis XXXV.* Cassiodorus.

DOmitianus, Romanorum Imperator, Titi frater natu minor, Neroni, Caligulæ, & Tiberio qui pessimè atque turpissimè imperium administrarunt; quàm patri aut fratri similior. Nam cùm principio non pessimè principatu fungeretur, statim in magnam vecordiam incidit; & auaritia & libidine infamis; supra modum iracundus, & in supplicijs irrogandis inexorabilis, præter cæteros odiosus & auarus. Quamprimùm certè quidem in omniũ odium incurrit tantum, vt & patris & fratris gloriam extingueret. Nam & cædibus insigniũ senatorum quotidie vrbem inquinabat; & diuinos affectans honores, non ferebat vt cuiusquam in Capitolio statuæ aureæ & argenteæ, præter suas, collocarentur. Ac ne suorum quidem

dem cædibus abstinuit; sed omnibus consanguineis nefariam iniecit manum; neque Deos gentilicios neque vindictam veritus, sed diuina pariter & humana contemnens. ¶Domitianus, Romanorum Imperator, Titi frater. cui cùm successisset, non paternam nec fraternam reip. administrationem, licet optimam, æmulatus est; sed Tiberij Neronisque scelera nefaria velut ex diametro imitatus est. Itaque omne improbitatis genus consectatus, cùm se homicidijs, muliebrisque pariter & virilis sexus amoribus vsque ad satietatem contaminasset, ad extremum se impius ille Deum fecit. vnde cùm se ob scelesti animi cruenta & belluina consilia, omnibus inuisum atque execrabilem miser reddidisset, consentanea malignitatis suæ præmia consecutus, turpissimò fato scelestam profanamque vitam claudit. Hic, imperij cupiditate inflammatus, maligni dæmonis instinctu inuidens fratri, veneno eum tollit. Maleque remp. tractans, nullum crudelitatis, auaritiæ, sanguinolentiæ, aliúsue sceleris genus exercere omisit; sed præterea incontinentia quoque ac libidine corpus polluit. Neruam quoque vt imperio insidiantem, pepulit: & Apollonium Tyaneum, vt Neruę amicum, comprehensum totondit, & vinctum in iudicium adduxit: cùm verò Philosophus illi non cederet, sed eius acta ridere pergeret, verecundia motus, eum dimisit. qui quidem celebrem illum versum dixisse fertur;


Οὐ μὲν με κτανέεις, ἐπεὶ οὔ τοι μόρσιμός εἰμι

Me non occides, nec enim hoc tibi fata dederunt: atque è vestigio euanuisse. Hic &

Philoſophos & Mathematicos Roma exegit. Sub hoc & Iohannes Euangeliſta in Pathmon relegatur; & Dauidici generis homines tolli iubentur: multique ſub eo Chriſtiani martyres facti ſunt. Verùm Nerua Theologum Ioannem relegatione liberat. Hic, cùm ob crudelitatem & immanitatem in maximo eſſet odio, conſpiratione ſuorum interficitur, cùm Stephanus, libertus eius, meridiãti & exſilienti ictum non lethalem intuliſſet. *Suidas.*

ECquis Titi non doleret interitum? tali præſertim ſucceſſore, qui per omnia patri, fratriq; diſſimilis: ſæpe etiam viuentibus aut contumax, aut obtrectator, Neroni ac Caligulæ propior vixit? diſſimulatamq; malè ſæuitiam per omnes ordines effudit? Quare nihil illi pater, fraterque, aut Cattorum Germanorumque clades, aut bibliothecarum incenſarum reſtitutio profuit, quin cæde illuſtrium virorum inuiſus omnibus factus, ſuorum tandem conſpiratione poſt vitæ annum quintum ac quadrageſimum, imperij quintum ac decimum confoſſus occubuerit; omniaque eius acta reſciſſa ſint. *Egnatius.*

NERVA


Nno octingenteſimo & quinquageſimo ab vrbe condita Vetere & Valente conſulibus, Reſp. ad proſperrimum ſtatum redijt, bonis principibus ingenti felicitate cõmiſſa. Domitiano enim exitiali tyrãno NERVA ſucceſſit; vir in priuata vita moderatus, & ſtrenuus;

ſtrenuus; nobilitatis mediæ. qui ſenex admodum, operam dante Petronio Secũdo, præfecto prætorio; item Parthenio interfectore Domitiani, Imperator factus, æquiſſimum ſe & ciuiliſſimum præbuit. Reip. diuina prouiſione cõſuluit, Traianum adoptando. Mortuus eſt Romæ poſt annum & quatuor menſes imperij ſui, ac dies octo: ætatis LXX. & altero anno. atque inter diuos relatus eſt. *Eutropius Breuiarij lib. 8.*

Proximus extincto moderatur ſceptra tyranno
Nerua ſenex, princeps nomine, mente parens.
Nulla viro ſoboles, imitatur adoptio prolem,
Quam legiſſe iuuat, quam genuiſſe velit. Auſon.

C*Occeius Nerua*, oppido Narniẽſi genitus, imperauit menſes tredecim, dies decem. Iſte, cùm imperium ſuſcepiſſet, mox rumore orto, viuere atque aſſore Domitianum, perinde trepidauit, vt colore mutato, verbis amiſſis, vix conſiſteret. Sed à Parthenio confirmatus, recepta fiducia, ad ſolemne delenimentũ cõuerſus eſt. Qui cùm in curiam à ſenatu gratanter exceptus eſſet, ſolus ex omnibus *Arrius Antoninus*, vir acer, eique amiciſſimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum gratulari ſe ait ſenatui & populo, prouincijsq;, ipſi autem nequaquam: cui ſatius fuerat malos ſemper principes eludere, quàm tanti oneris vim ſuſtinentem, non moleſtijs modo & periculis ſubijci, ſed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum; qui cùm ſe mereri omnia præſumunt, ſi quidquam non extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoq; hoſtibus. Iſte, quidquid antea pœnæ nomine tributis acceſſerat, indulſit: afflictas ciuitates releuauit: puellas pue-

rosq; natos parentibus egestosis, sumtu publico per Italiæ oppida ali iussit. Hic, ne accessum malignorum terreret, Iunij Maurici constantis viri dicto ita admonetur; qui conuiuio familiari adhibitus, cùm Veientonem, consulari honore functum quidem apud Domitianum, tamen multos occultis criminationibus persecutum, adesse vidisset; inter colloquia mentione Catulli facta, calumniatoris præcipui; dicente Nerua, *quid nunc faceret, si Domitiano superuixisset? Nobiscum*, inquit Mauricus, *cœnaret.* Hic, iurgiorum disceptator & scientissimus & frequens fuit. Calpurnium Crassum, promissis ingentibus animos militum pertentantem, detectum, confessumque, Tarentum cum vxore remouit, patribus lenitatem eius increpantibus. Cumque interfectores Domitiani ad exitium poscerentur, tantum est consternatus, vt neque vomitum, neque impetum ventris valeret differre. & tamen vehementer obstitit; dictitans æquius esse mortem subire, quam auctoritatem imperij fœdare, proditis potentię sumendæ auctoribus. Sed milites neglecto principe, requisitos, Petronium, Stephanum vno ictu; Parthenium verò, demtis prius genitalibus, & in os coniectis, iugulauere, redemto magnis sumtibus Casperio: qui scelere tam truci insolentior, Neruam compulit referre apud populum gratias militibus, quia nefandos pessimosque omnium mortalium peremissent. Hic Traianum in liberi locum, inque partem imperij adoptauit: cum quo tribus vixit mensibus. Qui dum suggerente ira voce quàm maxima, contra quendam Regulum no-

mine inclamaret, sudore correptus est. quo refrigescente, horror corporis nimius initium febri fuit: nec multò pòst, vitam finiuit, anno ætatis sexagesimo tertio. cuius corpus à senatu quondam augusto honore delatum, in sepulchro Augusti sepultum est. Eoque die quo interijt, Solis defectio facta est. *S. Aurel. Victor historiæ antiquæ.*

QVid enim *Neruâ* Cretensi prudentius, magisque moderatum? qui cùm extrema ætate apud Sequanos, quò tyranni defecit metu, Imperium arbitrio legionum cepisset; vbi prospexit, nisi à superioribus robustioribusque corpore animoque geri non posse, mense sexto ac decimo semet eo abdicauit, dedicato priùs foro quod appellatur *Peruiũ*: quo ædes Mineruæ eminentior consurgit, & magnificentior. Id cùm semper *egregium sit*, metiri quãtum queas, neque ambitione præceps agi; tum in imperio: cuius adeo cupidi mortales sunt, vt id vel vltima senectus auidè petat. Huc accedit, quòd suffecti virtute, quantus consilio esset, magis magisque patefecit. *S. Aurel. Victor, de Cæsaribus parte 2.*

HVic *Nerua* succedens, regnat annum vnum, menses IIII. sub quo hi consules fuerunt.

Traianus V. & Orphitus.

Senecio II. & Sura. *His COSS. Nerua morbo periit in hortis Sallustianis, anno ætatis LXXII. cùm iam Traianum adoptasset in filium.* Cassiodor.

NErua, Imperator Romanorum, Euangelistam Ioannem ab relegatione Pathmica reuocatum, Ephesum reduxit. quo tempore

Armeniam, Meſopotamiam & Aſſyriam, quæ inter Tigridem atque Eufratem ſita, irriguis amnibus inſtar Ægypti fœcundatur. *Sextus Rufus.*

SVcceſſit ei *Vlpius Traianus Crinitus*, natus Italicæ in Hiſpania, familia antiqua magis quàm clara: nam pater eius primùm COS. fuit. Imperator autem apud Agrippinam ciuitatem in Gallijs factus eſt. Remp. ita adminiſtrauit, vt omnibus principibus meritò præferatur. Inuſitatę ciuilitatis & fortitudinis fuit. Romani imperij, quod poſt Auguſtũ defenſum magis fuerat quàm nobiliter ampliatum, fines longè lateque diffudit: vrbes trans Rhenum in Germania reparauit: Daciam Decibalo victo ſubegit, prouincia trãs Danubiũ facta in his agris quos nunc Taiphali habent, & Victophali & Theruingi. Ea prouincia decies cẽtena millia in circuitu tenet. Armeniam, quã occupauerant Parthi, recepit, Pharnace Syro occiſo qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Iberorũ regem & Sauromatarum & Boſphoranorum, & Arabum & Oſdroënorum & Colchorum, in fidem accepit. Adiabenos, Marchomedos occupauit: & Anthemuſium magnam Perſidis regionem, & Seleuciam & Cteſiphõtem, Babylonem & Edeſſios vicit, ac tenuit vſq; ad Indiæ fines: & mare rubrum acceſſit: atque ibi tres prouincias fecit, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam cum his gẽtibus quæ Macedenam attingunt. Arabiam poſtea in prouinciæ formam redegit. in mari rubro claſſem inſtituit; vt per eam Indiæ fines vaſtaret. Gloriam tamen militarem ciuilitate & moderatione ſuperauit, Romæ & per pro-

uincias æqualem se omnibus exhibens; amicos salutandi caussa frequentans: vel ægrotantes, vel cùm festos dies habuissent; conuiuia cum ijsdem indiscreta vicissim habens, sæpe in vehiculis eorum sedens, nullum senatorum lędens, nihil iniustum ad augendum fiscum agens: liberalis in cunctos, publicè priuatimque ditans omnes & honoribus augens, quos mediocri vel familiaritate cognouisset: orbem terrarum ædificans, multas immunitates ciuitatibus tribuens; nihil non tranquillum & placidum agens; adeo vt omni eius ætate vnus tantùm Senator damnatus sit; at is tamen per Senatum ignorante Traiano. Ob hoc per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit, & viuus & mortuus. Inter alia dicta hoc illius fertur egregium. amicis enim culpãtibus, quòd nimis circa omnes comis esset, respondit; *Talem se Imperatorem esse priuatis: quales esse sibi Imperatores priuatus optasset.* Post ingentem igitur gloriam belli domique quæsitam, è Perside rediens, apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris extinctus est. Obijt autem ætatis anno LXII. mense nono, & die quarto: imperii anno XIX. mẽse VI. die XV. Inter Diuos relatus est, solusque omnium intra Vrbem sepultus. Ossa eius collocata in vrna aurea, in foro quod ædificauit, sub columna sita sunt: cuius altitudo, CXLIIII. pedes habet. Huius tãtum memoriæ delatum est, vt vsq; ad nostram ætatem non aliter in Senatu principibus acclametur, nisi FELICIOR AVGVSTO, MELIOR TRAIANO. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, vt vel assentantibus vel verè laudantibus

tibus occasionem magnificentissimi præstet exempli. *Eutropius Breuiarÿ lib. 8.*

Aggreditur regimen viridi Traianus in æuo,
Belli laude prior, cætera patris habens.
Hic quoque prole carens sociat sibi sorte legendi,
Quem fateare bonum, diffiteare parem. Auson.

VLpius Traianus, ex vrbe Tudertina; *Vlpius*, ab auo dictus; *Traianus*, a Traio paterni generis auctore, vel de nomine Traiani patris sic appellatus; imperauit annis viginti. Iste talē se Reipublicæ præbuit qualē vix ægreq; exprimere valuerūt summorū scriptorum mirāda ingenia. Hic imperiū apud Agrippinā nobilē Galliæ coloniā suscepit; habens diligentiam in re militari, in ciuilibus lenitatē in subleuandis ciuitatibus largitionē. Cūq; duo sint, quæ ab egregiis principibus exspectentur, *Sanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobiq; prudentia*: tātus erat in eo maximarum rerum modus, vt quasi temperamēto quodam virtutes miscuisse videretur: nisi quia cibo vinoq; paululum deditus erat. Liberalis in amicos; & tamquam vitæ conditione par, societatibus perfrui. Hic ob honorem Suræ, cuius studio imperiū arripuerat, lauacra condidit. De quo superuacaneū videtur cūcta velle nominatim prodere, cùm satis sit excultū atq; emendatum dixisse. Fuit enim patiens laboris: studiosus optimi cuiusque, ac bellicosi: magisque simpliciora ingenia aut eruditissimos, quāuis ipse parcè esset sciētiæ moderateq; eloquēs, diligebat. *Iustitiæ* verò, *ac iuris humani diuiniq;*, tam repertor noui, quàm inueterati custos. Quæ omnia eò maiora visebantur, quoniā per multos atque atroces tyrannos perdito atque

prostrato statu Romano, in remedium tantorum malorum diuinitus credebatur, opportunè datus; vsque eo, vt adueniens imperium eius pleraque mirifica denuntiauerint: in quibus præcipuum, cornix è fastigio Capitolij Atticis sermonibus effata, καλῶς ἔσται. Huius exusti corporis cineres relati Romā, humatiq; Traiani foro sub eius columna: & imago superposita, sicuti triumphantes solent, in vrbem inuecta, senatu præeūte & exercitu. Eo tempore, multò perniciosiùs quàm sub Nerua, Tiberis inundauit, magna clade ædium proximarum: & terræmotus grauis per prouincias multas, atroxque pestilentia, famesque, & incendia facta sunt. Quibus omnibus Traianus per exquisita remedia plurimum opitulatus est; statuēs, ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes, ob ruinas faciles, & sumtus, si quando talia contingerent, exitiosos. Vnde meritò *Pater patriæ* dictus est. Vixit annos sexaginta quatuor.

S. Aurel. Victor histor. antiq.

NAmque *Vlpium Traianum*, Italica vrbe Hispaniæ ortum, amplissimi ordinis tamen atque consulari loco, adrogatum accepit & dedit. Hoc ægrè clarior domi seu militiæ reperietur. quippe primus, aut solus etiam, vires Romanas trās Istrum propagauit, domitis in prouinciam Dacorum pileatis Sacisq; nationibus, Decibalo rege, ac Sardonijs. Simul ad ortum Solis, cunctæ gentes quæ inter Indum & Euphratem amnes inclytos sunt, concussæ bello; atque imperati obsides Persarum regi, non ine Chosdroi; & inter ea iter conditum per feras gentes. quo facile ab vsque Pontico mari in

Galliam

Galliam permeatur. Castra suspectioribus atque opportunis locis exstructa: pons;que Danubio impositus; ac deductæ coloniarum pleræque. Adhuc Romæ a Domitiano capta fora, atque alia multa, plusquam magnificè coluit ornauitque. Et annonæ perpetuæ mirè consultum, reperto firmatoque pistorum collegio. simul noscēdis ocyus quæ vbique è Rep. gerebantur, admota media publici cursus. Quod equidem munus satis vtile, in pestem orbis Romani vertit posteriorū auaritia insolentiaque: nisi quòd his annis suffectæ vires Illyrico sunt, Præfecto medente Anatolio. *Bori maliq; in Rep. nihil est*, quod in diuersum traduci nequeat moribus præsidentium. Æquus, clemens, patientissimus, atque in amicos perfidelis; (quippe cui Suræ familiari opus sacrauerit, quæ *Surana* sunt) vsque eò innocentiæ fidens, vti præfectum Pretorio, Saburanum nomine, cùm insigne potestatis, vti mos erat, pugionem daret, crebrò monuerit; *Tibi istum ad munimentum mei committo, si rectè agam: sin aliter, in me magis: quòd moderatorem omnium vel errare minus fas sit.* Quinetiam vinolentiam, quo vitio, vti Nerua, angebatur; prudentia molliuerat; curari vetans iussa post longiores epulas. His virtutibus acto Imperio annos prope viginti, cùm terræ motu graui apud Antiochiam cæteraque Syriæ extremis afficeretur. rogatu Patrum militiam repetens, morbo perijt. grandæua ætate; ascito priùs ad Imperium Hadriano ciue propinquóque. Ab hinc diuisa nomina Cæsarum atque Augusti: inductumque in Rempublicam, vti duo seu plures summæ potentiæ, dissimiles

cognomento ac poteſtate diſpari ſint. Quamquam alij Plotinę, Traiani coniugis, fauore imperium aſſequutum putent; quæ viri teſtamento heredem regni inſtitutum ſimularat. *S. Aurelius Victor de Cæſarib part. 2.*

HVic Traianus ſuccedens imperauit annis XIX. menſibus VI. diebus XVI. ſub quo hi conſules fuerunt.

Traianus VI. & Maximus.

Senecio III. & Sura II.

Vrbanus & Marcellus.

Candidus & Quadratus. *His COSS. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit.*

Commodus & Cerealis. *His COSS. Traianus Hiberos, Sauromatas, Oſroënos, Arabas, Boſphoranos, Colchos in fœdus accepit: Seleuciam, Cteſiphontem, Babylonem occupauit & tenuit.*

Senecio IIII. & Sura III. *His COSS. Traianus in mari rubro claſſem inſtituit; vt per eam Indiæ fines vaſtaret.*

Gallus & Bradua.

Africanus & Criſpinus.

Criſpinus II. & Solenus.

Piſo & Ruſticus.

Traianus VII & Africanus.

Celſus & Criſpinus. *His COSS. Plinius Secundus Nouocomenſis orator & hiſtoricus inſignis habetur; cuius ingenij plurima opera exſtant.*

Aſta & Piſo.

Meſſala & Pedon.

Æmilius & Vetus.

Niger & Apronianus. *His COSS. Traianus Armeniam, Aſſyriam, & Meſopotamiam prouincias fecit.*

Clarus

Clarus & Alexander.
Hadrianus & Salinator.
Hadrianus II. & Rusticus.
Seruilius & Fuluius. *His COSS. Traianus apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris exstinctus est, anno ætatis LXIII. mense IX. die IIII, cuius ossa, in vrna aurea conlocata, sub columna fori quæ eius nomine vocatur, recondita sunt: cuius columnæ altitudo in CXL. pedes erigitur.* Cassiodorus.

TRaianus, Romanorum imperator, adeo bonus & osor improbitatis & iustus fuit, vt aliquando strictum ensem coram magnatibus suis, præfecto prætorij tradiderit, his verbis: *Cape hunc ensem: & si bonus fuero pro me; sin malus, contra me eo vtitor.* Hic Christianis aliquid induciarum concessit. nam qui illis tẽporibus à Romanis magistratus redimebant, ad demerẽdos Imperatores, varijs Christianos supplicijs afficiebant, adeò vt Tiberianus, qui primæ Palæstinorũ genti præerat, ad eum retulerit, se non parem esse Christianis occidendis, qui vltrò supplicia appeterẽt. Vnde Traianus omnibus præfectis suis mandauit, ne supplicijs eos afficerẽt. ¶Ἀχυπτίδιν, fasciæ, ligamina] Traianus Imperator in bello sauciatos curabat; & cùm vincula vulnerũ deessent, ne suæ quidẽ vesti pepercit, sed eam in fascias dissecuit totã. ¶Καθῄρει, detrahebat, conuellebat] Traianus nec inuidebat cuiquam, neq; cuiquã magistratum adimebat; sed prorsus omnes bonos honorabat: eoq; nec timebat quemquam neque oderat. *Suidas.*

OPrimus, omnium princeps externorũ primus Traianus, adoptione Neruæ impe-

rium meruit, domi sanctus, foris adeo clarus, vt præter Daciam prouinciam factam, victo etiam eorum rege Decebalo, Parthos superarit, superatis regem dederit, Transtigranas prouincias imperio adiecerit, Armeniam atque Arabiam peruastarit, vt nihil omnino habuerit, in quo culpari merito possit. Amicitiarum cultor, simplicium ingeniorum atque eruditissimorum admirator, iuris humani diuiniq; consultissimus; ipse à literis & musis haud abhorrens. Huius cineres & ossa in vrbem relata, cochlide columna supposita cum eius imagine, quæ superstaret foro a se extructo. Quanta fuerit in eo bonitas, acclamationes principibus exhiberi solitæ declarent, cùm Augusti felicitatem, bonitatem Traiani his apprecarentur. Vixit annis sexaginta quatuor. Imperauit XX. *Egnatius.*

HADRIANVS.



ADRIANVM gloriæ Traiani certũ est inuidisse, qui ei successit in imperio. Hic spõte propria inde eductis exercitibus, Armeniã, Mesopotamiam & Assyriam cõcessit: & inter Romanos & Parthos mediũ Eufratem esse voluit. *Sextus Rufus.*

DEfuncto Traiano, *Ælius Adrianus* creatus est princeps; sine aliqua quidem voluntate Traiani, sed operam dante Plotina Traiani vxore. nam cum Traianus, quamquam consobrinæ filium viuens noluerat adoptare. Natus & ipse Italicæ in Hispania, qui Traiani gloriæ

inuidens.

inuidens, statim prouincias tres reliquit, quas Traianus addiderat; & de Assyria, Mesopotamia, & Armenia, reuocauit exercitus; ac finem imperij esse voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conatum, amici deterruerunt; ne multi ciues Romani barbaris traderentur: propterea quod Traianus victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eò copias hominũ transtulerat, ad agros & vrbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decibali viris fuerat exhausta. Pacem tamen omni tempore imperij sui habuit, semel tantùm per præsidem dimicauit, orbem Romanum circumiuit, & multa ædificauit. Facundissimus Latino sermone, Græco eruditissimus fuit. Non magnam clementiæ gloriam habuit. diligentissimus tamen circa ærarium, & militũ disciplinam. Obijt in Campania, maior sexagenario, imperij anno XXI. mẽse X. die XXIX. Senatus ei tribuere noluit diuinos honores. tamẽ cùm successor ipsius Titus Aurelius Fuluius Antoninus hoc vehemẽter exigeret, & vniuersi senatores palam resisterent, tandem obtinuit. *Eutropius Breuiarij lib. 8.*

ÆLIVS hinc subijt medijs præsignis in actis,
Principia & finem fama notat grauior.
Orbus & hic sociatq; virum, documenta daturum
Adsciti quantum præmineant genitis. Auson.

Ælius Adrianus, stirpis Italicæ, Ælio Adriano Traiani principis cõsobrino Adriæ orto genitus, quod oppidum agri Piceni, etiam mari Adriatico nomen dedit. imperauit annis viginti duobus. Hic Græcis litteris impensiùs eruditus, à plerisque *Græculus* appellatus est. Atheniensium studia moresq; hausit non sermone

tantùm, sed & cæteris disciplinis, canendi, psallendi, medendique scientia, musicus, geometra, pictor, fictor, ex ære vel marmore proximè Polycletos & Euphranoras. perinde omnino ad ista erat factus, vt elegantiùs numquam quidquam humanæ res expertæ videantur. Memor, supra quàm cuiquam credibile est, locos, negotia, milites, absentes quoque, nominibus recensere. Immēsi laboris; quippe qui prouincias omnes pedibus circumierit, agmen comitantium præuertens cùm oppida vniuersa restitueret, augeret ordinibus. namque ad specimen legionum militarium fabros, perpendiculatores, architectos genusque cunctum exstruendorum mœnium seu decorandorum, in cohorteis centuriauerat. Varius, multiplex, multiformis: ad vitia atque virtutes quasi arbiter genitus; impetum mentis quodam artificio regēs: ingenium inuidum, triste, lasciuum, & ad ostentationem sui insolens callidè regebat; continentiam, facilitatem, clementiam simulans; contraque dissimulans ardorem gloriæ, quo flagrabat. Acerrimus ad lacessendum pariter & respondendum serijs, ioco, maledictis: referre carmen carmini, dictum dicto: prorsus vt meditatum crederes aduersus omnia. Huius vxor Sabina, dum propè seruilibus iniurijs afficitur, ad mortem voluntariam compulsa est quæ palàm iactabat, quàm immane ingenium pertulisset, & elaborasse, ne ex eo ad humani generis perniciem grauidaretur. Hic morbo subtercutaneo, quem diu placidè pertulerat, victus, dolore ardens, impatiensque, plures è senatu exstinxit. A regibus multis pace occultis muneribus

bus impetrata, iactabat palàm, plus se otio adeptum quàm armis cæteros. Officia sanè publica, & palatina, nec non militiæ, in eam formam statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie* perseuerat. Vixit annos sexaginta duos: dehinc miserabili exitu consumtus est, cruciatu membrorum ferè omnium confectus: intantum, vt crebrò sese interficiendum ministrorum fidissimis precans offerret; ac, ne in semetipsum sæuiret, custodia carissimorum seruaretur. *Sex. Aurel. Victor histor. antiq.*

IGitur *Ælius Hadrianus*, eloquio togæque studijs accommodatior, pace ad Orientem composita, Romam regreditur. ibi Græcorum more, seu Pompilij Numæ, ceremonias, leges, gymnasia, doctoresq; curare occepit: adeo quidem, vt etiã ludum ingenuarum artium, quod *Athenæum* vocãt, constitueret; atque initia Cereris Liberæque, quæ Eleusina dicitur, Atheniensium modo Roma percoleret. Deinde, vti solet, tranquillis rebus, remissior, rus proprium Tibur secessit, permissa vrbe Lucio Ælio Cæsari: ipse, vti beatis locupletibus mos, palatia exstruere, curare epulas, signa, tabulas pictas: postremò omnia satis anxiè prospicere quæ luxus lasciuiæque essent. Hinc orti rumores mali, iniecisse stupra puberibus, atque Antinoi flagrauisse famoso ministerio; neque alia de caussa vrbem cõditam eius nomine, aut locasse ephebo statuas. quæ quidem alij pia volunt, religiosaque. quippe Adriano cupiente fatum producere, cùm volũtarium ad vicem Magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinoum obiecisse se referunt: hincq; in eum officia supradicta;

nos rem in medio relinquemus: quamquam in remisso ingenio suspectam æstimantes societatem æui longè imparilis. Interim Ælio Cæsare mortuo, cùm ipse animo parum valeret, idcircoque despectui haberetur ad creandum Cęsarem Patres conuocat. Quibus properè accurrentibus forte Antoninum conspexit senis soceri aut genitoris anxios gressus leuantem manu quo mirè oblectatus, adoptatum legibus Cęsarem iubet, statimque ab eo senatus, cui ludibrio fuerat, magnam partem necari. Neque multò pòst apud Baias tabe interijt; anno imperij, absque mense, vicesimo secundo, senecta viridiore. At Patres ne Principis oratu quidem ad Diui honorem eidem deferendum flectebātur: tantum amissos sui ordinis tot viros mœrebant. sed postquam subitò prodiere quorum exitium dolori erat, quique suos complexi, censent quod abnuerant. *S. Aurel. Victor de Cæsaribus part. 2.*

HVic successit *Hadrianus*; vtraq; lingua peritissimus, Italicę natus ex cōsobrina Traiani: qui regnauit annis *XX.* mensibus *X.* diebus XIX. sub quo hi Consules fuerunt:

Verus & Augur. *His COSS. Hadrianus Alexandriam à Romanis subuersam, publicis instaurauit expensis.*

Auiola & Pansa. *His COSS. Hadrianus reliqua tributorum vrbibus relaxauit, chartis publicis incensis; plurimos etiam ipsis tributis liberos fecit.*

Paternus & Torquatus. *His COSS. Plutarchus philosophus insignis habetur.*

Glabrio & Apronianus. *His COSS. Nicomedia & Nicena vrbus plurimis terræmotu conlapsis, Hadrianus*

Hadrianus ad inſtaurationem earum publicas largitur expenſas.

Aſiaticus & Quintus.

Verus & Ambiguus. *His COSS. Athenienſibus leges petentibus Hadrianus ex Draconis & Solonis reliquorumq́; libris iura compoſuit.*

Gallicanus & Titianus. *His COSS. iuxta Eleuſinam ciuitatem in Cephiſo fluuio Hadrianus pontem conſtrauit.*

Torquatus & Libo.

Celſus & Marcellinus.

Pontianus & Rufus.

Augurinus & Sergianus.

Tiberius & Silanus. *His COSS. Hadrianus à Chriſtianorum perſecutione ceſſauit, & Pater patriæ eſt appellatus.*

Sergius II & Verus.

Pompeianus & Attilianus. *His COSS. templum Romæ & Veneris factum eſt; quod nunc Vrbis appellatur.*

Pompeianus II. & Commodus. *His COSS. Hadrianus cùm inſignes & plurimas ædes Athenis feciſſet, agonem edidit, bibliothecamq́; miri operis exſtruxit.*

Lælius & Albinus.

Camerinus & Niger.

Antoninus & Præſens.

Antoninus II. & Præſens II.

Seuerus & Syluanus. *His COSS Ælia ciuitas, id eſt Hieruſalem, ab Ælio Hadriano condita eſt, & in fronte eius portæ qua Bethleem egredimur, ſus ſculptus in marmore, ſignificans Romanæ poteſtati ſubiacere Iudæos.*

Rufinus & Torquatus. *His COSS. Hadria-*

nus morbo intercutis aquæ apud Baias moritur, maior sexagenario. Caſſiodor.

ADrianus, Romanorū Imperator, filius fuit filij Senatorij & prætorij, nomine Afri. Natura fuit doctrinæ & vtriuſq; linguæ amans: ac ſcripta quędā ſoluta oratione, & poëmata omni genere carminum reliquit. Nam ſupra modum æſtuabat ambitione: qua fiebat, vt omnia etiam minutiſſima ſuſciperet tractanda. Nam & pingebat & fingebat: neq; quidquam erat vel paci vel bello aptum, vel regium vel priuatum, quod nō ſcire ſe profiteretur. Et hoc quidem nihil incōmodabat hominibus; ſed acerrima inuidia, qua perſequebatur omnes qui aliqua re excellebāt, impulſus, multos artifices depreſſit, multos occidit. Nam cùm ipſe vellet omnes in omnibus ſuperare, viros pręſtantes oderat. Eò factum eſt, vt & Galatam Fauorinum, & Mileſium Dionyſium rhetores deprimere ſtuderet, cùm alijs rebus tum verò aduerſarijs eorum, hominibus partim nullius, partim minimi pretij extollendis. Hic quamquam in epiſtola quadam præter alia magnifica verba, illud etiam, iureiurando confirmat, Se neque publicam vtilitatem vſque neglecturum, neque vllum ſenatorem occiſurum, ſibique ſi quicquam ſecus egiſſet, exitium imprecatur, tamen multa ei crimini data ſunt. Fuit ſanè in cōgreſſibus ſuauis, & ſingulari quadam grauitate præditus, & Grecè Latineq; diſertiſſimus: ſed tamen clementię non magnam laudem eſt adeptus: & coaceruādæ publicæ pecuniæ fuit ſtudioſus. Eo fuit ingenio, vt non viuentibus duntaxat, ſed mortuis etiam inuideret. Homeri quidem certè gloriam extenuare,

extenuare, & Antimachum illius loco celebrare instituit: cuius etiã nomen priùs multi ignorabant. Hæc igitur in eo reprehendebantur, & nimia ſollicitudo, & ſuperuacanea curioſitas. Sed hæc vitia corrigebat & penſabat cùm cætera diligentia, tum prudẽtia, magnificẽtia, dexteritate. Nam neque bellum vllum concitauit, & exorta repreſſit; nec per iniuriã cuiquam opes eripuit: quin multis tũ rebuſpublicis, tũ priuatis hominibus multa eſt largitus. Superſtitioſiſſimus fuit in vaticinationibus, cęteriſq; ſpecioſis nugis obſeruãdis. In delitijs habuit Antinoũ quẽdam; cuius nomine populoſam vrbẽ cõdidit. ac tandẽ ſtellam quandã & ipſe videre ſe dicebat, quæ Antinoi eſſet; & familiares ſuos ita fabulantes libẽter audiebat, ꝙ ex Antinoi anima vtiq; illa ſtella facta eſſet, ac tũ primùm cõſpecta. & quendã Soranũ Batauũ celebrauit. Is cũ in Pãnonijs Danubiũ armatus tranaſſet, barbaris admirationi fuit. ¶ βδέλυγμα ἐρημώσεως, abominationẽ deſolationis; Adriani Imperatoris ſtatuam] Adrianus enim vrbẽ Hieroſolymam funditus euertit. Nam poſt expugnationem Veſpaſiani & Titi, Iudæi cõſpiratione inita Rempublicam ſuã recuperare conati, mota ſeditione ad ſummam vaſtitatem ſunt redacti. Imperator autem vrbis reliquias de ſuo nomine Æliam appellauit. ¶ Adrianus verò multis rebus reſtitutis Lazis ſeu Colchis regẽ prefecit: ſed malo conſilio Perſis orantibus Meſopotamiam à Traiano partam concedit; Romaniq́ue imperii terminũ Euphratem conſtituit. *Suidas.*

HIc Italicæ ſtirpis Ælio Adriano, Traiani conſobrino Adriæ orto genitus, Plotina,

vt creditur, fauente imperator est factus, ingenio sublimi, vario, literarum omnium peritissimus, sed matheseos imprimis: idem architectus, musicus, statuarius, multarum denique artium magis non expers, quam callens. Doctorum hominum nunc irrisor, & æmulus, nunc fautor & beneficus. Disciplinæ militaris scientissimus in qua multa etiam correxit, principibus, qui secuti postea sunt, ea maximè probantibus. peregrinationis adeo studiosus vt omnes fermè prouincias pedibus etiã peragrans obierit. Miserabili tandem fato consumptus est, vt in seipsum sæuire potuerit, si per domesticos licuisset. Imperauit annos XX. Vixit LXII. Inuisum eum fecere viri illustres, nõ pauci sub eius exitum exilio, aut morte multati. *Egnatius.*

ANTONINVS PIVS.



Rgo Adriano successit T. ANTONINVS FVLVIVS BOIONIVS; idem etiã PIVS nominatus; genere claro, sed nõ admodum vetere: vir insignis, & qui meritò Numæ Pompilio conferatur; ita vt Romulo Traianus æquetur. Vixit ingẽti honestate priuatus; maiori in imperio. nulli acerbus, cunctis benignus in re militari moderatã gloria; defendere magis prouincias quàm amplificare studẽs, viros iustissimos ad administrãdam Rempubl. quærens; bonis honorẽ habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans: regibus amicis venerabilis non minus quàm terribilis: adeo vt barbarorũ plurimæ nationes, depositis armis,

ad

ad eum controuersias suas litesque deferrent. sententiæq; eius parérent. Hic ante imperium ditissimus, opes quidem suas stipendiis militũ, & circa amicos liberalitatibus minuit: verùm ærarium opulentum reliquit. PIVS propter clementiam dictus est. Obiit apud Lorium, villam suam, milliario ab vrbe XII. vitæ anno LXXIII. imperij XXIII. atque inter Diuos relatus est, & merito consecratus. *Eutropius Breuiarij lib. 8.*

Antoninus ab hinc regimen capit ille: vocatu
Consultuq́, Pius, nomen habens meriti.
Filius huic fato nullus, sed lege suorum
A patria sumpsit qui regeret patriam. Ausonius.

ANtoninus, *Fuluius* seu *Boionius* dictus, postea etiam *Pius* cognominatus, imperauit años viginti tres. Iste, ab Adriano in filium adoptatus, cuius gener fuerat, tantæ bonitatis in principatu fuit, vt haud dubie sine exemplo vixerit. quamuis eum Numæ contulerit ætas sua; cùm orbem terræ nullo bello per annos viginti tres auctoritate sola rexerit; adeo tremẽtibus eum atq; amantibus cunctis regibus, nationibusq́; & populis, vt parentem seu patronum magis quam dominum imperatorémve reputarent; omnesq; vno ore in morem cœlestium propitium optantes, de cõtrouersiis inter se iudicem poscerent. Ad quem etiam Indi, Bactri, Hyrcani, legatos misere, iustitia tãti imperatoris comperta; quam ornabat vultu sereno & pulcro, procerus membra, decẽter validus. Priusquam salutandus prodiret degustans panis aliquantulum, ne frigescente circum præcordia per ieiunium sanguine, viribus exesis interciperetur,

eoque actuum publicorum laboribus minimè sufficeret. quæ incredibili diligētia, ad speciem optimi patrisfamilias, exsequebatur. Appetentia gloriæ carens, & ostentatione: adeo mansuetus, vt instantibus Patribus ad eos qui contra eum coniurauerant, persequēdos, compresserit quæstionem; præfatus, *Necesse non esse, sceleris in semetipsum cupidos*, pertinaciùs indagari; ne, si plures reperirentur, quantis odio esset, intelligeretur. Igitur cùm esset annorum septuaginta duorum, apud Lorios villa propria, millibus passuum duodecim ab vrbe, febri paucorū dierum, post tres atque viginti annos imperij consumtus est. Ob cuius honorem templa, sacerdotes, atq; infinita alia decreta sunt. Vsq; eò autem mitis fuit, vt cùm ob inopiæ frumētariæ suspicionem lapidibus à plebe Romana perstringeretur, maluerit ratione exposita placare, quàm vlcisci seditionem. *S. Aurelius Victor Histor. antiq.*

A*Vrelio Antonino* cognomētum *Pij*. Hunc ferè nulla vitiorū labes maculauit. Vir veterrimæ familiæ, è Lanuuino municipio, Senator vrbis: adeo æqualis, probisq; moribus, vti planè docuerit, neq; *iugi pace*, ac longo otio absoluta ingenia corrumpi: eoque demum *fortunatas vrbes* fore, si regna sapientiæ sint. Deniq; annis, quibus publica egit, viginti, idem mansit, celebrato magnificè Vrbis nongentesimo. nisi forte triumphorum expertem, socordiæ videtur. quod longè secus est; cùm maius haud dubiè sit, neq; quemquam turbare ausum composita, neq; ipsum ostentandi sui bellū fecisse quietis gentibus. Quinetiam maribus frustratus, filiæ viro,

viro Reipub consultauit. *S. Aurel. Victor de Caesarib. part. 2.*

HVic successit *Antoninus Pius*: qui regnauit annis XXI. sub quo hi consules fuerunt:

Torquatus II. & Herodes.

Auiola & Maximus.

Antoninus III. & Aurelius.

Gratus & Seleucus. *His COSS. Iustinus Philosophus librum pro Christiana religione scriptum tradidit Antonino Caesari.*

Antoninus IIII. & Aurelius II.

Largus & Messalinus.

Torquatus III. & Iulianus.

Orphitus & Priscus.

Glabrio & Vetus,

Gordianus & Maximus.

Glabrio II. & Romulus.

Praesens & Rufus.

Commodus & Lateranus. *His COSS. Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus; & Basilides Scythopolitanus, philosophi illustres habentur; qui Veri quoq. Caesaris praeceptores fuerunt.*

Verus & Sabinus.

Syluanus & Augurinus.

Barbarus & Regulus.

Tertullus & Sacerdos.

Quintillus & Priscus.

Verus II. & Bradua.

Antoninus V. & Aurelius III.

P.C. Antonini VI. & Aurelij IIII. *Hoc tempore Antoninus Pius apud Lorium villam suam duodecimo ab urbe milliario moritur, anno vitae LXXVII. Vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuerunt.* Cassiodorus.

ANtoninus Imperator, optimus fuit,& Numæ,imperij administratione maximè comparandus : sicut Traianus Romulo visus fuit similis,nam & priuatam vitam Antoninus optimè & honestissimè exegit,& in imperio melior etiam & modestior esse visus est. nemini asper aut molestus, sed aduersus omnes bonus ac lenis. In bellis gloriam æquitatis potius quàm emolumenti spectabat,prouincialium salutem præferens imperij : summum iustitiæ studium habebat. reipublicæ negotiis bonos viros præficiebat ; administrationem eorum honoribus apud sese remunerans ; improbos verò sine vlla asperitate à republica remouebat.Itaq; non suis tantùm sed & peregrinis admirationi fuit: vt quidam finitimorum barbarorum,armis positis,controuersias suas Imperatori disceptandas permitterent. Cùm autem in vita priuata pecuniam ingentem habuisset,suscepto principatu suas opes omnes in militum & amicorũ munera insumpsit : in ærario autem publico copias omnis generis pecuniæ reliquit : & Pij cognomentum ex moribus primus est cõsecutus.

¶Marcus,Romanorũ Imperator,cognomento Pius , cùm aliis omnibus virtutibus præditus fuit, tum potestate omnium optimè vsus est : eo excepto quod corpore parum robusto fuit : quod ipsum tamen ex infirmissimo tolerantissimum reddidit. Beneficentiæ studiosissimus fuit,eiq; fanum condidit, nomine conuenientissimo,& inaudito prius,indito.Nam ipse quidem peccata omnia cauebat : qui neq; volens neque imprudens delinqueret. Alienorum vero peccata , vxoris suæ imprimis,ferebat : neq; curiosè

curioſè inquirendo, neq; puniendo: ſed ſi quis boni quidpiam agebat, laudabat, & ad id illo vtebatur; cæteros negligebat. Dicebat enim; *Effici homines tales quales haberi velis, nullo modo poſſe: iis verò qui ſint, ad Reipublicæ vtilitatem eſſe vtendum.* Vixit annos L. menſes X. dies XX. annos XIX. dies XI. potitus eſt imperio: ſemper ſui ſimilis in omnibus, nec in vlla re mutatus. Bonus fuit, nec quidquam habuit ſimulatum. Ab eruditione quoq; multũ habuit adiumẽti; & in eloquentia & in Philoſophia exercitatus. vnde factum, vt plurimi ſe philoſophari fingerent, quò ab eo ditarentur. plurimum tamen ab ipſa natura eſt euectus. Infinitas etiam alias laudes in eum confert Dion. *Suidas.*

HVic è tranſalpina Gallia paternum genus Nemanſenſe. Pij cognomenti cauſę diuerſæ traduntur. Illud mihi maximè probabile, vt à morum probitate affectuq; in Adrianum, & ſeruatos eos, quos Adrianus interfici iuſſerat, id traxerit. Numæ Pompilio maximè ſimilis. Nam per annos tres ac viginti nullum ſub eo bellum fuit. Amor ac timor gentium in eo certarunt, bellum mouere timentibus his aduerſus principem, quem vt numen aliquod venerarentur: nec ille gloriæ ita cupidus, vt per aliorum damna, cædesq; eam appeteret. Nam & à cõiuratis vim omnem abſtinuit, & in conſcios queri vetuit, ne plures inuenti odium augerent. Apud Lorios duodecim millibus paſſuum ab vrbe ſeptuagenarius, cum M. Antonium Philoſophum adoptaſſet, obiit febre.

Egnatius.

M. ANTONINVS ET L. VERVS.



NTONINI duo, Marcus & Verus, ille socer, hic gener, pariter Augusti, Imperium orbis æquata prius potestate tenuerunt. Sed ex his Antoninus iunior ad expeditionem Parthicam profectus est: multaque & ingentia aduersus Persas feliciter gessit. Seleuciam Assyriæ vrbem cum quadringentis millibus hostiũ cepit, ingenti gloria de Parthis cum socero triumphauit. *Sextus Rufus.*

POst hunc imperauit *M. Antoninus Verus*; haud dubiè nobilissimus: quippe cùm eius origo paterna à Numa Pompilio materna à Salentino rege penderet: & cum eo *L. Annius Antoninus Verus.* tumq; primùm Romana Respubl. duobus æquo iure imperiũ administrantibus paruit; cùm vsq; ad eum singulos semper habuisset Augustos. Hi & genere inter se coniuncti fuerunt, & affinitate: nam Verus Annius Antoninus, M. Antonini filiam in matrimonium habuit: M. autem Antoninus gener Antonini Pij fuit, per vxorem Galeriam Faustinam, iuniorem consobrinam suam. Hi bellum contra Parthos gesserunt; qui post victoriam Traiani tum primùm rebellauerant. Verus Antoninus ad id profectus est: qui Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces & ingentia patrauit: Seleuciam Assyriæ vrbem nobilissimam cum CCCCC millibus hominum cepit: Parthicum triumphum reuexit; cum fratre eodemq; socero triumphauit.

Obiit

Obiit tamen in Venetia, cum à Concordia ciuitate Altinũ proficisceretur, & cum fratre in vehiculo sederet, subitò sanguine ictus, casu morbique Græci ἀποπληξίαν vocãt. vir ingenij parũ ciuilis; reuerentia tamẽ fratris nihil vmquam atrox ausus. Cùm obiisset XI. imperij anno, inter Diuos relatus est. Post eum *Marcus Antoninus* solus Remp. tenuit; vir quem mirari facilius quis quam laudare possit. A principio vitæ tranquillissimus: adeò vt in infantia quoque vultum nec ex gaudio nec ex mœrore mutaret. Philosophiæ deditus Stoicæ, ipse etiam non solùm vitæ moribus, sed etiam eruditione philosophus. tantæ admirationis adhuc iuuenis, vt eum successorẽ parauerit Adrianus relinquere; adoptato tamen Antonino Pio, generum esse ei idcirco voluerit, vt hoc ordine ad imperiũ perueniret. Institutus est ad philosophiã per Apollonium Chalcedonium; ad scientiam Grecarũ litterarum, per Sextum Chæronensem, Plutarchi nepotem. Latinas autẽ litteras eum Fronto orator nobilissimus docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo iure egit; ad nullam insolentiam elatus imperij fastu: liberalitatis promptissimæ, prouincias ingenti benignitate & moderatione tractauit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestæ sunt. Bellum ipse vnum gessit Marcomannicum; sed quantũ nulla memoria fuit; adeo vt Punicis cõferatur. nam eo grauius est factum, ꝙ vniuersi exercitus perierant. sub hoc enim tantus casus pestilẽtiæ fuit, vt post victoriam Persicam, Romæ ac per Italiã prouinciasq́; maxima hominum pars militum omnes ferè copiæ languore defecerint. Ingenti

ergo labore & moderatione, cùm apud Carnuntum iugi triennio perseuerasset, bellum Marcomannicum cōfecit; quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atq; omnis barbaria commouerat: multa hominum millia interfecit: ac Pannoniis seruitio liberatis, Romæ rursus cum Commodo Antonino filio suo, quē iam Cæsarem fecerat, triumphauit. Ad huius belli sumptum ærario exhausto, cùm largitiones nullas haberet, neq; indicere prouincialibus aut senatui aliquid vellet; instrumentum regij cultus, facta in foro diui Traiani sectione, distraxit: vasa aurea, pocula crystallina & murrhina, vxoriam ac suam sericam ac auream vestem, multa ornamenta gemmarū: ac per duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emptoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt: molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere. Hic permisit virīs clarioribus, vt conuiuia eodem cultu quo ipse, & ministris similibus exhiberent. In editione munerum post victoriā adeo magnificus fuit, vt centum simul leones exhibuisse tradatur. Cùm igitur fortunatam Rempub. & virtute & mansuetudine reddidisset, obiit XVIII. imperij anno, vitæ LXI. & omnibus certatim adnitentibus, inter diuos relatus est. *Eutrop. Breu. li. 8.*

Post Marco tutela datur, qui scita Platonis
Flexit ad imperium, patre Pio melior:
Successore suo moriens sed principe prauo,
Hoc solo patriæ, quòd genuit, nocuit. Ausonius.

MArcus autem *Antoninus*, imperauit annos decem & octo. Iste virtutum omnium, cœlestisq;

cœlestisq; ingenij exstitit: ærumnisq; publicis quasi defensor obiectus est. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profectò quasi vno lapsu ruissent omnia status Romani. Quippe ab armis nusquam quies erat: perq; omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamq; bella feruebant: terræmotus non sine interitu ciuitatum; inundationes fluminum; lues crebræ, locustarum species agris infestæ; prorsus vt prope nihil, quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non illo imperante sæuierit. Credo diuinitus attributum, *vt dum mundi lex, seu natura, aliudve quid hominibus incognitum*, ea mala gignit, rectorum consiliis, tamquam medicinæ remediis, leniatur. Is propinquum suum, *Lucium Annium Verum*, ad imperij partem nouo beneuolentiæ genere adsciuit. Qui Verus inter Altinum atque Concordiam iter faciens, ictu sanguinis, quem morbum Græci ἀποπληξίν vocant, vndecimo imperij año exstinctus est. Carminum maximè Tragicorum studiosus, ingenij asperi atque lasciui. Pòst cuius obitum Marcus Antoninus Rempublicam solus tenuit. A principio vitæ tranquillissimus; adeo, vt ab infantia vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutauerit. Philosophiæ studens, litterarumq; Græcarum peritissimus. Hic permisit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu, quo ipse, & ministris similibus, exhiberent. Hic, cum ærario exhausto, largitiones, quas militibus impenderet, non haberet, neque indicere prouincialibus aut senatui aliquid vellet: instrumentum regij cultus, facta in foro Traiani sectione, distraxit, vasa aurea,
S. Aurel Victor

pocula cryſtallina & murrhina, vxoriam ac ſuã ſericam & auream veſtem, multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menſes venditio habita eſt, multumq; auri redactum. Poſt victoriam tamen emtoribus pretia reſtituit, qui reddere comparata voluerunt: moleſtus nulli fuit, qui maluit ſemel emta retinere. Huius tempore *Caßius* tyrannidem arripiens, exſtinctus eſt. Ipſe vitæ anno quinquageſimo nono, apud Vendobonam morbo conſumtus eſt. De eius morte nuntio Romam peruecto, confuſa luctu publico Vrbe, ſenatus in curia veſte tetra amictus, lacrymans conuenit. & quod de Romulo ægrè creditum eſt, omnes pari conſenſu præſumſerunt, Marcum cœlo receptum eſſe. Ob cuius honorem templa, columnæ, multaq; alia decreta ſunt. *S. Aurelius Victor Hiſtor antiq.*

NAmq; M. Boionium, qui *Aurelius Antoninus* habetur, eodem oppido, pari nobilitate, philoſophandi verò eloquentiæque ſtudiis longè præſtantem, in familiam atq; imperium adſciuit. cuius diuina omnia domi militiæque facta conſultaque: quæ imprudentia regendæ coniugis attaminauit: quę in tantum petulantiæ proruperat, vt in Campania ſedens, amœna littorum obſideret, ad legendos ex nauticis, quia plerumq; nudi agunt, flagitiis aptiores. Igitur Aurelius, ſocero apud Lorios, anno vitæ poſt quintum & ſeptuageſimum mortuo, confeſtim fratrem *Lucium Verum* in ſocietatem potentiæ accepit. Eius ductu Perſæ, quum primum ſuperauiſſent, ad extremum triumpho ceſſere, rege Vologeſo. Lucius paucis diebus moritur:

moritur: hincq; materies fingẽdi, dolo consanguinei circumuentũ: quem ferunt, cùm inuidia gestarum rerum angeretur, fraudem inter cœnam exercuisse. namq; lita veneno cultri parte, vuluæ frustum, quod de industria solũ erat, eo præcidit: consumtoq; vno, vti mos est, inter familiares; alterum, qua virus contigerat, germano porrexit. Hæc in tanto viro credere, nisi animi ad scelus proni, non queunt. quippe cùm Lucium satis constet Altini Venetiæ vrbe consumptum, tantumq; Marco sapientiæ, lenitudinis, innocentiæ ac litterarum fuisse, vt is Marcomannos, cum filio Commodo, quem Cæsarem suffecerat, petiturus, * philosophorũ obtestantium circumfunderetur; ne se expeditioni aut pugnæ prius committeret, quàm sectarum ardua & occulta explanauisset. Ita incerta belli eius salute, doctrinæ studiis metuebatur: tantumque illo imperante floruere artes bonæ, vt illam gloriam etiam temporum putem. Legum ambigua mire distincta, vadimoniorumq; * sollemni remoti denuntiandæ litis, operiendæque ad diem commodè, ius introductum. Data cunctis promiscuè ciuitas Romana: multæ vrbes conditæ deductæ, repositę, ornatæq; atque in primis Pœnorum Karthago, quam ignis fœde consumpserat; Asiæq; Ephesus, ac Bithyniæ Nicomedia, constratæ terræmotu: æquè ac nostra ætate Nicomedia Cereali consule. Triumphi acti ex nationibus quæ regi Marcomaro ab vsque vrbe Pannoniæ, cui Carnuto nomen est, ad media Gallorum protendebantur. Ita anno Imperij octauo decimoque, æui validior Vendobonæ interiit, maximo

S. Aurel. Victor

gemitu mortalium omnium. Deniq; qui seiuncti in aliis Patres, ac vulgus soli omnia decreuere, templa columnas, sacerdotes. *S. Aurelius Victor de Cæsarib part. 2.*

HVic successerunt filij sui, id est, *Marcus Antoninus Verus*, & *Lucius Annius Antoninus Seuerus*: qui regnauerunt annis XIX. sub quibus hi consules fuerunt:

Duo Augusti COSS.

Rusticus & Aquilinus. *His COSS. Lucio Cæsari, Athenis sacrificanti, ignis in cœlo ab Occidente in Orientem ferri visus est.*

Lælianus & Pastor.

Macrinus & Celsus. *His COSS. Fronto orator insignis habetur; qui Marcum Antoninum Verum Latinis litteris erudiuit.*

Orphitus & Pudens. *His COSS. Lucius Cæsar de Parthis cum fratre Antonino triumphauit.*

Pudens II. & Pollio.

Verus III. & Quadratus.

Aproniānus & Paulus.

Priscus & Apollinaris.

Cethegus & Clarus.

Seuerus & Herennianus. *His COSS. Lucius Annius Antoninus Seuerus, anno regni vndecimo, inter Concordiam & Altinum apoplexia exstinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.*

Orphitus & Maximus.

Seuerus II. & Pompeianus.

Gallus & Flaccus.

Piso & Iulianus.

Pollio & Aper.

Commodus & Quintillus. *His COSS. Marcus Antoninus Verus Imperator Commodum filium*

suum

suum consortem regni facit.

Orphitus & Rufus. *His COSS. Imperatores de hostibus triumphant; & pecuniam qua fisco debebatur, prouinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ vrbis foro, incendio concremarunt; ac, nequid bonitatis deesset, seueriores quasque leges nouis constitutionibus temperarunt.*

Commodus II. & Verus II. *His COSS. Antoninus Verus adeo in editione munerum magnificus fuit, vt centum simul leones exhibuerit: qui post in Pannonia morbo periit.* Cassiodorus.

MArcus qui & Antoninus, laudatus ille per omnia philosophus cùm alios audiuit, tum Romæ Sexti Bœotij philosophi fores ipse frequẽtauit. Cùm autem eum Lycius quidam, orator, Herodis Atheniensis rhetoris discipulus, prodeũtem rogaret, quò iret, quaq; de causa: Marcus, *Etiam seni*, inquit, *discere honestum est. Eo igitur ad Sextum philosophum, cogniturus, quæ nondum scio.* Ibi Lycius, manu ad cœlum sublata, *O sol*, inquit. *Romanorum imperator ingrauescente ætate libellum tractans magistrum adit: meus autem Rex Alexander, annos XXXII. natus, obiit.* Hic scripsit de vita sua libros XII. ¶ Marcus, Romanorum Imperator, is fuit, quem faciliùs tacitus admireris, quàm laudes; cùm nulla oratio viri huius æquare virtutes possit: Nam cũ à prima ætate constantem & quietam vitam sibi delegisset, semper eodem vultu conspectus fuit, nec lætitia, neque metu mutato. Philosophos Stoicos probauit, non vitæ modò instituto, sed & studio disciplinarum. Sic ille quidem adolescens etiamnum, resplenduit, vt Hadrianus sæpe de imperij hæreditate in illum confe-


renda cogitaret. Sed quia Pium iam antè legibus adoptarat, ei quidem successionem conseruauit: hunc autem affinitate Pio coniungere voluit; vt successione generis principatu potiretur. Vitam priuatam sic egit, vt se nihil efferret supra cæteros, non mutatus adoptione: & imperium summa cum potestate adeptus, ad nullam vnquam insolentiam deflexit; sed fuit ingenuus & largus in dandis beneficiis; & bonus atque moderatus in regendis populis. ¶ Ἐφιέναι] Histrione tragœdiæ prouocante, quòd à Polemone initio fabulæ scena exactus esset, rogauit Antoninus Imperator, quo tempore id accidisset: respondente illo, sub meridiem: perfacetè Imperator, *At me*, inquit, *media nocte domum eiecit; nec tamen prouocaui.* Sit hęc significatio imperatoris mansueti & magnanimi. ¶ Iulianus cognomento Theurgus, Iuliani Chaldæi filius, sub M. Antonino Imperatore floruit, scripsit versibus oracula Theurgica, initiatoria, & alia huius disciplinæ arcana. Hunc tradunt quidam, Romanis aliquando siti laborantibus, effecisse vt subitò cogerentur nubes caliginosæ, & imbrem ingentem effunderent, cum tonitrubus & fulguribus crebris: idq; sapientia quadam effecisse Iulianum. Alij Arnuphim Ægyptium hoc miraculum edidisse tradunt. *Suidas*,

Βῆρος] Verus, Imperator Romanorum, minimè industrius, sed ebrietatis morbo dissolutus ferè: vnde inconsulta semper temeritate vtebatur. *Suidas*.

Quàm

QVàm læta felixque successio optimis, piis, philosophis imperatoribus referendis: vtinam qui sequētur, tales meritò dici possent. Nam hic ea ingenij bonitate his virtutibus excelluit, vt exemplum desit: & ea temporum calamitas affuit, vt solus ærumnis publicis obstiterit. Nisi enim hic præfuisset, maiestas Romani nominis facilè tunc concidisset, Marcomannis, Quadis, Septentrione omni hinc sæuiente, inde Persis Orientem vastantibus, lue interim, inundationibus fluminum, locustarum vi omnia populātibus. Sed victi primùm Veri principis auspicio Persę. Marcomannicum mox bellū Christianorū etiam ope qui tunc militabāt, ex sentētia pꝛ ipsius principis præsentiā confectū. Ad quod gerendum principalis supellex hastæ subiecta, cùm pecunia in stipendiū deesset. Felicissimus certè princeps, nisi hæredē Commodum reliquisset post annū imperij duodeuigesimum, ętatis quinquagesimum nonum. *Egnat.*

COMMODVS.



HVius successor L. ANTONINVS COMMODVS, nihil paternum habuit; nisi quòd cōtra Germanos feliciter & ipse pugnauit. Septembrem mensem ad nomē suum transferre conatus est, vt Commodus diceretur. sed luxuria & obscœnitate deprauatus, gladiatoriis armis sæpissime in ludo, deinceps etiā in amphitheatro cum huiusmodi hominibus sæpe dimicauit. Obiit morte subita; adeo vt strangulatus, vel veneno interfectus putaretur. cùm annis XII. post patrē, & VIII.

mensibus imperasset; tanta exsecratione omnium, vt hostis humani generis etiam mortuus iudicaretur. *Ex Eutrop. Breuiar. lib 8.*

Commodus insequitur, pugnis maculosus arena,
Threicio princeps bella mouens gladio.
Eliso tandem persoluens gutture pœnas,
Criminibus fassus matris adulterium. Ausonius.

A *Vrelius Commodus*, Marci Antonini filius, *Antoninus* & ipse dictus, imperauit annos tredecim. Hic qualis futurus esset, in ipso primordio ostendit. Nam cùm in supremis moneretur à parente, attritos iam Barbaros ne permitteret vires recipere: respondit, *Ab incolumi, quamuis paulatim, negotia perfici posse; à mortuo verò, nihil.* Sæuior omnibus libidine atq; auaritia, crudelitate: nulli fidus: magisq; in eos atrox, quos amplissimis honoribus donisque ingentibus extulerat intantum deprauatus, vt gladiatoriis armis sæpissime in amphitheatro dimicauerit. Huic Marcia generis libertini, forma tamen meretriciisq; artibus pollens, cùm animum eius penitus deuinxisset, egresso e balneo, veneni poculum obtulit. Ad extremum, ab immisso validissimo palæstrita compressis faucibus, exspirauit, anno vitæ tricesimo secundo. *S. Aurel. Victor Histor. antiq.*

AT filius sæua à principio dominatione detestabilior habebatur, præcipuè per maiorũ controuersam memoriam; quæ posteris vsque eò grauis est, vt absq; cõmuni in impios odio, quasi corruptores generis exsecrabiliores sint. Bello planè impiger: quo in Quades prosperè gesto, Septembrem mensem *Commodum* appellauerat. Mœnia, Romana potentia vix digna, lauandi

lauandi vsui instituit. Immiti prorsus feroque ingenio; adeo quidem vt gladiatores, specie depugnādi, crebrò trucidaret; cùm ipse * ferrū obiectū veronibus plumbeis vteretur. Cumq; eo modo plures confecisset, fortè eum Scæua nomine, audacia ac robore corporis, pugnandiq; arte peruidens, ab studio tali deterruit; q spreto gladio, quem inutilem cernebat, sufficere vtriq; ait, quo armabatur ipse. Eo metu, ne inter congressum, vti solet, extorto pugione cōficeretur, Scæuam remouit; atque ad alios formidolosior, in feras belluasque ferociam conuertit. Quis rebus cùm insatiabilem sanguinis cuncti horrescerēt; cōiurauere *ne in eum maximè proximus; quippe *dominationi* adeo fidus nemo; ipsiq; satellites, dum incestam mentem prauamq; putant: & *Commodum* quidem primò occultatiùs veneno petiuêre, anno regni tertio ferè atq; decimo. Cuius frustrata per cibum, quo se casu repleuerat; cùm tamen alui dolorem caussaretur, auctore medico, principe factionis, in palæstram perrexit. vbi per ministrū vngendi (nam forte is quoq; è cōsilio erat) faucibus, quasi arte exercitij,* pacchiorū nodo validius pressis exspirauit. Quo cognito Senatus, qui ob festa Ianuariorum frequēs,* primo luci conuenerat; simul plebes hostem deorum atque hominum appellauere, radendumq; nomen sanxere: *Sext Aurelius Victor parte 2.*

Commodus filius eius à senatu Augustus est appellatus: qui regnauit annis XIII. sub quo hi consules fuerunt:

Præsens & Gordianus.

Commodus III. & Byrrus.

Mamertinus & Rufus.
Commodus IIII. & Victorinus.
Marullus & Ælianus. *His COSS. Thermæ Commodianæ Romæ factæ sunt.*
Maternus & Bradua.
Commodus V. & Glabrio.
Crispinus & Ælianus.
Fuscianus & Silanus.
Duo Silani. *His COSS. Commodus Imperator colossi capite sublato, suæ imaginis caput iussit imponi.*
Commodus VI. & Septimianus.
Apronianus & Bradua.
Commodus VII. & Pertinax. *His COSS. Commodus strangulatur in domo Vestiliani.* Cassiod.

COmmodus, Imperator Romanorum, nescio quibus actus intemperiis ita insaniit & debacchatus est, vt suum nomen repudiaret, & Herculem se ac Iouis filium dici; & menses suis appellari nominibus vellet, hoc modo: *Amazonius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Exsuperantius, Inuictus, Pius, Felix, Lucius, Ælius, Aurelius*: abiectoq; Romanorum habitu, leonina pelle se inuolueret, & clauam gestaret: itaque & cum bestiis & cum hominibus duello publicè congrederetur; reuera ita sagaciter iaculans, vt omnibus admirationi esset. Cùm autem ad nefandas cędes animum appulisset, omnes sine clementia miseros & mutilatos viros, in theatrum coactos, serpentinis quibusdam spectris ad genua alligatis, tamquam gigantes, claua confecit. Cùm verò in gladiatorum tabernas pernoctasset, atq; inde ad spectacula procederet, obuiam eunte senatu, ab omnibus malè audiebat; adeo vt Marcia etiam,

quam

quam inter concubinas maximi faciebat, eum reprehenderet, & ab illis factis dehortaretur. Multi alij quoque supplices rogabant, ne quid imperio admitteret indignum. *Suidas.*

ADolescens mortuo in Germania patre, imperator omnium votis est dictus. Et quis filium Antonini reiecisset? Ille verò etiam patri non satis probatus, statim Caligulæ ac Neronis simillimus euasit: libidine, auaritia & crudelitate illis anteferendus. Nam in scena sæpe aurigæ habitu prodiit Ludis gladiatoriis & Dalmaticatus præsedit, & in amphitheatro gladiator dimicauit. Athletarum etiam more publicè se exercuit. Quæ omnia actis instruenda publicis curauit. Tādem Læto autore & cōcubina Martia, post tertium decimum annum imperij strangulatur. *Egnatius.*

PERTINAX.



HVic successit PERTINAX; grandæuus iam; vt qui septuagenariam attigisset ætatem; præfecturam vrbi tum agens; ex S.C. imperare iussus. Octogesimo imperij die prætorianorum militum seditione, & Iuliani scelere occisus est. *Eutrop. Breuiarij lib. 8.*

Æli iudicio & consulto lecte senatus,
Princeps decretus prodite, non studiis:
Quod doluit malefida cohors errore probato,
Curia quòd castris cesserat imperio. Ausonius.

H*Eluius Pertinax*, imperauit dies octoginta quinq;. Iste coactus imperauit repugnās[?]; Imperium suscipiens, tale cognomentum sor-

titus est Origine gentis sordida, præfecturam Vrbi agens, Imperator effectus, scelere Iuliani multis vulneribus obtruncatur, annos natus septem atq; sexaginta. Huius caput tota Vrbe circumuectum est. Hoc exitu obiit vir ad humanæ conuersationis exemplum per laboris genera vniuersa assumtus, prouectusque eò, vt *fortunæ* vocaretur *pila*. Nam libertino genitus patre apud Ligures in agro squalido Lollij Gentiani; cuius in præfectura quoq; clientem se esse libentissimè fatebatur, fuit doctor litterarũ quæ à Grammaticis traduntur. Blandus magis quàm beneficus: vnde eum Græco nomine χρηστολόγον appellauere. Numquam iniuria accepta ad vlciscendum ductus. Amabat simplicitatem: communẽ se affatu, conuiuio, incessu præbebat. Huic mortuo *Diui* nomen decretum est: ob cuius laudem ingeminatis, ad vocis vsque defectum, plausibus, acclamatum est, *Pertinace imperante securi viximus: neminem timuimus. Patri pio; patri senatus, patri omnium bonorum.* Sex. Aurel. Victor Histor. antiq.

COnfestimq; Pręfecto Vrbi *Aulo Heluio Pertinaci* imperium defertur. Hic doctrinæ omnis, ac morib. antiquissimis; immodicè parcus, Curios æquauerat Fabriciosq;. Eum milites, quîs exhausto iam perditoq; orbe, satis videtur nihil, impulsore Didio, fœdè iugulauere, octogesimo imperij die. *Sext. Aurelius Victor de Cæsarib. parte 2.*

HVic successit *Ælius Pertinax*; qui regnauit mensibus VI. sub quo hi consules fuerũt: Falco & Clarus. *His COSS. Pertinax occiditur in Palatio, maior septuagenario.* Cassiodorus.

Successe-

SVccesserat haud dubiè flagitiosissimo principi princeps optimus, si non illum militaris auaritia, fatis in peius omnia trahentibus, intra octogesimum quintum imperij diem de medio sustulisset. Alba Pompeia in Liguribus huic patria, genus humile ac sordidum. Virtus atq; innocentia summa, militia clarus, & in ea ad summas dignitates euectus, vnde & pilæ dictus est ludus. Hic cùm summam de se exspectationem omnibus daret, Læti insidiis, qui imperium illi astruxerat, & militari factione, Iuliano, qui successit, non inscio, LXXI. ætatis anno periit. *Egnatius.*

IVLIANVS I.



POst eum SALVIVS IVLIANVS Rempub. inuasit; vir nobilis, & iuris peritissimus; nepos Saluij Iuliani, qui sub diuo Adriano perpetuum composuit edictũ. Victus est à Seuero apud Miluium pontem, interfectus in palatio. vixit mensibus septem, postquam cœperat imperare. *Eutrop. Breu. lib. 8.*

Dij bene, quòd spoliis Didius non gaudet optimis,
Et citò periuro præmia adempta seni:
Tuq; Seuere pater, titulum ne horresce nouantis:
Non rapit imperium vis tua, sed recipit. Auson.

DIdius Iulianus, ortu Mediolanensis, imperauit mensibus septem, vir nobilis, iure peritissimus, factiosus, præceps, regni auidus. Hoc tempore *Niger Pescennius* apud Antiochiam; in Pannoniæ Sabaria *Septimius Seuerus*, creantur Augusti. Ab hoc Seuero Iulian9 in abditas pa-

latij balneas ductus, extenta damnatorum modo ceruice, decollatur: caputq; eius in rostris ponitur *S. Aurelius Victor Histor. antiq.*

AT *Didius* (an Saluius?) *Iulianus*, fretus Prætorianis, quos in societatem promissis magnificentioribus perpulerat, ex Præfectura Vigilum ad insignia dominatus processit. Genus ei pernobile; Iurisq; vrbani præstans scientia: quippe qui primus Edictum, quod variè inconditeque à Prætoribus promebatur, in ordinem cōposuerit. Hincq; satis compertum, *cohibendæ cupidini*, ingenium ni iuuet, eruditionem imbecillem esse. cùm præceptor & asper quidem, rectiùs viuendi, in facinus processerit, quod nouo supplicio plectendum ediderat. Neque tamen cupito potitus diu. Namq; eum, acceptis ilico quæ acciderant, Septimius Seuerus, qui fortè Syriæ legatus, in extremis terris bellum gerebat, Imperator creatus, pontem proximè Miluium acie deuicit: missiq; qui fugientem insequerentur, apud palatium Romæ obtruncauêre. *S. Aurel. Victor de Cæsarib. parte 2.*

IVlianus Consul, empto imperio, statim suscepto principatu luxui & crapulæ vacabat: Reipublicæ verò curationem segniter attingebat, voluptatib. deditus. Cōstabat & milites ab eo esse deceptos. neq; enim de suo tantū nummorū habebat; & publici thesauri à Commodo erāt exhausti. Qua de causa milites indignabātur, & popul' in theatro eū contēnebat. *Suid.*

IMperium, quod per scelus necis imperatoriæ conscius, primus etiam licitatus esse dicitur, intra septimum mēsem cum vita simul amisit: neq; enim militi gratus, ob non integrum do-

natiuum

natiuum datum,& populo etiam inuisus ob perfidiam in principem optimum. Quare inter vtriusq; odia destitutus. Septimi Seueri iussu, qui imperatorem se appellauerat, damnatorũ more necatur. Vocesq; in illum graues à populo sæpe iactatæ. *Egnatius.*

SEVERVS.



EPTIMIVS SEVERVS, natione Afer, acerrimus imperator, Parthos strenuissimè vicit; Adiabenos deleuit, Arabas interiores obtinuit, & Arabiam prouinciã fecit. Huic cognomina ex victoriis quęsita sunt. nam Parthicus, Adiabenicus, & Arabicus est cognominatus. *Sextus Rufus.*

HInc imperij Romani administrationem *Septimius Seuerus* accepit: oriundus ex Africa prouincia Tripolitana, oppido Lepti. solus omni memoria & ante & postea ex Africa Imperator fuit. Hic primũ fisci aduocatus, mox militaris tribunus, per multa deinde & varia officia atq; honores vsq; ad administrationem totius Reip. peruenit. *Pertinacem* se appellari voluit, in honorem eius Pertinacis qui à Iuliano fuerat occisus. Parcus admodum fuit; natura sæuus. Bella multa & feliciter gessit. *Pescennium* Nigrum, qui in Ægypto & Syria rebellauerat, apud Cyzicũ interfecit. Parthos vicit: Arabas eo vsq; superauit, vt etiam prouinciam ibi faceret, idcirco Parthicus & Arabicus dictus est. Multa toto Romano orbe reparauit. Sub eo etiam *Clodius Albinus*, qui in occidendo Pertinace socius fuerat Iuliano, Cæsarem se in Gallia

fecit: victusq; apud Lugdunum est & interfectus. Seuerus autem præter bellicam gloriam, etiam ciuilib. studiis clarus fuit, & litteris doctus, philosophiæ scientiā ad plenum adeptus. Nouissimum bellum in Britannia habuit: vtq; receptas prouincias omni securitate muniret, vallum per XXXII. millia passuum à mari ad mare deduxit. Decessit Eboraci admodum senex, imperij anno XVIII. mense IIII. & Diuus appellatus est. nam filios suos successores reliquit, Bassianum & Getam: sed Bassiano Antonini nomen à Senatu voluit imponi. itaque dictus est *M. Aurelius Antoninus Baßianus*: patriq; successit. Nam Geta hostis publicus iudicatus, confestim periit. *Eutrop. 8.*

Impiger egelido mouet arma Seuerus ab Istro,
Vt parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi, sed qui virtute probaret,
Non obstare locum, quum valet ingenium. Auson.

S*Eptimius Seuerus*, imperauit annos decem & octo. Hic Pescennium interemit, hominem omnium turpitudinum. Sub eo etiam *Albinus*, qui in Gallia se Cæsarem fecerat, apud Lugdunum occiditur. Hic Seuerus filios suos successores reliquit, Bassianum & Getam. Hic in Britannia vallum per triginta duo passuum millia à mari ad mare deduxit. Fuit bellicosissimus omnium qui ante eum fuerunt. Acer ingenio; ad omnia quæ intendisset, in finem perseuerans. Beneuolentia, quò inclinasset, mirabili ac perpetua. Ad quærēdum diligens; ad largiendum liberalis. In amicos inimicosque pariter vehemens: quippe qui Lateranum, Cilonem, Anulinum, Bassum, cæterosq; alios ditaret, ædibus quoq;

quoq; memoratu dignis: quarũ præcipuas videmus, Parthorũ quę dicuntur, ac Laterani Hic nulli in dominatu suo permisit honores venũdari. Latinis litteris sufficienter instructus: Gręcis sermonib. eruditus: Punica eloquẽtia promtior; quippe genitus apud Leptim prouinciæ Africæ. Is, dum membrorum omnium, maximè pedum, dolorẽ pati nequiret; veneni vice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurimæ carnis auidius inuasit: quem cùm conficere non posset, cruditate pressus, exspirauit. Vixit annos sexaginta quinq;. *S. Aurel. Victor Histor. antiq.*

IGitur *Septimius*, Pertinacis nece, simul flagitiorum odio, dolore, atq; ira commotior, cohortes Prætorias statim militia exemit: cunctisq; partium cæsis, Heluium Senatusconsulto inter Diuos refert; Salui nomen, atque eius scripta factáve aboleri iubet: quod vnum effici nequiuit. *Tantum gratia* doctarum artium valet, vt scriptoribus ne sæui mores quidem ad memoriam officiant. Quinetiam mors huiuscemodi, ipsis gloriæ, exsecrationi actoribus est: cùm omnes, præcipueq; posteri, sic habent, illa ingenia nisi publico latrocinio, ac per dementiam, opprimi non potuisse. Quò bonis omnibus ac mihi fidendum magis qui rure ortus, tenuiq; indocto patre, in hæc tempora vitam præstiti studiis tãtis honestiorem. Quod equidem gentis nostræ reor, quæ fato quodam bonorum partu fœcũda, quos eduxit tamen, quemq; ad celsa suos habet: velut Seuerum ipsum, quo præclarior in Republ. fuit nemo: qui, quamquã exacta ætate mortuum, * iustitio elogióq; lugendum sanxere: astruentes illum iustum

nasci, aut emori minimè conuenisse: scilicet quòd corrigendis moribus nimium, postquam ad veterum innocentiam, quasi mensium sanitatem, peruenerant, clemētem habuere. Ita honestas, quæ principio anxia habetur; vbi contigerit, voluptati luxuriæq; est. *Pescennium Nigrū* apud Cyzicenos, *Clodium Albinum* Lugduni victos coëgit mori: quorum prior Ægyptum dux obtinens, bellum mouerat, spe dominationis: alter, Pertinacis auctor occidendi, cùm eo metu in Britannos, quam prouinciam à Commodo meruerat, tramittere nitebatur; in Gallia inuaserat Imperium. Horum infinita cæde crudelior habitus, ac cognomento *Pertinax*. quamquam ob vitæ parsimoniam similem, ipsum magis adsciuisse plures putent; nobis mens ad credendum prona, acerbitati impositum. Nam cùm quidam hostium, quem tamen, vti bellis ciuilibus solet, conditio loci ad Albinum detulerat, causa exposita, nouissimè conclusisset; *Quid, quæso, faceres, si tu esses?* ille respondit; *Ea perferrem quæ tu.* Quo dicto factoq; durius nihil bonis: cùm sanctiq; huiuscemodi dissensiones, quamuis studiosius cœptas, fortunæ increpent; magisq; in protegendis, quàm ad perdendum ciues verum corrumpi patiantur. At iste delendarum cupidus factionū, quò deinceps mitiùs ageret, necessitudinem facti vlcisci maluit, ne paulatim spe veniæ in labem publicam per coniurationes procederetur: ad quas vitio temporum animos intelligebat. neque ego abnuo, *ea delictorum* quę grassari immodicè cœperint, plus pænè quàm seuerè excidēda esse. Felix ac prudens, armis præcipuè; adeo, vt nullo

vt nullo congressu nisi victor discesserit, auxeritq; Imperium, subacto Persarum rege, nomine Agarro Neq; minus Arabas, simul adortus vt est, in dicionem redegit, prouinciæ modo. Adiabena quoq;, ni terrarum macies despectaretur in tributarios concessisset. Ob hæc tanta, *Arabicum*, *Adiabenicum*, & *Parthici* cognomento Patres dixere. His maiora aggressus, Britanniam, quæ ad ea vtilis erat, pulsis hostibus, muro muniuit, per transuersam insulam ducto, vtrimque ad finem Oceani. Quinetiam Tripoli, cuius Lepti oppido oriebatur, bellicosæ gentes submotæ procul. Quæ factu ardua, faciliùs eò patrabantur, quò implacabilis delictis, strennuum quemque præmiis extollebat. Deniq; ne parua latrocinia quidem impunita patiebatur, in suos animaduertēs magis: quod vitio Ducum, aut etiam Præfectorum, fieri vir experiens intelligeret Philosophiæ, declamandi, cūctis postremò liberalium deditus studiis: idemq; abs se texta ornatu & fide paribus com posuit. Legum conditor longè æquabilium. Huic tanto domi forisq;, vxoris probra summā gloriæ demsere: quam adeo famosè amplexus est, vti cognita libidine, ac ream coniurationis, retentarit. Quod cùm infimo turpe, tum potentibus; & illi magis cui non priuati, neque singuli, aut flagitiosi, verùm Imperia, & exercitus, atque ipsa vitia concessēre. Nam cùm pedibus æger bellum moraretur, idq; milites anxiè ferrent, eiusque filium Bassianum, qui Cæsar vnà aderat, Augustum fecissent; in tribunal se ferri, adesse omnes, Imperatoremque ac Tribunos, Centuriones ac cohortes, quibus

auctoribus acciderat; sisti, reorum modo, iussit. Quo metu stratus humi victor, cùm tantorum exercitus veniam precaretur: *Sentitisne*, inquit, pulsans manu, *caput potiùs quàm pedes imperare?* Neque multò post Britanniæ municipio, cui Eboraci nomen, annis regni duodeuiginti morbo exstinctus est. Ortus Mediæ * humili, primò litteris, deinde imbutus foro: quo parum commodante, vti rebus artis solet: dum tentat aut exquirit varia meliorāq;, cōscendit Imperium. Ibi grauiora expertus, laborem, curas, metum & incerta prorsus omnia: quasi testis vitę mortalium. *cuncta*, inquit, *fui; conducit nihil*. Funus quod liberi Geta Bassianusq; Romam detulerant; mirè celebratum, illatumq; Marci sepulcro: adeo percoluerat, vt eius gratia Commodum inter Diuos referri suaserit, fratrem appellans; Bassianoque *Antonini* vocabulum addiderat; quòd ex illo post multos dubiosque euentus, auspicia honorum cepisset patrocinio fisci. *deinde laborantibus secundarum initia earumq; auctores, memoriæ sunt.

At posteri, quasi bellum inter se mandatis accepissent, confestim secessêre. Ita Geta, cui nomen paterno ab auo erat, cùm eius modestiore ingenio frater augeretur, obsessus interiit. quæ victoria Papiniani exitio fœdior facta, vt sanè putant memoriæ curiosi: quippe quem ferunt illo tempore Bassiani scrinia curauisse, monitumq; vti mos est, destinādo Romam quàm celerrimè componeret. dolore Getæ dixisse; haud quaquam pari facilitate velari parricidium qua fieret. iccirco morte affectum. Sed hæc improbè absurda sunt, cùm constet satis,

tis, Præfecturam Prætorio gessisse, neque inconditè illum virum tantam contumeliam imponere potuisse, cui amori ac magisterio erat. *S. Aurel. Victor de Cæsarib. parte 2.*

SEuerus prouincia Tripolitana natus oppido Lepti; solusque Afer Imperator Romanus fuit: qui regnauit annis XVIII. sub quo hi consules fuerunt:

Seuerus & Albinus.
Tertullus & Clemens.
Dexter & Priscus.
Lateranus & Rufinus.
Saturninus & Gallus.
Anulinus & Fronto. *His COSS. Seuerus Parthos & Adiabenos superauit, Arabasq; interiores ita cecidit, vt regionem eorum Romanam prouinciam faceret. ob qua Parthicus, Arabicus, & Adiabenicus cognominatus est.*
Seuerus II. & Victorinus.
Fabianus & Mucianus. *His COSS. Thermæ Seurianæ apud Antiochiam & Romæ factæ, & Septizodium instructum est.*
Seuerus III. & Antoninus.
Geta & Plautianus.
Chilo & Libo.
Antoninus II. & Geta II.
Albinus & Ælianus.
Aper & Maximus. *His COSS. Seuerus in Britannos bellum mouit: vbi vt receptas prouincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per CXXXII. passuum millia à mari ad mare duxit.*
Antoninus III. & Geta III.
Pompeianus & Auitus. *His COSS. Tertullianus Afer Christianorum scriptor celeberrimus habetur.*


Faustinus & Rufus. *His COSS. Origenes scriptor Alexandriæ studiis eruditur.*
Gentianus & Bassus. *His COSS. Seuerus Imperator Eboraci in Britannia moritur.* Cassiodor.
SEuerus, Romanorum Imperator, legiones misit, quæ Byzantium obsiderent: eo enim Nigri duces confugerant. Capta vrbs est fame, & tota euersa: & theatris ac balneis omnique ornatu ac honore priuata, in pagum redacta, qui seruiret, Perinthiis dono data; sicut & Antiochia Laodicensibus. Cum interdictum militibus esset, ne rem haberent cum mulieribus: Seuerus hoc concessit: eosq; aureis anulis donauit. Cum Seuerum Byzãtini cum oleagineis ramis faustis acclamationibus exciperent, salutemq; peterent, seq; excusarent, cędibus quidem abstinuit, sed denuo Perinthiis eos subiecit; & porticus eis theatri & cynegiorum (id est venationum) præbuit, & circum equestrem condidit, tabulatis & repagulis ornatum, emptis ædibus & hortis quorundam pupillorum fratrum: resectisq; arboribus quæ circo imminebant, ea figura quæ nunc cernitur, exornauit, adiunctis etiam balneis in æde Iouis quæ Zeuxippus dicebatur. Renouauit & Strategium. Atq, hæc omnia Seuerus auspicatus est; filius eius Antoninus perfecit. Seuerus, Alexandriam ingressus, inscriptionem reperit in prima: DOMINI NIGRI EST VRBS. Quod cum ægre tulisset, obuiam illi processit Alexandrinus populus, vociferans; *Nouimus dixisse nos, DOMINI NIGRI ESSE VRBEM. Tu enim es Nigri Dominus.* Expedita igitur defensione prebata, illis ignouit. Seuerus, sophista

ſophiſta Romanus,in Arabiam è Syria & in Palæſtinam venit; & in Ægyptum ſuperiorem nauigio per Nilum aſcendit, eamq; totam paucis exceptis,perluſtrauit: (nam Æthiopiæ confinia propter peſtilentiam ingredi non potuit) omniaq; etiam occultiſſima indagauit. Is enim erat qui neq; diuinarum neq; humanarum rerum quidquam imperueſtigatum relinqueret: eoque libros arcanos omnes,quos quidem reperire potuit,ex omnibus adytis ſuſtulit, & Alexandri monimento incluſit; quo nec corpus eius quiſquam cerneret amplius, neque libris inſcripta legeret. Hic natione Afer erat, in rebus gerendis ſtrenuus ſimul & iracundus; & duræ atq; aſperæ vitæ aſſuetus, facillimè labores tolerabat; & ſtatim quid facto eſſet opus perſpiciebat,& quod decreuiſſet,ſine mora exſequebatur.Palatium ingreſſus, Albini amicos apud Senatum accuſauit: eorumq; literas quibus conuincerentur protulit; & aliis alia crimina obiiciendo, omnes ſenatus principes, & ſingularum prouinciarum nobiliſſimos ac ditiſſimos quoſq; interfecit. Auri etiam auidiſſimus fuit,vt fortitudinē vinceret auaritia.*Suid.*

AFrica illa olim imperij Romani æmula,hūc genuit imperatorem magis neceſſarium, quàm vtilem. Vnde etiam iactatum vulgo, aut nunquam naſci debuiſſe,aut nunquā mori. Nam & imperiū fortiter adminiſtrauit:& ſublatis in Oriente Peſcennio Nigro, in Galliis Clodio Albino,quē & Cæſare dixerat, Oriētem omnē,Parthis,Arabib. Adiabenis deuictis,Romanæ maieſtati reſtituit. Arcus adhuc Romæ victoriæ monimentū titulis magnificētiſſimis viſitur. Britannos tumultuātes cōpeſcuit vallo

per XXXII. passuū millia à mari ad mare ducto, vbi etiam duodeuigesimo imperij año, septuagenario maior ex articulari morbo decessit. Bellicis artibus clarus: pacis, nisi sæuitia ac perfidia eas inquinasset, non contemnendus. Cæterum literarum non ignarus, matheseos peritus: à Latinis non abhorrens, nisi Punicum quid redderet. Cædibus illustrium virorum adeo infamis, vt Punicas clades in toga cæsorum ciuiū Romanorum sanguine rependerit. *Egnatius*.

ANTONINVS CARACALLA.



ANTONINVS *Baßianus* cognomento *Caracalla*, filius Seueri Imperatoris, expeditionem in Parthos parans, in Osroëna apud Edessam propria morte obiit, & ibidem sepultus est. *Sext. Rufus*.

Marcus igitur *Aurelius Antoninus Baßianus*, idemq; *Caracalla*, morum ferè paternorum fuit: paulò asperior, & minax. Opus Romæ egregium fecit lauacri, quæ Antoninianæ appellantur; nihil præterea memorabile. Impatiens libidinis; vt qui nouercā suam Iuliam, vxorem duxerit. Defunctus est in Osdroene apud Edessam, moliens aduersum Parthos expeditionem, anno imperij VI. mense II. vix egressus ætatis XLIII. annum. funere publico elatus est. *Eutrop. 8*.

Dißimilis virtute patri, & multò magis illi:
Cuius adoptiuo nomine te perhibes:

Fratris

Fratris morte nocens, punitus fine cruento.
In risu populi tu Caracalla iaces. Ausonius.

A*Vrelius Antoninus Baßianus Caracalla*, Seueri filius Lugduni genitus, imperauit solus annos sex. Hic, *Baßianus* ex aui materni nomine dictus est: at cùm è Gallia vestem plurimam deuexisset, talaresque caracallas fecisset, coëgissetque plebem se ad salutandum indutam talibus introire, de nomine huiusce vestis *Caracalla* cognominatus est. Hic fratrem suum *Getam* peremit: ob quam caussam, furore pœnas dedit *Dirarum insectatione*, quæ non immeritò *vltrices* vocantur: à quo pòst furore conualuit. Hic corpore *Alexandri* Macedonis conspecto, *Magnum* atque *Alexandrum* se iussit appellari; assentātium fallacijs eò perductus, vt truci fronte, & ad læuum humerum conuersa ceruice, quod in ore Alexandri notauerat, incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Fuit impatiens libidinis; quippe qui nouercam suam duxit vxorem. Cùm Carras iter faceret, apud Edessam, secedens ad officia naturalia, à milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est. Vixit annos ferè triginta. Corpus eius Romā relatū est. *S. Aurel. Victor histor. antiq.*

C Eterum *Antoninus*, incognita munerū specie, vrbem Romanam * adjiciens, quòd indumenta in talos demissa largiretur, *Caracalla* dictus: cùm pari modo * vesti *Antonianas* nomini suo daret. Alamannos gentem populosam, ex equo mirificè pugnantem, prope Mœnum amnem deuicit. Patiens, communis, tranquillusque pari fortuna, & eodem matrimonio, quo pater. Namque Iuliam nouercam, cuius

facinora suprà memoraui, forma captus, coniugem affectauit; cùm illa factiosior, aspectui adolescentis, præsentiæ quasi ignara, semet dedisset, intecto corpore; asserentique, *Vellem, si liceret, uti*, petulantiùs multo (quippe quæ pudorem velamento exuerat) respondisset; *libet? plane licet.* Ægypti sacra per eum deportata Romam, atque aucta Vrbs magno accessu Viæ nouæ, & ad lauãdum absoluta opera pulchri cultus. Quibus confectis, cùm Syriam circumgrederetur, anno potentiæ sexto moritur. Corporis reliqua, luctu publico relata Romam, atque inter Antoninos funerata sunt. *S. Aurel. Victor de Cæsarib. part. 2.*

HVic successit *Antoninus Caracalla* Seueri filius; qui regnauit annis VII. sub quo hi consules fuerunt:

Duo Aspri.

Antoninus & Balbinus.

Messala & Sabinus. *His COSS. Antoninus Cararalla cognominatur propter genus vestis, quod Romæ erogauerat: & è contrario caracalla ex eius nomine* Antonianæ *dictæ*.

Lætus & Cærealis.

Sabinus II. & Venustus. *His COSS. Antoninus Romæ Thermas sui nominis ædificauit.*

Præsens & Extricatus.

Antoninus & Aduentus. *His COSS. Antoninus interficitur inter Edessam & Carras, anno ætatis XLIII.* Cassiodorus.

ANtoninus, Romanorum Imperator, Seueri filius; præter cætera mala cædibus etiam gaudens,

gaudens. Itaque milites, vim faciendi & rapiendi potestate data, nulla iam re à latronibus differebant. Talia cùm ageret & facinoribus suis agitatus, & moram in vrbe perosus, Roma decessit, vt & legiones curaturus, & prouincias inspecturus. Ad Istrum cùm peruenisset, Germanos accolas sibi conciliauit, vt & auxilia ab eis acciperet, & satellites; eorumque habitu vteretur. Sic & barbaris & militibus erat carus; comis erga omnes: qui Commilito potius ab eis quàm Imperator diceretur. In Macedonia se Alexandrum vocauit. Pergamum vbi peruenit, & ad Achillis tumulum, eo floribus & coronis ornato, Achillem imitabatur. Perque Asiam & alios populos Antiochiam profectus, & aliquandiu ibi moratus, Alexandriam perrexit; vrbis Alexandri desiderium causatus. Quam cùm omni exercitu ingressus, sic est ab Alexandrinis susceptus, vt nemo vnquam Imperator. Ad Alexandri monumentum cùm venisset, chlamydem quam gestabat & anulum & cingulum, & si quid aliud pretiosum habebat, loculo illius imposuit. Populus itaque animi illius ignarus, gaudebat. Cùm enim eos in se & matrem multa dicteria iecisse cognouisset, publico edicto pubem omnem in planicie quadam conuenire iussit, se in Alexandri honorem phalanges instituturum professus. Quæ cùm bona spe plena, præsto esset, ordine astantes contemplatus, ipse quidem abijt; sed immissis militibus omnes trucidauit: tantaque cæde edita, vt Nilus vniuersus rubesceret.

¶ Traditur Seuerus omnibus rebus, ad animi corporisque virtutem pertinentibus Antoninũ studiosè excoluisse: vt iã Imperator quoq;, & magistris vteretur, & magnam diei partem philosopharetur. Vtebatur & siccis vnctionibus & ad DCCL. stadia equitando conficiebat. Ad hæc natando etiam, in fluctu quoque & tempestate, exercebatur. At ille his rebus aliquo modo robur quidem corporis auxit; disciplinæ autem adeo est oblitus, quasi ne nomen quidem illius vmquam audiuisset. Neque tamen indisertus fuit aut imprudens: sed & multa acutissimè perspexit, & expeditissimè est elocutus. Nam & licentia potestatis elatus, & temeritate quicquid in buccam incidisset, inconsideratè eloquendi, & impudentia quiduis proferendi, sæpe scopum attingebat. *Suidas.*

Vestis huic quam talarem è Gallijs aduectam, Romano populo donarat, cognomen addidit. Seuero patri adhuc viuenti contumax, nec minus in fratrem Getam impius, quem patre mortuo statim occiderit: militi tamen gratus, cùm ob ingens donatiuum his datum, tum quòd in castris gregarij penè militis vices ageret. Alexandri Magni admirator, quem collo in læuum humerum detorto reddere cuperet. Hic orbe peragrato Alexandrinorum dicacitatem vltus ingenti eorum cæde. Persas dolo magis, quàm virtude fudit. sexto demum imperij anno militum dolo Carris, dum ventris oneri leuando intenderet, interficitur XXX. ætatis anno. *Egnatius.*

MACRI-

MACRINVS.



OPILIVS deinde MACRINVS, qui præfectus prætorio erat, cum filio DIADVMENO facti Imperatores, nihil memorabile ex temporis breuitate gesserunt. nam imperium eorum duûm mensium, & vnius anni fuit. seditione militari ambo pariter occisi sunt. *Eutropius 8.*

Princeps hic custos sumptum pro Cæsare ferrum,
Vertit in autorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit. grauibus pulsare querelis.
Cesset perfidiam, quã patitur, meruit. Ausonius.

MAcrinus cum *Diadumeno* filio, ab exercitu Imperatores creati, imperauerũt menses quatuordecim: & ab eodem exercitu obtruncãtur, pro eo quia Macrinus militarem luxuriam stipendiaque profusiora comprimeret. *S. Aurel. Victor histor. antiq.*

DEhinc *Opilius Macrinus*, qui Præfecturam Prætorio gerebat, Imperator; eiusq; filius, *Diadumenus* nomine, Cæsar à legionibus appellatur. Quibus eò quòd ingens amissi Principis desiderium erat, adolescentem *Antoninum* vocauere. Horũ nihil pręter sæuos atque inciuiles animos interim reperimus. Qua gratia mẽsibus fermè quatuor ac decem vix retento imperio, per quos creati fuerant, interfecti sunt. *S. Aurel. Victor de Cæsaribus parte 2.*

HVic successit Macrinus, Præfecturam Prætorianam gerens: regnauit autem annum vnum, sub quo hi Consules fuerunt.

Antoninus II. & Sacerdos. *His COSS.*
Macrinus occiditur in Archelaide. Cassiodorus.

Παρανάλωμα.] Macrinus Imperator, cùm se luxuriosæ & delicatæ vitæ dedisset, obiter cædes etiam miscebat hominum insontium. *Suidas.*

OBscurissimis parentibus ortus Maurusij generis, malis artibus, ac pudẽdis ad præfecturam euectus, à iuris tamen scientia non alienus, sed venali fide, ac vita semper sordida, post interfectum Antoninum, imperium cum Diadumenuo filio formosissimo *Macrinus* inuasit: quod cùm per annũ & menses duos obtinuisset, victus ab Heliogabalo cum filio, quinquagenario maior fugiens obtruncatur. Data est dictio consulenti super imperio talis:

Ὦ γέρον ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί,
Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει.
Egnatius.

HELIOGABALVS.



CReatus est post hos M. AVRELIVS ANTONINVS: Hic Antonini Caracallæ filius putabatur: sacerdos autem Heliogabali templi erat. Is cùm Romam ingenti & militum & Senatus expectatione venisset, probris se omnibus cõtaminauit. Impudicissimè & obscœnissimè vixit: biennioque post & VIII mensibus tumultu interfectus est militari; & cum eo mater Semia Sira. *Eutrop. l. 8.*

Tunc etiam Augusta sedis penetralia fœdas
Antoninorum nomina falsa gerens? Auson.

Aurelius

AVrelius Antoninus Varius idem *Heliogabalus* dictus, Caracallæ ex Semea consobrina occulte stuprata filius, imperauit biēnio & mensibus octo. Huius matris Semeæ auus, Bassianus nomine, fuerat Solis sacerdos; quem Phœnices, vnde erat, Heliogabalum nominant: à quo iste *Heliogabalus* dictus est. Is, cùm Romam ingenti militum & senatus exspectatione venisset, probris se omnibus contaminauit Cupiditatem stupri, quam adsequi naturę defectu non poterat, in se conuertens, muliebri nomine *Bassianam* se pro Bassiano iusserat appellari; Vestalem virginem quasi matrimonio iungens suo; abscissisque genitalibus, matri se Magnæ sacrauit. Hic *Marcellum*, qui post *Alexander* est dictus, consobrinum suum, Cæsarem fecit. Ipse tumultu militari interfectus est. Huius corpus per Vrbis vias, more canini cadaueris, à milite tractum est, militari cauillo appellantium *indomitæ & rabidæ libidinis catulam*, Nouissimè cùm angustum foramen cloacæ corpus minimè reciperet, vsq; ad Tiberim ductum, adiecto pondere, ne vnquam emergeret, in fluuium proiectum est. Vixit annos sedecim: atque ex rebus, quæ acciderāt, *Tiberinus*, *Tractitiusq;* appellatus est. *S. Aurel. Victor histor. antiq.*

ACcitusque *Marcus Antoninus*, Bassiano genitus; qui patre mortuo, in Solis sacerdotium, quem Heliogabalum Syri vocant, tamquam asylum, insidiarum metu confugerat: hincque *Heliogabalus* dictus: translatoque Romā Dei simulacro, in palatij penetralibus palatia cōstituit. Hoc impurius ne improbę quidem aut petulātes mulieres fuêre: quippe orbe toto

obscœnissimos perquirebat, visendis tractandisue artibus libidinum ferendarum. Hæc cùm augerentur indies, ac magis magisque Alexandri, quem comperta Opilij nece Cæsarem nobilitas nuncupauerat, amor cumularetur: in castris Prętorijs, tricesimo regni mense oppressus est. *Excerpta ex libris Sex. Aurel. Victoris de Cæsaribus part. 2.*

HVic successit Marcus Aurelius Antoninus, qui regnauit annis IIII. sub quo hi consules fuerunt:

Antoninus III. & Comazon.

Gratus & Seleucus. *His COSS. Heliogabalum templum Romæ ædificatur.*

Alexander & Augustus. *His COSS. in Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est.*

Maximus & Ælianus. *His COSS. M. Aurelius Antoninus Romæ occiditur tumultu militari.* Cassiodorus.

ASsyrium (quis credat?) principem nescio, maiorine fortunæ ludibrio, an Romanæ maiestatis suggillatione orbis hunc per duos & amplius annos tulit, & eum incestum, siquidem verum erat, Caracallæ filium ex Scenide consobrina natum. Qui ex Oriente Romam profectus, interfecto (vt dixi) Macrino, tralato etiam inde Heliogabali numine ad vrbem, in summa omnium expectatione venit: sed illi mox omnia in ludibrium, aut odium conuersa sunt. Nullus enim principum ad hanc diem maiore libidinis flagrauit infamia, vti se in muliebrem sexum execari curarit. Nullus maiore luxu opes prodegit imperij: nullus deni-

que

que cōtaminatius aut impurius vixit, omnium religionum contemptor, præter patrij numinis Heliogabali. Hunc tamen in cloacam proiectum, mox in Tiberim cum matre Scenide tractum per milites populus Romanus ita vltus est, vti nomen eius ex publicis monimentis eraderet. Vixit annis. XVI. *Egnatius*.

ALEXANDER.

AVRELIVS ALEXANDER, quasi fato quodam in exitium Persicæ gentis natus, iuuenis admodum Romani gubernacula suscepit imperij. Ipse Persarum regem nobilissimum Xerxem gloriosè vicit. Hic Alexander scriniorum magistrum habuit Vlpianum iurisconsultum. De Parthis pompa spectabili triumphauit. *Sextus Rufus*.

SVccessit huic *Aurelius Alexander*; ab exercitu *Cæsar*, à Senatu *Augustus* nominatus, iuuenis admodum: susceptoque aduersus Persas bello, Xerxem eorum regem gloriosissimè vicit. militarem disciplinam seuerissimè rexit: quasdam tumultuantes legiones integras exauctorauit. Assessorem habuit, vel scrinij magistrum, Vlpianum, iuris conditorem. Romæ quoque fauorabilis fuit. Periit in Gallia, militari tumultu, XIII imperij anno, & die VIII. in matrem suam Mammæam vnicè pius. *Eutropius 8*.

SEuerus *Alexander*, imperauit annos tredecim. Hic, bonus reipublicæ, fuit ærumno-

ſus. Sub hoc imperante, *Taurinus*, Auguſtus effectus, ob timorem ipſe ſe Euphrati fluuio obiecit. Tunc etiam *Maximinus* regnum arripuit, pluribus de exercitu corruptis. Alexander verò, cùm deſeri ſemet à ſtipatoribus vidiſſet, matrem ſibi cauſſam fuiſſe mortis exclamans, accurrenti percuſſori, obuoluto capite, ceruices ſuas validè compreſſas prębuit, anno vitæ viceſimo ſexto. Huius mater Mammea, eò filium coëgerat, vt illa ipſa, quamuis permodica, ſi menſæ prandioque ſupereſſent, alteri conuiuio reponerentur. *Sex. Aurel. Victor hiſtor. antiq.*

STatimque *Aurelio Alexandro*, Syriæ orto, cui duplex, Cæſarea, & Arca nomen eſt, militibus quoque annitentibus, Auguſti potentia delata: qui, quamquam adoleſcens, ingenio ſupra æuum tamen, confeſtim apparatu magno bellum aduerſum Xerxem Perſarum regem mouet: quo fuſo fugatoque, in Galliam maturrimè contendit, quæ Germanorum direptionibus tentabatur. Ibi tumultuantes legionum pleraſque conſtantiſſimè abiecit: quod in præſens gloriæ, mox exitio datum. Nam cùm tantæ ſeueritatis vim milites inhorreſcunt, (vnde etiam *Seueri* cognomentum acceſſerat) agentem caſu cum paucis vico Britanniæ, cui vocabulum Sicila, trucidauere. Opus vrbi florētiſſimum * celebrio fabricatus eſt: matriſque cultu, quæ nomine Mammæa erat, plus quàm pius. Adhuc Domitium Vlpianum, quem Heliogabalus Prætorianis præfecerat, eodem honore retinens; Paulloque inter exordia patriæ reddito, iuris auctoribus, quantus erga optimos atque æqui ſtudio eſſet, edocuit.

edocuit, neque vltra annos tredecim Imperio functus, Rempublicam reliquit firmatam vndique: quæ iam tum à Romulo ad Septimium certatim euolans Bassiani consilijs tamquam in summo constitit. Quo ne confestim laberetur, Alexandri fuit. Abhinc, dum dominandi suis quàm subigendi externos cupientiores sunt, atque inter se armantur, magis Romanum statum quasi abrupto præcipitauere; immissique in imperium promiscuè boni malique, nobiles atque ignobiles, ac barbariæ multi. Quippe vbi passim confusaque omnia, neque suo feruntur modo, quippe fas putant, vti per turbam, rapere aliena officia, quæ regere nequeunt, & scientia bonarum artium fœdè corrumpunt. Ita fortunæ vis licentiam nacta, perniciosa libidine mortales agit: quæ diu quidem virtute, vti muro prohibita, postquam pænè omnes flagitijs subacti sunt, etiam infirmis genere institutóque publica permisit. *Sex. Aurel. Victor de Cæsaribus part. 2.*

HVic successit Alexander Mammææ filius qui regnauit annis XIII. sub quo hi consules fuerunt:

Iulianus & Crispinus. *His COSS. Alexander Xerxem regem Persarum vicit.*

Fuscus & Dexter.

Alexander II. & Marcellus.

Annianus & Maximus. *His COSS. Vlpianus Iurisconsultus, assessor Alexandri insignissimus habetur.*

Albinus & Maximus. *His COSS. Neroniana thermæ Alexandrinæ vocatæ sunt.*

Modeſtus & Probus.

Alexander III. & Dio.

Gratus & Seleucus. *His COSS. Origenes Alexandria clarus habetur.*

Pompeianus & Felicianus.

Lupus & Maximus. *His COSS. Alexander in matrem Mammaam vnicè pius fuit; & ob hoc cunctis amabilis.*

Maximus & Paternus.

Maximus II. & Vrbanus.

Seuerus & Quintianus. *His COSS. Alexander occiditur Mogontiaci tumultu militari.* Caſſiodorus.

ALexander Mãmææ F. vna cum illa imperauit, & eius arbitratu adminiſtrauit omnia: quæ vndique imperium cuſtodiebat, eique perſuadebat vt longiſſimo tempore ius diceret; quo illa occupatione diſtractus, tempus non haberet ad peccandum. Fuit natura mitis & manſuetus, & ad humanitatem propenſiſſimus. Itaque cùm imperium ad annos quatuordecim tenuiſſet, ſine cædibus regnauit: quamuis aliqui in ſumma crimina incidiſſent: adeo vt poſt Marci obitum, Alexandri imperium ſit admirationi. Querebatur de matre, & moleſtiſſimè ferebat eius auaritiam, quòd ea malis artibus fiſcum augeret: à qua coactus, multa faciebat. Nam mater ſummum in eum exercebat imperium; quæ eum à turpibus rebus & imperatori indecoris arcebat, & omnium diſciplinarum magiſtros clam accerſebat; cùm ille palæſtris & gymnaſijs magnopere delectaretur, & magiſtros repelleret: eò denique impulſus, vt omnes ſcenicos, & in publicis

publicis theatri celebres, ſad ummos magiſtratus eueheret. qua de cauſa ciuibus inuiſus fuit. *Suidas.*

MEliore orbis fato ex Mammæa conſobrinus Heliogabalo Alexander iampridem ab impura illa belua adoptatus, in imperium ſucceſſit, optimis principibus æquandus innocentia, in viros bonos beneuolentia, & (quæ præcipua dos principum) ſingulari in omnes clementia, vt ἀναίματον eius dicatur imperium. Hic expeditione Perſica ex animi ſententia confecta, dum ad ſeptentrionem vertit arma, Germanis tumultuantibns factione militari tertiodecimo imperij, vitæ anno vndetrigeſimo, Maximini perfidia cum matre in tentorio necatur. Primus poſt Adrianum principem, qui veræ pietatis lumen acceperit. Nam Chriſtum in larario ſuo ſemper habuit. Quin illa ex ſacris literis ſententia frequens ei in ore eſſe: *Quod tibi nolis, id in alterum facere caueas.* Locum etiam Chriſtianis adiudicauit, quibus popinarij litem intendebant, reſcribens deum multò melius quoquo modo coli, quàm popinarijs aſſignari. *Egnatius.*

De Parthorum & Perſarum Imperio.

NOn alienum ab inſtituta ſerie fuerit, quãdo poſthac Perſarum arma in Oriẽte, poſt Parthica toties erunt referenda, ſi breui imperium vtriuſque populi, tum ad noſtram ætatem in eo terrarum tractu, regnorum ſeriem perſtringam. Primus igitur Parthis Arſaces libertatem aſſeruit ad eam diem cum cæteris

Orientis populis, regibus Macedonum obtemperantibus, à quo ad Artabanum regem perpetua Arſacidarum gloria per quadringentos & amplius annos floruit, diſſidentibus inter ſe Syriæ regibus. Parthis verò per hæc tempora varia admodum fortunâ cum Romanis contendentibus, Artaxerxes Perſa, vir obſcuris admodum parentibus ortus, genti ſuæ veterem imperij gloriam reſtituit. Tripliciq́ue prælio Artabano cum tota Arſacidarum familia cæſo, Perſas Orienti iterum impoſuit. Quorum imperium ad Choſroen vſque regem & Heraclium imperatorem per quadringentos annos manſit, grauibus prælijs, alternante fortuna cum Romanis interim geſtis. Qua tempeſtate Saraceni ex Arabia profecti, Mahomethe duce, noui delirij autore, Perſas primùm, mox Romanos varijs & ingentibus cladibus afflixere: floruitq́ue Saracenicum nomen, Perſico ſublato, adeo vt non contenti Aſiæ imperio, maximam Europæ partem ſibi ſubiecerint: ipſam etiam terram Italiam (quod horreat meminiſſe animus) mari terraque fœdè per ducentos & amplius annos populati. Mox præualentibus Turcarum rebus, diuiſum in Oriente imperium eſt, Saracenis Ægyptum & Aſiam ad Orientem ſibi vindicantibus, Turcis, propiores Europæ prouincias per noſtrorum principum ſegnitiem occupantibus: repreſſaque interim gentis in Chriſtianum nomen infeſtiſſimæ rabies Gallorum armis, Europæ principum communi expeditione, autoribus tamen Francis in eos ſumpta, & Hieroſolyma nobis reſtituta. Cæterum

terum nostrorum discordia rebus in Asia labentibus & modò Tartaris, modò Saracenis de imperio contendentibus, Asiæ pars, quæ à Tauro ad Euphratem protenditur, seruorum imperio, reliqua ad Hellespontum Turcis cessit. Interim centesimum ab hinc & amplius annum, Tamberlanes inter Scythas humili loco natus ex gregario milite ordinis primo, mox exercitum ductor, Parthis imperium astruens, victis omnibus finitimis gentibus, Syriam cum tota Ægypto populatus est. Inde in minori Asia Paizeti Turcarum principi congressus, eum captum cum tota gente ad internecionem cæsa, in vinculis habuit, victorque domum reuersus, vrbe etiam Marchanti populosissima à se condita, & victarum gentium spolijs ornata, imperium moriens duobus filijs reliquit. Quorum dissidio res tanta indole parta, retrò facilè abijt. Stetit tamen regnum orans Euphraten filijs incolume ad Vsuncassanum vsque, qui cum Maomethe etiam conflixit. Variatum demum in his terris re Ægyptiaca interim florente, donec auditum est ætate nostra Psophis nomen vnius ex Vsuncassani hæredibus (vti credi volunt) fortuna seruati: qui magno hominum fauore ad imperium ascitus, veluti hereditarium odium cum Turcis exerceat.

Egnatius.

MAXIMINVS.

POST hunc MAXIMINVS ex corpore militari primus ad imperium accessit, sola militum voluntate, cùm nulla Senatus intercessisset auctoritas, neque ipse senator esset. Is bello aduersus Germanos feliciter gesto, cùm à militibus esset imperator appellatus, à Pupieno Aquileiæ occisus est, deserentibus eum militibus suis, cũ filio adhuc puero; cum quo imperauerat triennio, & paucis diebus. *Eutropius Breuiarij lib. 9.*

IVlius Maximinus Thrax è militaribus imperauit annos tres. Is, dũ persequitur pecuniosos, insontes pariter noxiosq́;, apud Aquileiam seditione militum discerptus est vnà cum filio; cõclamantibus cunctis militari ioco, ex *pessimo genere nec catulum habendum.* Huius imperio duo *Gordiani*, pater & filius principatum arripiẽtes, vnus post vnũ interiere. Pari etiã tenore *Pupienus* & *Balbinus*, regnũ inuadentes, peremti sunt. *S. Aurel. Victoris Excerpta de vita & moribus imperatorum, seu Histor. Augusta.*

NAmq; *Caius Iulius Maximinus* p̄sidẽs Trebellicæ, primus è militaribus, litterarũ ferè rudis, potẽtiã cepit suffragijs legionũ. Quod tamen etiã Patres, dũ periculosum existimant inermes armato resistere, approbauerũt: filiusq́; eius pari nomine Caius Iulius Maximinus Cæsar factus est. *S. Aurel. Victor, de Cæsarib. part. 2.*

QVis biennium summis potitis, haud incommodè prælio gesta contra Germanos, repentè *Antoninus Gordianus*, Africę Proconsul,

ab exercitu Princeps apud Thydri oppidum absens fit. Quò vt accitus peruenit, tanquam ea re creatus foret, seditione excipitur: qua lenita facilè, Carthaginem petit. Ibi cùm auertẽdis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem diuinā solitis ageret; repentè hostia partum edidit. Id haruspices, atq; ipse maximè, (nam huius scientiæ vsu immodicè prudens erat) ita accepere, illum quoque destinatum neci, verùm liberis pariturum imperium: progressique coniectu longiùs, liberi quoque exitum denunciauere; mitem atque innoxium præsantes fore, vt illud pecus; nec diuturnum tamen subiectumque insidiis. Interim Romæ comperto Gordiani interitu, hortante Domitio, Vrbi Præfectus, reliquique indices, vulgò cæduntur per Prætorias cohortes. quippe Gordianus, postquam delatum sibi imperium cognouit; præmia amplum in modum ostentans, Romam legatos ac literas destinauerat. quibus, necato eo, frustratos se milites angebantur; genus hominum pecuniæ cupidius, fidumque ac bonum solo quæstu. At Senatus, metuens ne nullis rectoribus, specie captæ vrbis, atrociora acciderent, primò potestatum vices; mox, conscriptis iunioribus, *Clodium Cupienum, Cæcilium Balbinum Cæsares* constituit.

Sextus Aurelius Victor de Cæsaribus part. 2.

HVic successit Maximinus, regnās annis III. primus omnium ex corpore militari, sine senatus auctoritate, ab exercitu Imperator electus, sub quo hi Consules fuerunt.

Maximinus & Africanus.

Perpetuus & Cornelianus.

Pius & Proculus. *His COSS. Maximinus Aquileia occiditur.* Cassiodorus.


MAximinus, Romanorum Imperator, suscepto principatu magnam mutationem instituit, potestate asperrimè & magno cum terrore vtendo, & à clementi regno ad tyrannicā crudelitatem omnia reuocando. Erat enim ingenio, vt & genere, barbarus, & cædis auiditate gentilitia præditus. Statim igitur & amicos omnes qui familiares Alexandro, & à patribus conscriptis assessores appellati fuerant, remouit: nolens eos esse in exercitu neq; secum esse quenquam è conscientia nobili. Plurimos etiam eorum interfecit, insidias veritus. Dum autem in Oriente versaretur multa scelesta & supra modum nefaria facinora edidit, persecutione crudeli & inhumana contra Christianos per omnes prouincias excitatā; in qua plurimi celebres viri martyrium obierunt. Sed digna impietate sua præmia imminentis supplicij merito pertulit. Nam cùm in morbum atrocissimum incidisset, vehementes dolores omnem carnem eius vexabant. & intestina eius ex acerbissima inflammatione interna corrumpebantur, & caro tota ceræ instar liquescebat: eóque incendio aucto, ipsa etiam ossa tosta sunt; vt & humanæ formæ character deleretur. Miserabiliter itaq; putrescens tantopere olebat, vt à cadaueribus in sepulcris corruptis nihil differret; exiguoq; spiritu præditus, cum gemitu obiret. *Suidas.*

REdit nunc stylus ad institutā seriem. Nam Alexandro interfecto, successit Maximinus cum filio eiusdem nominis, Thrax gente & sæ-

uitia

ultia insignis: aduersus quem cùm senatus Pupienum & Balbinum imperatores declarasset, immanitatem hominis ac barbariem pertęsus, ille statim in Italiam cum Germanico, ac Pannonico exercitu descendit: Aquileiaq; incassum obsessa, à militibus fame laborantibus cũ filio necatur. Memorabilis militum vox fuit, cùm vtrunq; interficerent, ex pessimo genere ne catulum quidem habendum. Imperarunt ambo annos III. pater sexagenario maior, filius vigesimum annum agens obiit. *Egnatius.*

GORDIANVS.



SVb GORDIANO Augusto acri ex iuuentutis fiducia rebellantes Parthi, ingentibus prœliis contusi sunt. isq; de Perside rediens victor, fraude Philippi, qui præfectus prætorio eius erat, occisus est. Milites ei tumulum in vicesimo miliario à Cercusio castro, quod & nunc exstat, ædificauerunt; atque exsequias eius Romam cum maxima venerationis reuerentia deduxerunt. *Sextus Rufus.*

POstea tres simul Augusti fuerunt, *Pupienus, Balbinus*, & *Gordianus*: duo superiores obscurissimo genere; Gordianus, nobilis: quippe cuius pater senior Gordianus, consensu militum, cùm proconsulatum Africæ gereret, Maximino imperante, princeps fuisset electus. Itaque cùm Romam venissent Balbinus & Pupienus, in palatio interfecti sunt; soli Gordiano imperium reseruatum. *Gordianus*, admo-

dum puer, cùm Tranquillinam Romæ duxisset vxorem, Ianum geminum aperuit: & ad Orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui iam moliebãtur erumpere, quod quidem mox feliciter gessit, prœliisque ingentibus Persas afflixit. Rediens, haud longè à Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperauit. Miles ei tumulum XX. milliario à Circesso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, ædificauit; exsequias Romam reuexit; ipsum Diuum appellauit. *Eutropius Breuiarij lib. 9.*

GOrdianus, nepos Gordiani ex filia ortus Romæ clarissimo patre, imperauit annos sex. Apud Ctesiphontem, à Philippo Præfecto prætorio accensis in seditionem militibus occiditur anno vitæ vndeuicesimo. Corpus eius prope fines Romani Persicique imperij positum, nomen loco dedit, *Sepulcrum Gordiani.* Sextus Aurelius Victor Hist. antiq.

IIsdemque per Africam diebus, milites *Gordianum*, Gordiani filium, qui fortè contubernio patris prætextatus, ac deinceps Præfectus Prætorio intererat, Augustum creauêre: neque sanè factum nobilitas aspernata. Denique accito eo, inter implana vrbis, atque ipso sinu, Prætoriæ manus acie deletæ per gladiatorum familias, tyronumque exercitum. Dum hæc Romæ geruntur, Iulij Maximini, quos forte ea tempestate Thracia retinebat, acceptis quæ euenerant, Italiam properè petunt. Eos Pupienus Aquileiæ obsidione confecit, postquam prælio victos reliqui paullatim desecuerant. Horum imperio ad biennium per huiusmodi

iusmodi moras annus quæsitus. Neque multò pòst tumultu militarium Clodio Cæcilióque Romæ intra Palatium cæsis, Gordianus solus regnum obtinuit: eoque anno lustri certamine, quod Nero Romam inuexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus est; cum prius Iani ædes, quas Marcus clauserat, patentes more veterum fecisset. Ibi gesto insigniter bello, Marci Philippi Præfecti Prætorio insidiis periit, sexennio Imperij. *Sextus Aurelius Victor de Cæsaribus part. 2.*

HVic successit Gordianus; qui regnauit annis VI. sub quo hi Consules fuerunt:

Gordianus & Auiola.

Sabinus & Venustus. *His COSS. Gordiano Romæ ingresso, Pupienus & Balbinus, qui imperium arripuerant, in Palatio occisi sunt.*

Gordianus II. & Pompeianus.

Atticus & Prætextatus.

Arianus & Pappus.

Peregrinus & Æmilianus. *His COSS. Gordianus, admodum adolescens, Parthorum natione superata, cùm victor reuerteretur ad patriam, fraude Philippi Præfecti prætorio, haud longè à Romano solo interfectus est. Gordiano milites tumulum ædificant supra Euphratem, ossibus eius Romam reuectis.* Cassiodorus.

MAximino profligando, qui primus posthabita senatus auctoritate, ab exercitu Imperator Augustus appellatus est, ex concione Vectij Sabini, patres imperium duobus viris decreuere, & populus Romanus concordi assensu ac lætitia sciuit. ij fuere Decius Cælius Balbinus, & M. Clodius Pupienus. Hic quam-

uis homo nouus, per gradus dignitatis satis illustris erat, & grauitate ac seueritate venerabilis. Balbini maiores ex gradibus Hispaniæ cum Pompeio Magno venerant, & ciuitate donati. horum primus Theophanes Balbus, Romæ appellatus Cornelius, quem M. Tullius defendit. Igitur Balbinus nobilitate familiæ, fortunisq; & clementia satis cognitus. hic Cæsaris, ille Catonis moribus comparatus: ille contra Maximinos hostis iudicatus copias eduxit, hic vrbis gubernationē suscepit illius auspiciis cæsi Maximini, huius bonitate tumultus in vrbe inter ciues ac prætorianos exortus est. Tandem neque illi seueritas, neque huic clementia profecerunt. ambos milites occiderunt. Gordianum natum annos XIII. qui modò Cæsar erat, imperatorem fecerunt, non abnuente senatu. Cuius successibus, cùm posset Persicum nomen deleri, insidiæ Philippi vetuerunt. Quibus circumuentus, adolescens occisus est. Etenim occultæ proditiones ad excidium bonorum excogitatæ, scelera audientiū prodigiorum augent. non fuit inulta iuuenis Gordiani cædes. quicunq; in eum coniurauerunt, crudelibus suppliciis afflicti interierunt. *Pomponius Lætus ab his Cæsaribus Balbino, Pupieno & Gordiano Compendium suum Romanæ historiæ cœpit, & ad Iustinum tertium vsque produxit.*

OPtimum ac nobilissimum principem terris dij dederant, si diu rebus illum præesse voluissent. Nobilitatem eius auus, paterq; Imperatores, & Scipionum stemma genti insertum, bonitatem Rom. populi ac militum & orbis totius in adolescentem amor attestatur.

Sed

Sed cùm bellum ingens aduersus insolescẽtes Persas conflasset, iamq; Misithei soceri diligentia fęliciter confecisset, Philippi præfecti dolo, qui socer primò, mox princeps, interficitur. haud tamen inulta mors optimi principis fuit: omnes qui in illum coniurauerant, crudelibus suppliciis affecti, & Philippi non diu imperium tenuêre. Vixit annos XXII. Imperauit sex. *Egnatius.*

De Balbino & Pupieno.

IMperatores hi primùm ex S.C. duo aduersus Maximinum creati. Balbinus nobilitate generis præstans: Pupienus qui & Maximus, militari disciplina clarus, à quo & Maximini victi. Cæterùm cùm parum inter se concordi animo Rempub. regerent, à militibus vterq; interficitur, Gordiano puero summæ rerum imposito. *Egnatius.*

De Marco & Seuero Hostiliano.

SEnatus de morte Gordiani factus certior, Marcum quendam virum grauem ac sapientem imperatorem legit, qui subita morte in palatio, vbi habitabat, decessit: nec successor dilatus est; statimque lectus à patribus Seuerus Hostilianus, qui repentè cùm incidisset in morbum, medicis malè venam soluentibus, occubuit. Interea literæ Philippi ad senatum adferuntur: in iis scriptum erat, Gordianum graui morbo affectum obiisse, & Philippum ab exercitu imperatorem factum, rogareq; vti patres probarent. Senatus qui rem nondum nouerat, Augustum Philippum confirmauit, Gordianum inter diuos retulit. *Pomp. Lætus.*

PHILIPPVS P. & F.

PHILIPPI duo, filius & pater, Gordiano occiſo, imperium inuaſerunt: atque exercitu incolumi reducto, ad Italiam è Syria profecti ſunt. His imperantibus, milleſimus annus Romæ vrbis ingenti ludorum apparatu ſpectaculorumq; celebratus eſt. Ambo inde ab exercitu interfecti ſunt: ſenior Philippus Veronæ, Romæ iunior. Annis V. imperauerunt. inter Diuos tamen relati ſunt. *Eutropius Breuiarij lib. 9.*

M*Arcus Iulius Philippus*, imperauit annos quinque. Veronæ ab exercitu interfectus eſt, medio capite ſupra ordines dentium præciſo. Filius autem eius, *Caius Iulius Saturninus*, quem potentiæ ſociauerat, Romæ occiditur, agens vitæ annum duodecimum: adeo ſeueri & triſtis animi, vt iam tum à quinquenni ætate, nullo prorſus cuiuſquam commento ad ridendum ſolui potuerit; patremque ludis ſæcularibus petulantiùs cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notauerit auerſato. Is Philippus, humillimo ortus loco fuit, patre nobiliſſimo latronum ductore. *Sextus Aurelius Victor Hiſtor. antiq.*

IGitur *Marcus Iulius Philippus* Arabs Trachonites, ſumpto in conſortium *Philippo* filio, rebus ad Orientem cõpoſitis, conditoq; apud Arabiam Philippopoli oppido, Rómam venêre: exſtructoque trans Tiberim lacu, quòd eam partem aquæ penuria fatigabat, annum

Vrbis

Vrbis millesimum ludis omnium generum celebrant. Et quoniam nomen admonuit; nostra quoque ætate post mille, centesimus, Consule Philippo, excessit, nullis, vti solet, solennibus frequentatus: adeò indies cura minima Romanæ vrbis. Quod equidem denunciatum illo tempore prodigiis portentisque. Ex quîs vnum memorare breui libet. Nam cùm Pontificum lege hostiæ mactarentur, suis vtero maris, fæminarum genitalia apparuere. id haruspices solutionem posterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati. Quod frustratum iri æstimans Imperator Philippus, tum quia fortè præteriens, filij similem pro merito ephebum conspexerat, vsum virilis scorti remouendum honestissimè consultauit. Veruntamen manet: quippe conditione loci mutata, peioribus flagitiis agitatur; dum *auidius periculosa*, quibusque mortales prohibentur, petunt. Huc accedit, quod longè aliud Etruscorum artes cecinerant, quæ bonis parte plurima iacentibus, mollissimum quemque beatum fore asserebant. Eos ego ignorasse verum planè puto. Etenim quamuis rerum omnium prospero successu; pudore amisso tamen, fortunatus quis esse potest? cùm, eodem retento, cætera tolerabilia sint. His actis, filio Vrbi relicto, ipse, quanquam debili per ætatem corpore, aduersum Decium profectus, Veronæ cadit, pulso amissoque exercitu. Quis Romæ compertis, apud castra Prætoria filius interficitur. Annos potentiæ quinq; egêre. *Sextus Aurelius Victor de Cæsaribus parte secunda.*

HVic successit *Philippus* qui regnauit annis VI. qui mox Philippum filium suum regni consortem fecit: primusque ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit, sub quo hi Consules fuerunt.

Philippus & Titianus.

Præsens & Albinus.

Philippus II. & Philippus.

Philippus III. & Philippus II.

Æmilianus & Aquilinus. *His COSS. millesimus annus vrbis Romæ expletus est: ob quam solennitatem innumerabiles Philippus cum Philippo filio suo bestias in Circo magno interfecit, ludosq; in campo Martio Theatrales tribus diebus ac noctibus populo peruigilante celebrauit: quadraginta etiam missus natali Romanæ vrbis cucurrerunt, & Agon mille annorum actus. Philippus vrbẽ nominis sui in Thracia construxit.*

Decius & Gratus.

Decius II. & Rusticus. *His COSS. Philippus senior Veronæ, Romæ verò iunior occiditur.* Cassiodorus.

MArcus Iulius Philippus Vostris Arabiæ vrbe, obscuris parentibus natus est, cuius fortunæ humilitas generis non obfuit: Ab teneris annis relicto patrio solo militare cœpit. nec difficile hoc puero fuit. Nam Arabes optimi sunt equites & militiam Romanam noscere cœperunt, in Oriente res gerente Pompeio. Philippus haud parum diligens, per gradus promotionis ascendit, comes ordinis, deinde dux, pòst præfectus prætorio. Tandem in Perside post mortem Misithei exercitui à Gordiano præficitur, & loco parentis, iuuenis Imper.

cum

eum habuit. Misitheus, qui & idem Timesto-cles vir modestus ac frugi, Reipub. & militibus moderandis tanta dexteritate vsus, vt vtrisque charissimus fuerit, propter cuius bonitatem simul & ingenitam eloquentiam, eius filia adolescenti Gordiano nupsit, præfectusq; vrbi factus tanti viri consilio imperium ex omni parte augebatur. bello Persico senis prouidentia fugatus est Sapores rex, Artaxerxis filius. Erat autem Sapores statura procerus, & corpore horribilis. Recuperatæ vrbes, Antiochia quæ est Nisibis & Carræ: exercitui commeatus nunquam defuit. In eo exigendo prouincialibus minimè molestus. Senatus hominem quadrigis & titulo honestauit:

Misitheo parenti principum P. R. tutori
Reipub. S. P. Q. R.

Sunt qui scribūt & hunc consilio Philippi obiisse. Nam cùm medici poculum decreuissent ventris profluuio cohibendo, aliud fraude porrectum, quò magis solueret. Post huius obitum factio Philippi plurimum creuit: frumentariæ naues eius opera interceptæ sunt, exercitusque esurie cùm laboraret, ad loca difficiliora traductus, ad quæ per Euphratem commeatus aduehi non posset, amici Philippi negligentiæ principis id ascribebant. Cæteri cùm esurirent, facilè crediderunt. Iamq; palàm princeps accusabatur, adolescentia culpabatur, quòd non digna imperio esset, tandem fames impulit penè omnes imperium commendare Philippo, qui vnà cum iuuene imperaret, quod diu durare non potuit. nam & Philippus fraudulenter omnia agebat. per clandestinos amicos noua cra

mina fingebat. Et iuuenis Scipionum proles & Augustorum hæres æquatum sibi imperiũ cum indignitate Philippi ægrè ferebat. Ea res cædẽ Gordiano festinauit. accessit etiam ne amor S P.Q.R. & militum, intellectis; hominis Arabici fraudibus, imperiũ abrogaret. Hac via iam Aug. Philippus proficiscendi ad vrbẽ concionẽ habuit, percussoq; cum Persis fœdere, Mesopotamiam & Assyriam hostibus reliquit, passus victriciũ armorũ dedecus, vt ad vrbem è Syria aduolaret. in natali agro vrbẽ sui nominis condi iussit Philippopolin. & ne quis ambigat, aut nominis similitudine decipiatur, altera est in Thracia Philippopolis, quã Scythę diripuerunt regum Macedoniæ opus. in itinere consortem fecit imperij Philippum filium: reuersus ad vrbem iam voti compos plura largitus est. sed ipsius aduentu lætitia haud ingẽs, quòd prouincias amiserat: studens sedare animos omnium, inducto cum Persis decreto, illis bellum indixit, sperans ignominiam abolere. Res sine sanguine peracta est, Persis prouincias restituere pollicentibus. Huius imperij anno I I. ante X I. Cal. Maij, ingenti pompa, magnoq; sumptu & apparatu seculares ludi anno A.V. C. M. celebrati sunt. beluæ triumpho Persico & iis ludis à Gordiano asseruatę (nam iuuenis natali vrbis triumphare decreuerat) hæ fuisse memorantur: Elephanti XXXII. alces X. tigrides X. leones mãsueti LX. leopardi cicures XXX. hyænæ X. hippopotamus vnus, rhinoceros vnus, arcoleontes X. cameleopardi X. onagri XX. equi feri XL. gladiatorum paria mille. Quæ omnia in circo maximo exhibita, & scenicos ludos in

Pompeij

Pompeij theatro tribus diebus, totidemq; noctibus (mirum dictu) peruigil populus spectauit, funalibus atq; lychnis tenebras vincentibus: & cùm multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus, aut ex ignibus coalitum, in curia diuagatum est. Theatrum Pompeij arsit & ei propinquũ Hecatonstylon, centum columnarum in campo Martio opus, Centenariã porticũ appellabant. Circenses dati, in quibus certamine currendi quadragesimus equorum è carcere missus numeratus est. De ludis secularibus pauca referre haud abs re est. Eos instituisse fertur exactis regibus, M. Valerius Publicola, & appellatos, quòd plerunque hominis ætas semel intueri potest: idq; aliquandiu seruatum est. postea ambitione Cæsarum cupientiũ id solenne suis temporibus exhiberi, ordo corruptus est, & pro libidine sæculares ludi habiti. Interea Scythæ, qui Misitheo fidem præstiterant, & illius nutu quieti erant, facta irruptione limites trãsgressi, vrbes & agros imperij Romani vastare, prædas abducere, cædes vndiq; facere, incẽdia suscitare, domos, villas, tuguria euertere, metum haud inanem inferebãt. Expeditioni properè præficitur, Marinus quidam, dux limitis Sarmatici, ab exercitu Illyricorum Imperator est appellatus, quod cùm nunciatũ esset Romæ, Philippus aduocato Senatu, plurimũ de Marini ingratitudine questus est. Decius vir clarus hortatus est principem ne timeret, q̃d Marinus pœnas daturus esset, qui pòst paulò cęsus, seditione militari pœnas luit. Confirmatus Imperator vaticinio Decij, cõtra Scythas cũ supplemẽto copiarũ ipsum Decium

misit, qui cùm ad exercitũ peruenisset, cõcordi assensu milites Illyriciani Imperatorẽ fecerũt, renuentẽ ac repugnantẽ strictis ensibus coegerunt. Dux experientia rerũ cautus, ne à principe accusari posset, neve locũ calumniis præberet, fidissimo nũcio literas ad Philippũ dedit, quibus se excusabat, suppliciter exorans ne turbato animo ferret, promittens abdicaturum se dignitate, ad quã inuitus tractus esset. Philippus verò homo Punica fraude deterior: qui vt scelera tegeret, cultũ Christiani nominis simulabat, expeditionẽ scriptis etiam nouis legionib. contra Deciũ parauit: & cùm posset per duces bellum gerere, ipse eductis copiis profectus est, minis ingentibus palàm asserens se Deciũ cum toto scelerato exercitu perditurũ. Hac mente turbatus, velut furore concitus ferebatur. Itaq; à militibus ipse Veronæ cæsus est, & Romę filius à prætorianis. Is traditur fuisse agelastos, & ludis secularibus ridentem patrem seuero vultu inspexisse, velut illum corrigeret. Ambo Philippi vixerunt annis quinq;. & immeritò inter diuos relati. *Pompon Lætus.*

DVobus principibus audita Gordiani morte, a senatu creatis, Marco primùm, mox eo breui absumpto, Seuero Hostiliano, qui & ipse nõ diu superuixit, Philippus imperiũ occupat: nec ei gentis humilitas obstare potuit, quo minùs imperaret. Nam per omnes militiæ gradus ob virtutẽ euectus, tandẽ pręfectus à Gordiano in Misithei locũ factus, optimo adolescenti insidias cõparauit: eoq; per dolũ cæso, Imperator ab exercitu dictus Romã cum venisset, filium Philippũ imperij participẽ declarauit. Ipse post

quintum

quintum imperij annũ Veronæ medio capite ſupra ordines dentiũ præciſo, filius duodenarius Romæ necatur, quẽ adeo triſtis ingenij ferunt, vt nunquam riſerit & ſemel ridentem patrẽ auerſatus ſit. Sub his ſeculares ludi magnificẽtiſſimi milleſimo ab V.C. anno dati. Sũt qui à Chriſtiana pietate non abhorruiſſe Philippũ tradant, quorum teſtimonio hominis perfidia fidem abroget. *Egnatius.*

DECIVS.



Oſt hos DECIVS è Pannonia inferiore, Bubaliæ natus, imperiũ ſumpſit. Bellũ ciuile quod in Gallia motũ fuerat, oppreſſit. filium ſuũ Cæſarem fecit. Romę lauacrũ ædificauit. Cùm biennio ipſe & filius eius imperaſſent, vterq; in barbarico interfecti ſunt, & inter Diuos relati. *Eutropius lib. 9.*

DEcius, è Pannonia inferiore, Bubalię natus, imperauit menſes triginta. Hic Decium filium ſuũ Cæſarem fecit: vir artibus cunctis virtutibusq; inſtructus, placidus & communis domi: in armis promptiſſimus. In ſolo barbarico inter confuſas turbas gurgite paludis ſubmerſus eſt, ita vt nec cadauer eius potuerit inueniri: filius verò eius, bello extinctus eſt. Vixit annos quinquaginta. Huius tẽporibus *Valens Licinianus* Imperator effectus eſt. *Sextus Aurelius Victor Hiſtor. antiq.*

ET *Decius*, Sirmienſium vico ortus, militiæ gradu ad imperium conſpirauerat: lætiorq; hoſtium nece, filium, *Etruſcum* nomine, Cæſarẽ

facit: ſtatimq; eo in Illyrios præmiſſo, Romę aliquantum moratur, mœnium gratia, quę inſtituit, dedicandorum. Et interea ad eum Iotapiani, qui Alexandri tumēs ſtirpe, per Syriam tentans noua, militū arbitrio occubuerat; *ora, vti mos eſt, inopinato feruntur. ſimulq; per eos dies Lucio Priſco, qui Macedonas Præſidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concurſu, poſtquam direptis Thraciæ plerisq;, illò peruenerant. Qua cauſa Decio, quàm potuit maturrimè Roma digreſſo, Iulius Valēs cupientiſſimo vulgo Imperium capit. verùm vtriq; mox cæſi, cùm Priſcum nobilitas hoſtem patriæ cenſuiſſet. Decij, Barbaros trans Danubium perſectantes, Bruti fraude cecidêre, exacto regni biēnio. Sed Deciorum mortem pleriq; illuſtrem ferūt: namq; filium, audaciùs congredientē, cecidiſſe in acie; patrem autem, cùm perculſi milites ad ſolandum Imperatorē multa præfarentur, ſtrenuè dixiſſe; Detrimentum vnius militis, parum videri ſibi. Ita refecto bello, cùm impigrè decertaret, interiiſſe pari modo. *S. Aurel. Victor de Cæſaribus part. 2.*

HIs ſucceſſit Decius qui regnauit añ I. mēſibus III. quantum autem ad conſulatum, annum vnum, ſub quo hi Conſules fuere.

Gallus & Voluſianus. *His COSS. Decius lauacra publica ædificauit, quæ ſuo nomine appellari iuſſit. Decius cum filio ſuo in Abricio Thraciæ loco à Gotthis occiditur.* Caſſiodorus.

DEcius, Romanorum Imperator, Philippi ſucceſſor; edicto Chriſtiani nominis homines capitis condemnabat, & deos adorare cogebat. *Suidas.*

Imp.

IMp. Cæſ. M. Q. Traianus Decius Augu. Decius Bibali inferioris Pannoniæ vrbe natus claris parentibus, ab ineunte ætate ſpem optimæ indolis præbuit. in quo virtutes cum ætate creuerunt. ad ampliſſimas dignitates non ambitio, non empta ſuffragia, non corruptæ amicitiæ, ſed boni mores perduxere. Igitur qui à militib. Illyricianis antè imperator factus fuerat, ab ſenatu Auguſtus eſt appellatus. Is cùm magnitudinem imperij contemplaretur, P. Cornelium, Licinium Valerianum, qui poſtea imperauit, exercitui præfecit, virum militarem, & bonis moribus nutritum, tum ſexageſimum ſextum agentem annum. & cùm de cenſore eligẽdo poteſtas ſenatui data eſſet ab Decio, Valerianus abſens cenſor lectus, in æde Caſtoris & Pollucis in parte fori Ro. verſus palatium, cuius veſtigia effodi vidimus. Ea cenſura probata Decio patre ac filio cõſule, modeſtia Decij hoc paſſa eſt. Nam poſtquam reſpublica vnius nutu gubernari cœpta eſt, ipſi imperatores cenſores erant. Decius, cuius vita ſanctiſſimis inſtitutis nunquam aduerſata, cupiens nihil agere niſi quantum ſenatus iuberet, cenſuram ampliſſimo ordini permiſit. huius imperatoris vita, quæ & ciuilis & militaris fuit, multos habuiſſet laudatores, ſi ab Chriſtianorũ cruciatibus ſe temperaſſet. Nam ius quintæ relationis, & proconſulare imperium, vnde Auguſti omnes proconſulibus, necnon & ius tribunitiæ poteſtatis, quę Auguſtus primus ſibi perpetuò vindicauerat, arbitrio ſenatus populique Romani permiſit, patris patriæ cognomẽ accepit. Sed priuſquam ad vrbem rediret, ciuiles in Gallia motus ſeda-

uit. parum in vrbe commoratus, cogente senatu filium suum Decium Cæsarem fecit. Patribus rempublicam commendauit, & vnà cum filio ad liberandas Thracias profectus est. Nam Scythæ & naualibus & terrestribus copiis omnia infestabant. Victor in primis congressibus, hostes in angustias locorum, quæ in Dardaniis sunt, compulit & obsedit, expugnassetque fame, ni proditus ab suis fuisset. Hostium dux per legatos petiit, vti relicta omni præda sineret cum suis abire trans Istrum: Romanus imperator negauit, auidus illos perdendi, qui toties fractis fœderibus irruperant. & qui prouincias Romani imperij quiescere non sinerent: & sua strage vix domiti, amisso rege Decibalo, Neruæ Traiano illuserint. Iamq; ferè voti compos, Trebonianum Gallum, ducem limitis Mysiæ, ad obsidendos aditus, ne fugerent, cum bona parte copiarum misit Gallus consilium Barbaris patefecit, & eos monuit vt se diuiderent, & alij consisterent in insidiis prope paludem, alij in primo congressu fugam simularent paludem versus. Barbari nonnihil addentes consilio Galli, rem peragunt. Cum in pugnam descenderent, admiratus est Decius, quòd qui modò percussi metu erant, iam arma poscerent: ignarusque proditionis, certus victoriæ copias educit. Illi statim terga dant, imperator insequitur. cùm ventum est ad insidias, atrocissima fit pugna, vtrinque magnæ cædes. Deciani difficillimè præliabantur, luto palustri afferente cladem, tamen non moriuntur inulti, & loco & fato aduersantibus pereunt. Decius pater cũ filio occubuere. Senior fortè equo sedens, ne viuus aut contrà in manus hostium perueniret,

insiliit in voraginem paludis. Nam quæsitum eius cadauer, nusquam repertum est. Regnauerunt biennio nondum finito. Hic fuit Deciorum finis, qui (vt credibile est) se pro futura victoria deuouerunt. Ita enim Deciorum nomen facere consueuit. Decij mares duo prioribus seculis, alter bello Hetrusco, alter bello Latino constanti animo inter confertissimos hostes pro victoria patriæ se deuouentes occubuere. Hunc deuouendi morem primus creditur introduxisse Linus Codri F. Qui pro patria bello Dorico se deuouit. Hic Miletum coloniam Atheniensium deduxit in Ionia. Quidam scribit Decium cupientem Philippopoli ferre opem, citò petiisse Berceam, & inde fugatum ab Echina rege Gotthorum, reparatisq; in Mœsia viribus, rediisse ad hostes, qui Philippopolim ceperant, & Priscum ducem sibi conciliauerant. In ipso congressu ictum sagitta Decium filium decessisse: & patrem, vel vt cædem filij vlcisceretur, vel vt morte sua finem dolori inueniret, in confertissimos se immisisse hostes, & nusquam apparuisse, & diis ante congressum immolasse, ad Abrittum Mœsiæ vrbem. inde factum loco nomen, Ara Decij appellatur. Decius pater bonitate Traiano adæquatus, nomenque optimi principis iudicio senat⁹ meruit, appellatusq; est:

Imp. Cæs. M. Q. Traianus Decius Aug.

Exercitum Illyricianũ mirè dilexit, quia ab eo primùm imperatoris nomen accepit. Senatus Decij nomine Decianas thermas in Auentino ædificauit. *Pompon. Lætus.*

INuitum ac penè reluctantem Philippi socor dia hunc imperio præfecit, haud dubie tamẽ

nobilissimis parentibus Bubaliæ inferioris Pannoniæ vrbe natum. Nam Philippus nunciata Marini ducis, & Mœsici exercitus rebellione, cùm Decium ad comprimendos eos motus mitteret, recusauit primò Decius: mox etiam admonuit, non esse ex Philippi re vt ipse eò contenderet. Cæterum fatis rem ita trahentibus, vt primùm prouinciam attigit, imperator omnium consensu dicitur, & interfectis (vt dixi) Philippis, cùm aduersus Gotthos cum filio audaciùs, quàm consultiùs pugnaret, cæsus cum toto exercitu ab his est, corpusque paludis voragine absorptum, nusquam inuentum. Hic charissimus senatui fuit. Et qui à nobis etiam inter optimos principes annumerari posset, si iniuriam à Christiana pietate abstinuisset: in quã plus nimio Philippi etiam odio sæuiit, Fabiano ac Cornelio pontificibus Romanis martyrio affectis. Vixit tamen annos L. Imperauerunt vterque biennium. *Egnatius.*

GALLVS ET VOLVSIANVS F.



Mox Imperatores creati sunt, GALLVS HOSTILIANVS, & Galli filius VOLVSIANVS. Sub his AEMILIANVS in Mœsia res nouas molitus est: ad quem opprimẽdum cùm ambo profecti essent, Interamnæ interfecti sunt, non completo biennio. nihil omnino clarum gesserunt. Sola pestilentia & morbis atque ægritudinibus notus eorum principatus fuit. *Eutrop. Breuiar. lib. 9.*

Vibius

VIbius Gallus cũ *Volusiano* filio, imperauerũt annos duos. Horũ temporibus *Hostilianus Perpenna* à senatu Imperator creatus, nec multò pòst pestilentia consumtus est. Sub his etiã *Aemilianus* in Mœsia imperator effectus est: cõtra quem ambo profecti, apud Interamnam ab exercitu suo cæduntur; anno ætatis pater septimo circiter & quadragesimo: creati in insula Meninge, quæ nunc Girba dicitur. *Sext. Aurel. Victor histor. antiq.*

HAec vbi Patres comperêre, *Gallo Hostilianoq;* Augusta Imperia, *Volusianum*, Gallo editum, Cæsarem decernunt. Dein pestilentia oritur: qua atrociùs sæuiente, Hostilianus interiit. Gallo Volusianoque fauor quæsitus, quòd anxiè studioseque tenuissimi cuiusq; exsequias curarent. *S. Aurel. Victor de Cæsar. part.* 2.

HVic successit Gallus cũ Volusiano filio qui regnauerũt annis duob. & mensibus IIII. quantum autem ad Consulatum, annis tantùm duobus, sub quibus hi Consules fuere.

Volusianus II. & Maximus. *His COSS. Nouatianus apparuit.*

Valerianus & Gallienus. *His COSS. Gallus & Volusianus Interamnæ interfecti sunt.* Cassiodorus.


IMp. Cæs. C. Vib. Trebonianus Gallus Aug. patritiorum familia ortus, in quo plus fortunæ quàm fidei fuit. Quamuis cùm Augustus esset in numismatibus exprimi iusserit, *Virtus Augustorũ*, de se ac filio, quasi virtute, non dolo principatum assecutus, in tanta nostrorum strage, legio quę integra Scytharum fide remanserat,

Gallum imperatorem fecit. Qui superfuerant, ad hunc confugerunt, velut seruatorem reliquiarum Romani exercitus. Quo rumore adductus senatus, Augustum appellauit: licet & ipse scripserit. Cum Scythis fœdus percussit nō sine Romani nominis ignominia. Tūc primùm diuturno & libero potētatu populus Romanus tributa pependit. Tunc primum Respublica iugū Scythicæ seruitutis accepit. tantaque est imperandi auiditas, vt qui præesse cupit & ad id fastigium legi, vrbes & prouincias sine discrimine donet: Hadrianus ab aliis occupatas restituit, quod principis liberalitate videri actum potest: sed qui tributo pendendo obnoxiam fecerit vrbem, præter Gallum fuit nemo. Tributum fuit drachmarum aurearum CC. Secus euenit quàm sperabat Imperator. Barbarus cùm vincit, insolentior est. Itaq; contemplatus diuitias Romani imperij, quòd & sua fide ille imperaret, ac per hoc tributum pro meritis non esset, incursiones facere, prędas abigere, ingentiq; agmine terra mariq; sæpius irrumpere. depopulatur Dardaniam, Thraciam, Thessaliam, Macedoniamque & Hellada, & pars infestabat Asiam: vndiq; cum plurium vrbium vastatione & excidio. Scytharum exemplo alij hostes surgunt, armaq; capiunt: iam in viscera Syriæ penetrant Parthi, & Armenias fugato rege Tyridate occupant, cuius liberi hostibus se dederūt. Scythæ magna onusti præda in Dardanios, velut regni sedem redeunt. Interea Gallus cùm Romam venisset, C Vib. Volusianum filium cōsortem imperij fecit. Scythæ rursus non contenti pretio, iam Italiæ minabantur: sic Barba-

ricæ gẽtis animus nostris opibus inhiabat. Itaq; opera Aemiliani ducis limitis Mysiæ rapacissimi hostes, non sine magna cæde in suas solitudines redire coacti sunt. Ita imperium Galli infaustum atq; infelix, rerum gestarum monimẽtis obscurũ, verùm clade generis humani memoriæ traditũ est; siquidem eo imperante perniciosa pestis vndiq; viguit. Tabis initium fuit ab Aethiopia, fortè ex nimio solis ardore. Pestilitas primò cõsumtis ferè meridianis per Oriẽtem diuagata est: inde cæteras orbis partes inuasit, vbiq; maximam partem incolentium exhausit, pleraq; loca inhabitata reliquit: ea labes vix intra decem annos finem inuenit. Pronenisse ex infelicib⁹ Galli auspiciis visa est, vt qui proditione imperium arripuit, Christiani etiã dogmatis hostis: qui cùm copias contra Aemilianum duceret, victus, & ab suis militibus desertus, vna cum filio cæsus est. Imperauit annis duobus. *Pompon. Lætus.*

HI post Decium imperium adepti, infelicissimè illud per annos duos, & menses octo rexere. Nam cum Scythis tributo annuo drachmarum centum transegere, primi qui Romani maiestatem imperij tam fœda pactione suggillarint: & Armeniam amisere, expulso à Parthis Tyridate eorum rege. Tam sæua deinde lues orbem inuasit, quæ ex Aethiopia ortũ habuit, vt per annos quindecim terras penè omnes exhauserit. Tandem Aemiliano imperatore facto, victi prælio, à militibus occiduntur: pater ætatis anno quadragesimoseptimo *Egnatius.*

ÆMILIANVS.



EMILIANVS obſcuriſſimè natus obſcuriùs imperauit; ac tertio menſe exſtinctus eſt. *Eutrop. breuiar. lib.* 9.

ÆMilianus verò, menſes quatuor dominatus, apud Spoletium, ſiue *pontem* quem ab eius cæde *Sanguinarium* accepiſſe nomen ferũt, inter Otriculum, Narniamque, Spoletium & vrbem Romam regione media poſitum. Fuit autem genere Maurus, pugnax; nec tamen præceps. Vixit annis, quatuor minus, quinquaginta. *Sex. Aurel. Vict. hiſtoria antiquæ.*

IGitur his Romæ morantibus, *Aemilius Aemilianus* ſummam poteſtatem corruptis militibus arripuit. Ad quem expugnandum profecti, Interamnæ ab ſuis cæduntur, ſpe præmij maioris ab Aemilio; cui nullo labore ſeu detrimẽto victoria obueniebat: ſimul quia immodici per luxum laſciuiamque, officia beneuolentiæ corruperant. His ſanè omnibus biennio profecit. Nam Aemilianus quoque tres menſes vſus modeſto Imperio, morbo abſumtus eſt; cùm Proceres primò hoſtem; dein, exſtinctis ſuperioribus, pró fortuna, vti ſolet, Auguſtum appellauiſſent. At milites, qui contracti vndique apud Rhætias ob inſtans bellum morabantur*. *S. Aurel. Victor de Cæſarib. part.* 2.

ÆMilianus Libycus, namque in Mauritania ortus, à pueritia cœpit ſtipendia mereri: & cùm ætate honores promotionis non deeſſent, dux limiti Sarmatico in Mæſia à Decio præpoſitus,

fitus,& à Gallo minimè fubmotus: cùm Scythę folertiffimum latrocinandi genus,cõtenti pretio non effent, Aemilianus pro concione fuis militibus id pollicitus eft, fi hoftes viciffent. Noftri præmio accenfi ad conferendas cum Barbaris manus incitatiores facti, cumque nimius ardor infifteret, apertis caftrorum portis, auidum pugnandi militem educit, qui tanto impetu in hoftes illatus eft, vt non fugauerit modò, fed bona ex parte cæciderit, illorumque regiones abactis prædis penè exhauferit. Reuerfus in Myfiam. præmia affecutus eft: Aemilianus perfoluit. qui hoc fucceffu adeo gratus victori exercitui fuit, vt ab eo fit imperator appellatus. ad hos motus opprimendos Gallus vnà cum filio proficifcitur, nec profecit. Ambo in primis prælijs cæfi funt, & milites Aemiliano hæferũt: qui ftatim ad fenatum fcripfit, docens fe imperatorem lectum effe, promittens fe liberaturũ Thracias & Mefopotamiam, & Armenias recuperaturum, & depulfurum vndique hoftes nominis Romani. Sed priufquam opus aggrederetur, milites qui in alpibus erant, Valerianum imperatorem faciunt: quo nuntio accepto, qui fub Aemiliano erant, ne ciuili bello, & cognatorũ fanguine fe inuicem inficerent, contemplantes præterea humilitatem generis Aemiliani, & nobilitatem Valeriani, fimul & laudatiffimos mores, eo interfecto, cenforio viro fe tradiderunt. Imperauit autem menfibus tribus, vixit annis quadraginta. Ita res folo ducis capite peracta eft. *Pompon. Lætus.*

TRimeftrem & hunc imperatorem Mauritania nobis dedit, virum (quod fatendum

est) militiæ peritum, sed ignobilem: qui victis ad internecionem penè Gotthis, astu etiam adhibito, cùm omnem prædam militi promisisset, imperator ab exercitu dicitur. Mox Valeriano ab Alpino exercitu imperatore nobilissimo, ac censorio viro creato, qui Aemiliano fauerant, ne ciuili bello rempublicam conflictarent, Aemilianum necant, soloque ducis capite res peracta est anno ætatis eius XL. *Egnatius.*

VALERIANVS ET GALLIENVS F.

VALERIANI infausti principis fortunam tædet referre. Is cum GALLIENO suscepit imperium: sed hunc exercitus, Gallienum Senatus Imperatorem fecit. E quibus in Mesopotamia aduersus Persas Valerianus congressus, à Sapore Persarum rege superatus est; & captus, in dedecore seruitutis consenuit. *Sextus Rufus.*

HInc *Licinius Valerianus* in Rhætia & Norico agens, ab exercitu *Imperator*, & mox *Augustus est factus. Gallienus* quoque Romæ à Senatu *Cæsar* est appellatus. Horum imperium Romano nomini perniciosum, & penè exitiabile fuit, vel infelicitate principum, vel ignauia. Germani Rauennam vsque venerunt. Valerianus in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Persarum rege superatus est: mox etiam captus, apud Parthos ignobili seruitute consenuit. *Eutrop. Breuiar. lib. 9.*

LIcinius Valerianus, cognomento *Colobius*, imperauit annos quindecim: parentib⁹ ortus

tus splendidissimis; stolidus tamen & multum iners, neque ad vsum aliquem publici officij, cõsilio seu gestis accõmodatus. Hic filium suum *Gallienum*, Augustum fecit; Gallienique filium *Cornelium Valerianum*, Cæsarem. His imperantibus *Regillianus* in Mœsia; *Caßius Labienus Posthumus*, in Gallia, Gallieni filio interfecto, Imperatores effecti sunt. Pari modo *Aelianus* apud Moguntiacum; in Aegypto *Aemilianus*, apud Macedonas *Valens*, Mediolani *Aureolus*, dominatum inuasere. Valerianus vero, in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Persarum rege superatus, mox etiam captus, apud Parthos ignobili seruitute consenuit: nam quamdiu vixit, rex eiusdem prouinciæ, incuruato eo, pedem ceruicibus eius imponens, equum conscendere solitus erat. *S. Aurel. Vict. histor. antiq.*

LIcinio *Valeriano* Imperium deferunt. Qui, quamquam genere satis claro, tamen, vti mos tum etiam erat, militiam sequebatur. Eius filium *Gallienum* Senatus Cæsarem creat: statimque Tiberis, adulta æstate, diluuij facie inundauit: Prudentes perniciosum Reipublicæ cecinere, adolescẽtis fluxo ingenio; quia Etruria accitus venerat, vnde amnis prædictus. Quod equidem confestim euenit. Nam cùm eius pater bellum per Mesopotamiam anceps diuturnumq; instruit, Persarum Regis, cui nomen Sapor erat, dolo circumuẽtus, fœdè laniatus interiit, Imperij anno sexto, ætate robustiore. *S. Aurel. Victor de Cæsarib. part. 2.*

HIs successerunt *Valerianus* & *Gallienus*; qui regnauerunt ann. XV. sub quibus hi Consules fuerunt:

Valerianus II. & Gallienus II.

Maximus II & Glabrio.

Valerianus III & Gallienus. III. *His COSS. Cyprianus, primùm rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis episcopus, martyrio coronatur.*

Tuscus & Bassus. *His COSS. Valerianus in Christianos persecutione commota, statim à Sapore Persarum rege capitur, ibique seruitute miserabili consenescit.* Cassiodor.

PVblio Cornelio *Licinius Valerianus* successit, homo maioris spei ac opinionis quàm fortunæ. Captus ab Sapore rege Persarum, in captiuitate consenuit. *Pompon. Lætus.*

NVllum principem maiore vnquam fauore orbis accepit: nullus eo calamitosior ad hanc diem imperio præfuit: vel quòd à Sapore Persarum rege victus acie, siue dolo suorum, siue eius imprudentia id acciderit, nam vtrunq; traditur, miserabili captiuitate apud eos consenuit: vel quòd Gallienum filium post se reliquit, qui Caligulæ ac Vitelliis simillimus orbẽ terrarum penè perdidit: externis hostibus adeo nobis insultantibus, vt fœminæ imperium in Gallieni contemptum occuparint. Triginta certè tyranni nescio rempublicam magis afflixerint, an aduersus hostes nostros necessarij tutati sunt; qui per ea tempora in pronum rem Imperij labentem per Gallieni luxum sustinerent. Vixit Valerianus septuagenario maior, imperauit annos XV. Vir ante Imperium summis honoribus functus, & in his cum summa laude, ac virtutis opinione versatus. *Egnatius.*

GAL-

GALLIENVS.

SVB GALLIENO Mesopotamia inuasa, etiam Syriam sibi Persæ cœperant vindicare; nisi quod turpe dictu est, Odenatus decurio Palmyrenus, collecta Syrorum agrestium manu, acriter restitisset; & fusis aliquoties Persis, non modò nostrum militem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem Romani vltor imperij, quod mirum est dictu, penetrasset. *Sex. Rufus.*

G*Allienus*, cùm adolescens factus esset Augustus, imperium primùm feliciter, mox commodè, ad vltimum perniciosè gessit. Nam iuuenis in Gallia & Illyrico multa strenuè fecit, occiso apud Mursiam *Ingenuo*, qui purpurã sumpserat, & *Trebelliano*. Diu placidus & quietus: mox in omnem lasciuiam dissolutus, tenẽdæ Reip. habenas probrosa ignauia & desperatione relaxauit. Alamanni vastatis Galliis in Italiam irruperunt. Dacia quæ à Traiano vltra Danubium fuerat adiecta, amissa est. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, vastata per Gothos. Pannonia à Sarmatis Quadisque populata est. Germani vsque ad Hispanias penetrauerunt, & ciuitatem nobilem Tarraconem expugnauerunt. Parthi Mesopotamia occupata, Syriam sibi cœperunt vindicare. Tum iam desperatis rebus, & deleto pene imperio Romano, *Posthumus* in Gallia, obscurissimè natus, purpurã sumpsit: & per annos decem ita imperauit, vt consumptas penè prouincias ingenti virtute & moderatione reparauerit: qui seditione militum

interfectus est; quod Moguntiacum, quæ aduersum eum rebellauerat, Lolliano res nouas moliente, diripiendã militibus tradere noluisset. Post eum *Marius* vilissimus opifex purpuram accepit: & secundo die interfectus est. *Victorinus* postea Galliarum accepit imperium, vir strenuissimus: sed cùm nimiæ libidinis esset, & matrimonia aliena corrumperet, Agrippinæ occisus est, Acturio quodam machinante dolum, imperij sui anno secundo. Huic successit *Tetricus* Senator, qui Aquitaniam honore præsidis administrans, absens à militibus Imperator electus est; & apud Burdegalam purpuram sumpsit; seditiones multas militum pertulit. Sed dum hæc in Gallia geruntur, in Oriente per Odenatum Persæ victi sunt, defensa Syria, recepta Mesopotamia, vsque ad Ctesiphontem Odenatus penetrauit. Ita Gallieno Rempubl. deserente, Romanum imperium in Occidente per Posthumum, per Odenatum in Oriente seruatum est. Gallienus interea, Mediolani cum fratre Valeriano occisus est, imperij anno nono. *Eutrop. lib.9. Breuiarij.*

G*Allienus* quidem in locũ Cornelij filij sui, *Salonianum* alterum filium subrogauit, amori diuerso pellicum deditus, Saloninæ coniugis, & concubinæ, quam per pactionem concessa parte superioris Pannoniæ, à patre, Marcomannorum rege, matrimonij specie susceperat, *Pipam* nomine. Nouissimè aduersus *Aureolum* profectus est. quem cùm apud Pontem qui ex eius nomine *Aureolus* appellatur, obtentum detrusumque Mediolanum obsedit, eiusdem Aureoli commento à suis interiit. Regnauit:

uit annos quindecim; cum patre, septem; & solus, octo. Vixit annos quinquaginta. *Sex. Aurel. Vict. hist. antiqua.*

SVb idem tempus *Licinius Gallienus*, cùm à Gallia Germanos strenuè arceret, in Illyricum properans descendit: ibi Ingebum, quem curantem Pannonios, comperta Valeriani clade, imperandi cupido incesserat, Mursiæ deuicit: moxque Regalllanum; qui receptis militibus, quos Mursina labes reliquos fecerat, bellum duplicauerat. His prosperè ac supra vota cedentibus, *more hominum*, secundis solutior, rem Romanam quasi naufragio dedit, cum *Salonino* filio; cui honorem Cæsaris contulerat: adeo vti Thraciam Gothi liberè progressi, Macedonas Achæosque & Asiæ finitima occuparent; Mesopotamiam Parthi: Orienti latrones seu mulier dominaretur: * Alemannorum vi, tunc æque Italiam; Francorum gentes, direpta Gallia, Hispaniam possiderent; vastato ac penè direpto Tarraconensium oppido; nactisque in tempore nauigiis, pars in vsque Africam permearet: & amissa trans Istrum quæ Traianus quæsierat. Ita quasi ventis vndique sæuientib⁹, paruis maxima, ima summis orbe toto miscebantur. Simulque Romam pestilentia grassabatur; quæ sæpe curis grauioribus, atque animi desperatione oritur. Inter hæc ipse popinas ganeasque obiens, lenonum ac vinariorum amicitiis hærebat, expositus Saloninæ coniugi atque amori flagitioso filiæ Attali Germanorũ Regis, Pipæ nomine. Qua causa etiam ciuiles motus longè atrociores orti. Namque primus omnium *Postumus*, qui fortè barbaris per

Galliam præſidebat, Imperium ereptum ierat: exploſaque Germanorum multitudine, *Lolliani* bello excipitur: quo non minus feliciter fuſo, ſuorum tumultu periit; quòd flagitantibus Moguntiacorum direptiones, quia Lollianum iuuerant, abnuiſſet. Igitur eo occiſo, *Marius*, ferri quondam opifex, neq; etiam tum militia ſatis clarus, regnum capit. Proinde cuncta ad extremum reciderant; vti talibus imperia ac virtutum omnium decus ludibrio eſſent. Hinc denique ioculariter dictum, nequaquam mirum videri, ſi rem Romanam Marius reficere contenderet, quam Marius eiuſdem artis auctor, ſtirpiſque ac nominis, ſolidauiſſet. Hoc iugulato poſt biduum, *Victorinus* deligitur, belli ſcientia Poſtumo par; verùm libidine præcipiti; qua cohibita in exordio, poſt biennij imperiũ, conſtupratis vi pleriſq;, vbi Attititiani cõiugem cõcupiuit, actuſq; ab ea viro patefactũ eſt; accenſis furtim militibus, per ſeditionẽ Agrippinæ occiditur. Tantũ Actuariorũ, quorũ loco Attititianus habebatur, in exercitu factiones vigent, vt arduũ petentibus malitia patraretur: genus hominum, præſertim hac tempeſtate, nequam, venale, callidum, ſeditioſum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandaſque quaſi ab natura factum: annonæ dominans, eoq; vtilia curantibus, & fortunis aratorum infeſtum: prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit. Interim Victoria, amiſſo Victorino filio, legionib. grandi pecunia comprobantibus, Tetricum Imperatorem facit; qui familia nobili, præſidatu Aquitanos tuebatur: filioque eius Tetrico Cæ-
ſarea

ſarea inſignia impartiuntur. At Romæ Gallienus pacata omnia, ignaris publici mali, improbè ſuadebat; crebrò etiam, vti rebus ex voluntate geſtis ſolet, ludos ac feſta triumphorum, quò promtiùs ſimulata confirmarentur, exercens. Sed poſtquam periculum propinquabat, tandem Vrbe egreditur. Namque *Aureolus*, cùm per Rhætias legionibus præeſſet, excitus, vti mos eſt, ſocordia tam ignaui ducis, ſumpto Imperio Romam contendebat. Eum Gallienus apud pontem cui ex eo Aureoli nomen eſt, fuſum acie Mediolanum coegit. Quam vrbem cùm machinationib⁹ omnis generis oppugnat, ab ſuis interiit. quippe Aureolus, vbi ſoluendi obſidij ſpem inanem videt, ducum Gallieni tribunorumque nomina, quaſi deſtinata ab eo ad necem, aſtu cōpoſuit, litteraſque è muro, quàm occultiſſimè potuit, abiecit. quæ fortè à memoratis repertæ, metum ſuſpicionemque iniecêre mandati exitij; verùm eas effluxiſſe incuria miniſtrorum. Qua cauſa, Aureliani conſilio, cuius gratia in exercitu atque honos præſtabant, ſimulata proruptione hoſtium, nullis, vti re trepida ac repentina ſolet, tectum ſtipatoribus, tabernaculo educunt nocte intemperata: teloq; traiicitur, cuiuſnam, per tenebras incertum. Ita auctoris neciſne errore, an quia bono publico acciderat, inulta cædes fuit. Quamquam eò ꝓlapſi mores ſunt, vti *ſuo, quàm* Reipublicæ; magiſque potentiæ, quàm gloriæ ſtudio plures agant. Hinc quoque rerum vis ac nominum corrupta; dum plerumq; potior flagitio, vbi armis ſuperauerit, tyrannidē amotam vocauerit damno publico oppreſſos. Quinetiam aliquanti

pari libidine in cæleſtium numerum referuntur, ægrè exſequiis digni. quîs ni *fides rerum geſtarum* obſtitiſſet, quæ neque honeſtos præmiis memoriæ fruſtrari ſinit, neque improbis æternam illuſtremque famam procedere; nequicquam poteretur virtus: cùm verum illud atque vnicum decus peſſimo cuique gratia tribueretur, demtum impiè bonis. Denique Gallienum ſubacti à Claudio Patres, quòd eius arbitrio Imperium cepiſſet, Diuum dixere. Nam cùm profluuio ſanguinis, vulnere tam graui, mortem ſibi adeſſe intelligeret, inſignia Imperij ad Claudium deſtinauerat, honore Tribunatus Ticini retinentem præſidiariam manum. Quod ſanè extortum: cùm neque Gallieni flagitia, dum vrbes erunt, occultari queant: & quiſque peſſimus erit, par ſimiliſque ſemper ipſi habebitur. Adeo Principes atque Optimi mortalium, vitæ decore, quam quæſitis nominibus atque compoſitis, quantum coniiciatur, cœlum adeunt; ſeu fama hominum Dei celebrantur modo. At Senatus comperto tali exitio, ſatellites propinquoſque per ſcalas Gemonias præcepsagendos decreuit; patronoque fiſci in Curiam * perduci effoſſos oculos pependiſſe ſatis conſtat: cùm inruens vulgus, pari clamore, Terram matrem, Deoſque inferos precaretur, ſedes impias vti Gallieno darent. Ac niſi Claudius confeſtim recepta Mediolani vrbe, tamquam poſtulato exercitùs parcendum, qui forte eorum ſupererant, præcepiſſet; nobilitas plebeſque atrociùs graſſarentur. Et Patres quidem, præter commune Romani malum orbis ſtimulabat proprij ordinis cõtumelia: quia

primus

primus ipſe, metu ſocordiæ ſuæ, ne Imperium ad optimos nobilium transferretur, Senatum militia vetuit; etiam adire exercitum. Huic nouem annorum potentia fuit. *S. Aurel. Victor de Cæſarib. part.2.*

SVb Gallieno hi fuerunt conſules:
Aemilianus & Baſſus.
Sæcularis & Donatus.
Gallienus IIII.& Gentianus.
Gallienus V.& Victorinus.
Albinus & Maximus. *His COSS. Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia, depopulata per Gotthos; aliaſq; prouincias barbarorũ quaſſauit irruptio.*
Gallienus VI.& Saturninus.
Valerius & Lucillus.
Gallienus VII. & Sabinillus.
Paternus & Arceſilaus.
Paternus II. & Marinus.
Claudius & Paternus. *His COSS. Mediolani occiditur Gallienus.* Caſſiodorus.

INterea eius frater Licinius Gallienus ab initio Cæſar, mox Auguſtus, præclara geſſit, deinde ad delicias lapſus, dum popinæ ſtudet, imperium dilacerare non curat: & niſi in Galliis Occidentem Aulus Poſthumius, & Orientem in Syria Odenatus Palmirenus defendiſſent, imperium Romanum, ſudore ac vigiliis, fortuna & virtute fauentibus acquiſitum, Germani, Perſæ, Scythæque & ſurgentes vbique hoſtes perdidiſſent. Verùm & tyranni triginta ſibi bona ex parte occupauêre. Porrò Gallienum cum fratre Valeriano, milites Aureoli, qui dux erat Illyriciani exercitus, prope Mediolanum interfecerunt. *Pompon. Lætus.*

AD Valeriani calamitatem accessit Gallieni filij imperium, qui nequissimus omniũ mortalium adeo per luxum ac socordiam imperiũ afflixit, vt per totum terrarum orbem grauissima externa bella senserimus: neq; verò minùs à XXX. tyrannis vexatæ fuere res. Is Gallienus cũ aduersus Aureolum cõparato exercitu Mediolanum vsque contendisset, Aureoli cõmento iam penè victi, certè intra Mediolanum obsessi, interficitur quinquagenarius. Imperauit annis XV. cum patre VII. solus VIII. Affuit huic principi (quod mireris) animi quandoque vigor, & ad se vlciscendum audacia, nec minus in eo liberalitatis effulsit, cùm nihil vnquam petenti denegaret. *Egnatius.*

CLAVDIVS.

CLAVDIVS ei successit, à militibus electus, à Senatu appellatus Augustus. Hic Gothos, Illyricum Macedoniamq; vastantes, ingenti prælio vicit. parcus vir, ac modestus, & initi tenax, atq; Reipubl. gerendæ idoneus: qui tamen intra bienniũ imperij, morbo interiit, & Diuus appellatus est. Senatus ingenti eũ honore decorauit; scilicet vt in curia clypeus ipsi aureus, item in Capitolio statua aurea poneretur. *Eutrop. Breuiar. lib. 9.*

CLaudius imperauit annis duobus. Hunc pleriq; putant Gordiano satũ, dum adolescẽs à muliere matura instituere tur ad vxorem. Hic Claudius, Gallieni morientis sentẽtia Imperator designatus: ad quem Ticini positum, per Gallo-

Galloniũ Basilium indumenta regia direxerat. exstinctoq; à suis Aureolo, receptis legionibus, aduersum aciem Alamanorũ haud procul à lacu Benaco dimicans, tãtam multitudinẽ fudit, vt ægrè pars dimidia superfuerit. His diebus *Victorinus* regnũ cepit. Claudius verò, cùm ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognouisset, sententiæ in senatu dicendæ primi morte remedium desiderari, Pomponio Basso, qui tunc erat, se offerente, ipse vitam suam, haud passus responsa frustrari, dono Reipublicæ dedit; præfatus, neminẽ tanti ordinis primas habere, nisi ipsum Imperatorem. Ea res sic erat cunctis grata, vt non *Diui* vocabulum modò, sed ex auro statuam prope ipsum Iouis simulacrum, atq; in curia imaginem auream proceres sacrauerint. *Sex. Aurel. Vict. hist. antiq. lib.*

SEd *Claudij* imperium milites, *quos ferè* contra ingenium perditæ res subigunt recta cõsulere; vbi afflicta omnia perspexêre, auidè approbant, extolluntq;, viri laborum patientis, æquiq; ac prorsus dediti Reipubl. quippe vt longo interuallo Deciorum morem renouauerit. Nam cùm pellere Gothos cuperet, quos diuturnitas nimis validos, ac propè incolas effecerat, proditum ex libris Sibyllinis est, primum ordidinis amplissimi victoriæ vouendum. cumq; is qui esse videbatur, semet obtulisset; sibi potius id muneris competere ostendit, qui reuera Senatus atque omnium Princeps erat. Ita nullo exercitus detrimento fusi barbari summotiq;, postquam Imperator vitam Reipubl. dono dedit. Adeo *bonis salus* ciuium ac longa sui memoria cariora sunt: quæ non gloriæ modò, ve-

rùm etiam ratione quadam posterorum felicitati proficiũt. Hoc siquidẽ Constantius & Constãtinus, atque Imperatores nostri * * * corporisque acceptior militibus, præmiorum spe, seu lasciuiæ. Quò ægra asperiorque victoria fuit, dum, vti mos subditis erat, studio, impune peccandi, remissa Imperia promtiùs quàm vtilia defendunt. *S. Aurel. Vict. de Cæsarib. part. 2.*

HVic successit Claudius qui regnauit ann. I. mensib. IX. sub quo hi Consules fuerunt.

Antiochianus & Orphitus.

Valerianus & Bassus. *His COSS. Claudius barbaros Gotthos, Illyricum & Macedoniam vastantes repellit; & Sirmij moritur. Huic successit Quintillus Claudij frater, à Senatu Augustus appellatus; qui XVII. imperij sui die Aquileiæ occiditur.* Cassiodorus.

MArcus Aurelius Claudius deinde suscepit imperium, vir ad Barbaros delendos natus, quos statim multis in locis & vicit, fudit atque cæcidit. Præliis ac rerum penuria Sarmatas, Getas, Scythas, Quados consumpsit. Daciã recuperauit, victor Sirmium Pannoniæ petiit, vbi in ægritudinem incidit, & priusquam decederet, cõuocatis ducibus, tribunis, & præfectis, concionatus est, præsertim de eligendo imperatore, & longa orationis serie Aurelianũm ꝓbauit. *Pompon. Lætus.*

OStenderunt & hũc terris numina veriùs, q̃ concessere. Quippe cuius principatu restitui ad integrum res potuerit, nisi intra bienniũ fato occubuisset. Is enim Gotthorum arma latè vagantia primus compescuit, naualibusq; ac terrestribus bellis eorũ opes attriuit, vt per o-

omnes

mnes prouincias nulla nisi Gotthica mancipia essent. Alemannorum ad Benacum lacum infinita millia profligauit. Illud memorabile, q͂d Græciæ vastitate, quã Gotthoru arma intulerant, Athenis captis, cùm librorũ ingentem vim coaceruassent, de his comburendis Barbari iam consiliũ ceperant, tu vnus ex his, *Abstineamus*, inquit, *hanc iniuriam ab his codicibus, quibus Graij homines dum studiosiùs incumbunt, minùs ad bella idonei fiunt.* Illud etiam in Claudio memorabile, quòd accepto imperio, cùm in Senatu variarent sentẽtiæ, vtri prius bello occurreret, tyrannorum an Gotthorum, Gotthos censuit priùs aggrediendos, quòd hi Reipublicæ hostes, tyranni principis essent. Præfuit biennio non integro. *Egnatius.*

QVINTILLVS.

QVintillvs post eum. Claudij frater, consensu militũ Imperator electus est: vir vnice moderationis & ciuilitatis, æquandus fratri vel præponendus. consensu Senatus appellatus Augustus, septimodecimo die imperij occisus est. *Eutrop.* 9.

HVic successit frater eius *Quintillus.* Is paucis diebus imperium tenens, interemptus est. *S. Aurel. Vict. Histor. antiq.*

HVic successit *Quintillus* Claudij frater, à senatu Augustus appellatus, qui XVII imperij sui die Aquileiæ occiditur. *Caßiodorus.*

HIc cùm dies septem ac decem imperiũ autore senatu tenuisset, Aureliani Imperatoris nuntio exterritus, sanguine è venis emisso, obiit. *Egnatius.*

AVRELIANVS.



Vreliani Imperatoris gloriæ Zenobia Odenati vxor accessit. Ea enim post mortẽ mariti fœminea ditione Oriẽtis tenebat imperiũ; quam Aurelianus multis clibanariorum & sagittariorum millibus fretam, apud Himmas haud procul ab Antiochia vicit; & captam Romæ triumphans ante currum duxit.

Sextus Rufus.

POst eum *Aurelianus* suscepit imperium, Dacia Ripensi oriundus: vir in bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propensioris: quiq; Gothos strenuissimè vicit. Romanam ditionem ad fines pristinos, varia bellorum felicitate reuocauit. superauit in Gallia *Tetricum* apud Catalaunos, ipso Tetrico prodẽte exercitũ suum, cuius assiduas seditiones ferre non poterat: quin etiam per litteras occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, vt inter alia versu Virgiliano vteretur; *Eripe me his inuicte malis.* *Zenobiam* quoque, occiso marito Odenato, qui Orientem tenebat, haud longè ab Antiochia non sine graui prælio cepit: ingressusque Romam, nobilem triumphum quasi receptor Orientis Occidentisque egit; currum præcedentibus Tetrico & Zenobia: qui quidem Tetricus etiam corrector Lucaniæ postea fuit, ac priuatus diutissimè vixit. Zenobia autem, posteros, qui adhuc manent Romæ, reliquit. Hoc imperante etiam *monetarij* in vrbe rebellauerunt, vitiatis pecuniis, & Felicissimo Rationali interfecto: quos Aurelianus victos, vltima

tima crudelitate compeſcuit; plurimos nobiles capite damnauit: ſæuus & ſanguinarius, ac neceſſarius magis in quibuſdam, quàm in vllo amabilis Imperator: trux omni tempore, etiam filij ſororis interfector: diſciplinæ tamen militaris & morum diſſolutorum magna ex parte corrector. Vrbem Romam muris firmioribus cinxit; templum Soli ædificauit, in quo infinitum auri gemmarumque conſtituit. Prouinciã Daciam, quam Traianus vltra Danubium fecerat, intermiſit, vaſtato omni Illyrico & Mœſia; deſperans eam poſſe retineri: abductoſq; Romanos ex vrbib. & agris Daciæ, in media Mœſia collocauit: & eſt in dextera Danubio in mare fluenti, cùm antea fuerit in læua. Occiditur ſerui ſui fraude, qui ad quoſdam militares viros amicos ipſius, nomina pertulit annotata, falsò manum eius imitatus, tamquam Aurelianus ipſos pararet occidere. itaque vt præueniretur ab iiſdem, interfectus eſt in itineris medio, quod inter Conſtantinopolim & Heracleã eſt ſtratæ veteris. locus Cænophrurium appellatur. mors tamen eius inulta non fuit. Meruit quoq; inter Diuos referri. Imperauit annos V. menſes VI. *Eutrop. Breuiar. lib.* 9.

A*Vrelianus*, genitus patre mediocri, &, vt q-dam ferunt, Aurelij clariſſimi ſenatoris colono inter Daciam & Macedoniam, imperauit annis quinque, menſibus ſex. Iſte haud diſſimilis fuit Magno Alexandro, ſeu Cæſari dictatori. Nam Romanum orbem triennio ab inuaſoribus receptauit: cùm Alexander annis tredecim per victorias ingentes ad Indiam peruenerit; & Caius Cæſar decennio ſubiecerit Gal-

los, aduersum ciues quadriennio cōgressus. Iste in Italia tribus prælijs victor fuit; apud Placentiam, iuxta amnem Metaurum ac Fanum Fortunæ, postremò Ticinensibus in campis. Huius tempore apud Delmatas *Septimius*. Imperator effectus, mox à suis obtruncatur. Hoc tempore in vrbe Roma *Monetarij* rebellarunt, quos Aurelianus victor vltima crudelitate compescuit. Iste primus apud Romanos *diadema* capiti innexuit; gemmisque, & aurata omni veste, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus videbatur, vsus est. Hic muris validioribus & laxioribus Vrbem sepsit. Porcinæ carnis vsum populo instituit. Hic *Tetricum*, qui Imperator ab exercitu in Galliis effectus fuerat, correctorem Lucaniæ prouexit; aspergens hominem eleganti ioco; Sublimius habendum, regere aliquam Italiæ partem, quàm trans Alpes regnare. Nouissimè fraude serui sui, qui ad quosdam militares viros amicos ipsius, nomina pertulit annotata, falsò manum eius imitatus, tamquam Aurelianus ipsos pararet occidere, ab iisdem interfectus est in itineris medio qđ inter Constantinopolim & Heracliam est. Fuit sæuus & sanguinarius, & trux omni tempore; etiam filij sororis interfector. Hoc tempore septem mensibus interregni species euenit. *Sextus Aurelius Victor Historiæ antiquæ lib.*

Caeterum *Aurelianus*, successu tanto vehementior, confestim: quasi belli reliquiæ superessent, in Persas progressus est. Quis deletis, Italiam repetiuit; cuius vrbes Alamannorum vexationibus affligebantur. Simul Germanis Gallia demotis; Tetrici, de quo su-

prà

prà commemorauimus, cæsæ legiones, proditore ipso duce. Nam Tetricus, cùm Faustini Præsidis dolo corruptis militibus plerumque peteretur, Aureliani per litteras præsidium implorauerat, eique aduentanti, producta ad speciem acie, inter pugnam se dedit. Ita, vti rectore nullo solet, turbati ordines oppressi sunt: ipse post Celsum * biennij Imperij in triumphum ductus, Lucaniæ Correcturam, filioque veniam atque honorem Senatorum cooptauit. Neque secus intra Vrbem monetæ opifices deleti: qui, cùm auctore Felicissimo rationali, nummariam notam corrosissent, pœnæ metu bellum fecerant; vsque eò graue, vti per Cœlium montem congressi, septem fere millia bellatorum confecerint. His tot tantisque prosperè gestis, fanum Romæ Soli magnificum constituit, donariis ornans opulentis: ac ne vnquam, * per Gallienum euenerant, acciderent; muris Vrbem quàm validissimis laxiore ambitu circumsepsit: simulque vsus porcinæ carnis, quò plebi Romanæ affatim cederet; prudenter munificeeque prospectauit; deletæque fiscales & quadruplatorum, quæ Vrbem miserabiliter affecerant, calumniæ; consumptis igni tabulis, monumentisque huiuscemodi negotiorum; atque ad Græciæ morem decreta abolitione; inter quæ auaritiæ peculatum, prouinciarum prædatores, contra morem militarium, quorum è numero erat, immane quantum spectabatur. Qua caussa, ministri scelere, cui secretorum officium crediderat, circumuentus, apud Cænofrurium interiit: cùm ille,

prædæ conſcientia deliĉtique, ſcripta callidè compoſita Tribunis, quaſi per gratiam, prodidiſſet, quibus interfici iubebantur: illique eo metu accenſi, facinus patrauere. Interea milites, omiſſo Principe, Legatos ſtatim Romam deſtinant, vti ſuopte arbitratu Patres Imperatorem deligerent. Quibus hoc ipſorum potiſſimum conuenire munus reſpondentibus; rurſum legiones ad eos reiiciunt. Ita vtrimq; pudore ac modeſtia decertabatur, rara in hominibus virtute, rebus præſertim huiuſmodi, ac ꝓpè ignota militibus. Tantum ille vir ſeueritate atque incorruptis artibus potuit, vt eius necis auĉtoribus exitio; prauis metui; * ſimulata dubiis; optimo cuique deſiderio; nemini inſolentiæ aut oſtentationi eſſet; atq; etiam ſoli, quaſi Romulo, Interregni ſpecies obuenit, longè vero glorioſior. Quod faĉtum præcipuè edocuit, *cunĉta in orbis modo* verti; nihilque accidere, quod rurſum Naturæ vis ferre nequeat æui ſpacio: Adhuc, *virtutibus Principum* res attolli facilè, vel affliĉtas; easque firmiores præceps vitiis dari. *S. Aurel. Viĉt. de Cæſarib. part.* 2.

Post hunc Aurelianus faĉtus eſt Imperator, qui regnauit annis V. menſib. V. ſub quo hi Conſules fuerunt.

Quietus & Voldumianus.

Tacitus & Placidianus.

Aurelianus & Capitolinus. *His COSS. Aurelianum Romæ triumphantem captiui Tetricus & Zenobia præceſſerunt.*

Aurelianus II. & Marcellus. *His COSS. Aurelianus templum Soli ædificat, & Romam firmioribus muris vallat.* *

Probus

Probus & Paulinus.
Probus II. & Paternus II. *His COSS. inter Constantinopolim & Heracleam Aurelianus occiditur.* Cassiodorus.

AVrelianus Imperator, in re militari exercitatissimus, animo infreni, & ad crudelitatem prono, multos illustres ciues, à Zenobia cõuictos, occidit: homo sæuus & sanguinarius: & dux magis necessarius, quàm optabilis Imperator; omni tempore difficilis & inaccessus; vt nec domestico sanguini pepercerit. nam filij vxorem indicta causa occidit. Militarium autem ordinũ & euanidæ ac dissolutæ disciplinæ strenuus instaurator fuit. ¶ Monetarij sub Aureliano adulterarunt monetam: suoque præfecto Felicissimo interfecto, intestinum bellum concitarunt; quos Aurelianus vix subactos, exquisita suppliciorũ atrocitate confecit. *Suidas.*

SEnatus nuntiata Claudij morte, eius fratrẽ Aurelium Quintilium Italici præsidij ducẽ, Cæsarem Augustum appellauit. Exercitus interea Aurelianum imperatorem legit. Postquam nuntium ad vrbem peruenit, illius conatibus se imperatorem cùm videret, maleq; expertus cõcione militum voluntatem, qui omnes fauebãt partibus Aureliani, venas soluit, & pòst paulò decessit decimoseptimo imperij die. Aurelianus solus imperat, qui imperium multiplici tyrannide liberauit, & eius terminos auxit, rebus gestis magnis principibus nõ modò æquandus, verumetiam anteferendus, interfectus medio itinere, quod ducit ab Heracleo Byzantiũ, non longè ab Zenophoro, ministri à libellis manu. *Pompon. Lætus.*

HVnc inter principes neceſſarios magis quã bonos multi reponunt. Nam quantum illi gloriæ triũphi hoſtiles & militaris peritia vendicat, tantũ ſæuitia domi etiam in ſororis filiũ exercita laudis detrahit. Princeps tamẽ dignus qui Claudij etiam prærogatiua rempub. ea temporum calamitate ſuſciperet. Barbaros enim in terra Italia vagantes triplici prælio afflixit. Monetariorũ bellũ non ſine ingenti cæde ſedauit. Zenobiã inſoleſcentem duplici prælio victã & per obſidionis moras tandem fractam in triumphum duxit. Aureolum & tyrannorũ non paucos aut interfecit, aut ſibi conciliauit, Tetrico vno ex his etiam Lucaniæ correctore inſtituto. Imperauit annis V. Domeſticorum fraude inter Byzantium & Heracleã oppreſſus. *Egnatius.*

TACITVS.

TACITVS poſt hunc ſuſcepit imperiũ; vir egregiè moratus, & Reip. gerendæ idoneus. nihil tamen clarum potuit oſtendere, intra VI. menſem imperij morte præuentus. *Eutrop. lib.* 9.

TAcitus poſt hunc ſuſcepit imperium; vir egregiè moratus: qui ducenteſimo imperij die apud Tarſum febri moritur. *S. Aurel. Victor Hiſtoriæ antiquæ.*

IGitur tandem Senatus, menſe circiter poſt Aureliani interitum ſexto, *Tatitum* è conſularibus mitem ſane virum, Imperatorem creat: cunctis fere lętioribus, quòd militari ferocia legendi ius Principis Proceres recepiſſent. Quæ tamen lætitia breuis, neq; exitu tolerabili fuit.

Namq;

Namq; Tacito cõfestim à ducentesima regni luce, Tyanæ mortuo cùm tamẽ priùs auctores Aureliani necis, maximeq; Mucaperẽ ducẽ, quòd ipsius ictu occiderat, excruciauisset; *Florianus*, eiusdem frater, nullo Senatus seu militũ consulto Imperiũ inuaserat *S. Aur. Vict. de Cæs. par. 2.*

AVreliano successit Tacitus qui regnauit menses VI. sub quo hi Consules fuerunt.

Probus III. & Paternus III. *His COSS. Tacitus in Ponto occisus est.* Cassiodorus.

PVblius Annius Tacitus post hunc imperat, vir egregius, & reipublicæ commodo, sine exercitu ab senatu imperator & Augustus appellatus. Tunc primùm respublica velut longo postliminio reducta, suo iure ac iudicio vsa est. Vtinam nec militaris furor, aut nimia erga nutrices cura bonos mores perdidissent. Nam quamdiu sua grauitate senatus decernit, tamdiu respublica viribus suis cõsistit, quæ tunc renascens, Tacitum sui corporis legit, & militib° principem dedit, nõ accepit ab legionibus, aut à prætorianis iugum, sed inuidit tanto facinori cœlũ. Dum fama tanti principis ad suos limites pducitur, fata successorẽ dedere. *Pompõ. Lætus.*

INterregnũ per septem menses Aureliano interfecto fuit: cùm miles ad senatum, senatus ad militem prærogatiuã Imperatoris deferret eligendi: tandem patres militari consensu victi, Tacitum Augustum dixere, ex quo tantum publicè gaudium fuit, vti literas senatus ad municipia Italiæ super ea re dederit. Quàm verò amplissimi ordinis iudicium à militari tumultu distet, Taciti declaratio ostẽdit. cùm in curia testati sunt, neminẽ aut iustiùs, q̃ grauem virũ,

aut prudentiùs quàm doctum imperare posse. Verùm hic tantus vir sexto quàm imperare cœperat mense, militari scelere periit. *Egnatius.*

FLORIANVS.


LORIANVS, qui Tacito successerat, duobus mensibus, & diebus XX. in imperio fuit: neque quidquam dignum memoria egit. *Eutrop.* 9.

HVic successit *Florianus.* Sed cùm magna pars exercitus equitum, *Probum* militiæ peritum legisset, Florianus dierum sexaginta quasi per ludum imperio vsus, incisis à semetipso venis, effuso sanguine consumtus est. *Sex. Aurel. Vict. Hist. antiq.*

TAcito occiso obtinuit *Florianus* imperium diebus LXXXIIII. Hoc quoq; apud Tarsum interfecto, Probus factus est Imper. *Cassiod.*

HIc Taciti frater, quasi hæreditarium imperiū esset, intra sexagesimū Imperij diē tanquā ad fortunæ ludibrium solutis sibi venis, ad Probi imperantis nuntium obiit. *Egnatius.*

PROBVS.


Ost hūc PROBVS, vir illustris gloria militari, ad administrationem Reip. accessit Gallias à barbaris occupatas, ingenti præliorū felicitate restituit. Quosdam imperium vsurpare conatos, scilicet *Saturninum* in Oriente, *Proculum* & *Bonosum* Agrippinæ, certaminibus oppressit. Vineas Gallos & Pannonios habere permisit, opere militari Almum montem

montem apud Sirmiũ,& Aureũ apud Mœſiam ſuperiorem; vineis conſeuit, & prouincialibus colendos dedit. Hic cùm bella innumera geſſiſſet, pace parta, dixit breui milites neceſſarios non futuros. vir acer ac ſtrenuus, iuſtus, & qui Aurelianum æquaret gloria militari, morum tamen ciuilitate ſuperaret. Interfectus eſt tamen Sirmij tumultu militari in turre ferrata. Imperauit annos VI. menſes IIII. *Eutrop. Breuiar. lib.9.*

PRobus, genitus patre agreſti, hortorum ſtudioſo, Delmatio ſanguine; imperauit annos ſex. Iſte *Saturninum*, in Oriente; *Proculum* & *Bonoſum*, Agrippinæ Imperatores effectos, oppreſſit. *Vineas* Gallos & Pannonios habere permiſit. Opere militari Almum montē apud Sirmium, & Aureum apud Mœſiam ſuperiorem, vineis conſeuit. Hic Sirmij in turri ferrata occiditur. *S. Aurel. Victor Hiſtor. antiq.*

QVi vno menſe aut altero vix retentata dominatione, apud Tarſum ab ſuis interficitur. Poſt quem *Probum* in Illyrico factum accepere, ingenti belli ſcientia exercitandisque variè militibus, ac duranda iuuentute propè Hannibalem alterum. Namq; vt ille oleis Africæ pleraq; per legiones, quarum otium Reipub. atq; doctoribus ſuſpectum rebatur: eodē modo hic Galliam Pannoniasq;, & Mœſorum colles, vinetis repleuit: poſtea ſanè quàm barbarorum attritæ gentes ſunt, quæ noſtris principibus ſuorum ſcelere interfectis, inuaſerant: ſimul cæſis, Saturnino per Orientem, Agrippinæ Bonoſo exercitu: nam vtriq; dominatum tentauerant, ſumpta, cui duces præerant, ma-

nu: Qua causa receptis omnibus pacatisq;, dixisse proditur, Breui milites frustra fore. Hinc deniq; magis irritati, paulò cis sextum annum apud Sirmium trucidauere, cùm ad siccandam lacunis ac fossa vrbem ipsi patriam adigerentur, quæ palustri solo hiemalibus aquis corrũpitur. Abhinc militaris potentia conualuit, ac senatui Imperium, creandique ius Principis, ereptum ad nostram memoriam; incertum an ipso cupiente per desidiam, an metu seu dissensionum odio. Quippe amisso Gallieni edicto, refici militia potuit, concedentibus modestè legionibus, Tacito regnante; neque Florianus temerè inuasisset: aut iudicio, manipularium cuiquam, bono licet, imperium daretur; amplissimo ac tanto ordine in castris degente. Verùm dum oblectantur otio, simulque diuitiis pauent, quarum vsum affluentiamq; æternitate maius putant, muniuere militaribus ac pœnè barbaris viam in se ac posteros dominandi. *S. Aurel. Victor de Cæsaribus part. 2.*

FLoriano interfecto *Trobus* factus est Imperator: qui regnauit ann. VI. mensibus III. sub quo hi Consules fuerunt:

Messala & Gratus. *His COSS. Gallia, quæ fuerant à Barbaris occupata, à Probo Romano restituuntur imperio.*

Probus IIII. & Tiberianus.

Probus V. & Victorinus. *His COSS. insana Manichæorum hæresis exorta est.*

Carus & Carinus.

Carus II. & Numerianus.

Diocletianus & Aristobulus. *His COSS. Probus apud Sirmium tumultu militari in turre,*

qua

qua vocatur Ferrara, occiditur. Caſſiodorus.

MArcus Aurelius Probus, vir gloria rerum geſtarũ illuſtris:nec potuit obeſſe M. Annius Florianus Taciti frater: qui cùm ſuo iudicio ad tantum velut hæredium properaret, imperium & inuaſit & arripuit. Itaq; cũ vix duobus menſibus præfuiſſet, Tarſi à militibus occiſus eſt. Probus igitur verè probus, ita ſe & in toga, & in militia geſſit, vt res ipſa nomen ſequeretur; Sarmatas contudit, tyrannos extinxit, orbem pacauit, iudicia bonorum de ſe admirabili virtute cõfirmauit, pace terra, mariq; parta, dicere ſolebat, milites minimè neceſſarios fore, cùm deſunt hoſtes: quæ vox plurimũ obfuit. In Sirmienſi agro natali ſolo dum moram trahit, tumultu militari occiſus eſt. imperauit annis VI. menſibus IIII. *Pomp Lætus.*

NOn fefellit omẽ nominis, cùm hoc illi cognomen eſſe potuerit, vt ſi non illi fuiſſet Probi nomen, cognomento hoc appellari potuerit. huic nec Taciti frater obſtitit, quò minùs orbis totius cõſenſu Imperator diceretur, nec generis humilitas, cùm patrem Dalmatici ſanguinis, & eum agreſtem habuerit. Vir pacis belliq; artibus longè clariſſimus. huic per ſex annos, quibus imperauit, victi Sarmatæ debentur. Tyranni per hunc omnes ſublati. pax vniuerſo terrarum orbi reſtituta celebris vox eius excepta inuidiam peperit apud milites: neque enim neceſſarios amplius dicebat fore milites, vbi hoſtes deeſſent, quos nuſquam virtute ſua futuros mox ſibi promittebat.

Egnatius.

CARVS & CARINVS NVMERIANVSQ. FF.



ARI Imperatoris victoria de Persis, nimiùm potens superno numini visa est. Nam ad inuidiam cœlestis indignationis pertinuisse credenda est. Is enim ingressus Persidem, quasi nullo obsistente vastauit: Cochen, & Ctesiphontem vrbes Persarum nobilissimas, cepit. Quum victor totius gentis castra super Tigridem haberet, fulminis ictu interiit. *Sextus Rufus.*

POst hunc *Carus* est factus Augustus Narbonæ natus in Gallia: qui confestim *Carinum* & *Numerianum* filios Cæsares fecit; cum quibus regnauit duobus annis. sed dum bellū aduersum Sarmatas gerit, nunciato Persarum tumultu, ad Orientem profectus, res contra Persas nobiles gessit: ipsos prælio fudit: Seleuciā, & Ctesiphontem vrbes nobilissimas cepit: & cùm castra supra Tigridem haberet, ictu diuini fulminis periit. *Eutropius Breuiarij lib. 9.*

CArus, Narbonæ natus, imperauit annos duos. Iste confestim *Carinum* & *Numerianum* Cæsares fecit. Hic apud Ctesiphonta ictu fulminis interiit. *Sextus Aurelius Victor Historiæ antiq. lib.*

IGitur *Carus*, Præfectura pollens Prætorij, augusto habitu, liberis Cæsaribus, Carino Numerianoq;. Et quoniam cognita Probi morte, barbarorum quiq; opportuna inuaserant, missa ad munimentum Galliæ maiore filio, Numeriani

meriani comitatu in Mesopotamiã pergit protinus; quòd ea Persarum quasi solenni bello subest. Vbi fusis hostibus, dum gloriæ inconsultè auidior, Ctesiphonta vrbem Parthiæ inclytã transgreditur, fulminis tactu conflagrauit. Id quidem iure ei accidisse referunt. nam quum oracula docuissent, adusque oppidum memoratum perueniri victoria licere; longiùs delatus, pœnas luit. Proinde *arduum fatalia* deuertere; eoque futuri notio superflua. *S. Aurel. Victor de Cæsaribus part. 2.*

PRobo successit Carus cum filiis suis Carino & Numeriano, qui regnauerũt annis II. sub quibus hi Consules fuerunt.

Maximus & Aquilinus. *His COSS. cùm Carus deuictis Parthis castra supra Tigridem posuisset, fulmine ictus interiit.*

Diocletianus II. & Maximianus. *His COSS. Numerianus occiditur; Carinus apud Margum prælio victus interiit.* Cassiodorus.

MArcus Aurelius Carus Narbonæ genitus, molem subiit. Exercitus Imperatorem appellauit. Is cùm Probi apparatu in Persas profectus, Mesopotamia recepta Ctesiphontem peruenit; & nisi fulmine ictus concidisset, regnum Persicum subuertisset: traditæq; sunt rerum habenæ eius filio. *Pompon. Lætus.*

NArbo Martius hunc genuit Imperatorem bonum, sed ad posteros etiam commendatiorem multò futurum, nisi Carinum flagitiosissimum principem reliquisset. Hic bello Persico capta Seleucia & Ctesiphonte, dum ad Tigrim fluuium castrametatur, fulmine ictus periit: Numeriano filio ab Apro socero mox

interfecto adolescente, tum probitatis, tum eruditionis egregiæ, maximè autem ad poeticen nato, & Carino Romæ per Diocletianum principem cæso. hi tres vix triennium expleuerunt. *Egnatius.*

De Numeriano Cari filio.

NVmerianus quoq; filius eius, quem secum ad Persas duxerat, adolescens egregiæ indolis, cùm oculorum dolore correptus, lecticula veheretur, impulsore Apro, qui socer eius erat, per insidias occisus est. & cùm dolo occultaretur ipsius mors, quousque Aper inuadere posset imperium, fœtore cadaueris prodita est. milites enim qui eum sequebantur, fœtore cōmoti, diductis lecticulæ palliis, post aliquot dies mortem eius notam habere potuerūt. *Eutropius lib. 9.*

NVmerianus quoq; filius eius, cùm oculorū dolore correptus in lecticula veheretur, impulsore Apro, qui socer eius erat, per insidias occisus est. *Sextus Aurelius Victor Histor. antiqua lib.*

AT Numerianus, amisso patre simul confectum æstimans bellum, cùm exercitum reductaret; Apri Præfecti Prætorio soceri insidiis extinguitur: quis casum detulit adolescentis oculorum dolor. denique diu facinus occultatum, dum clausum lectica cadauer, specie ægri, ne vento obtunderetur acies, gestabatur. *S. Aurelius Victor de Cæsarib. part. 2.*

NVmeriano, cui Mars in armis familiare numen præbuit, Mineruā peculiariùs adfuit, & citharam præbūit Apollo. Miles, orator, simul & Poeta, oculis æger, fortè aer & vigiliæ

in

in bello Persico nocuerant: occlusa lectica ferebatur. Erat in castris Arrius Aper, cuius filia nupserat Numeriano. Huius igitur cupientis inuadere imperium factione modestus & frugi iuuenis occisus est. Nec eius mors inulta. concionantem Aprum Diocletianus confodit. *Pompon. Latus.*

De Carino Cari filio.

INterea *Carinus*, quem Cæsarem in Parthos proficiscens Carus, in Illyrico, Gallia, Italia, reliquerat; omnibus se sceleribus coinquinauit: plurimos innoxios fictis criminibus occidit: matrimonia nobilia corrupit: condiscipulis quoque, qui eum in auditorio vel leui fatigatione taxauerant, perniciosus fuit. Ob quæ omnibus hominibus inuisus, non multò pòst pœnas dedit. Nam de Perside victa exercitus rediens, cum Carum Augustum fulmine, Numerianum Cæsarem insidiis perdidisset, *Diocletianum* Imperatorem creauit, Dalmatia oriundum, virum obscurissime natum: adeò vt à plerisque scribæ filius, à nonnullis Anulini senatoris libertinus fuisse credatur. Is prima militum concione iurauit, Numerianum nullo suo dolo interfectum. & cùm iuxta eum Aper, qui Numeriano insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus manu Diocletiani gladio percussus est. Postea Carinum, omni odio & detestatione viuentem, apud Murgum ingenti prælio vicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat; certè desertum inter Viminatium atque Aureum montem. *Eutropius Breuiarij lib. 9.*

CVm dolo occultaretur ipsius mors, quousque *Aper* inuadere posset imperium, fœtore cadaueris scelus est proditum. Hinc *Sabinus Iulianus* inuadens imperium, à Carino in campis Veronensibus occiditur. Hic Carinus omnibus se sceleribus inquinauit. Plurimos innoxios fictis criminibus occîdit. Matrimonia nobilium corrupit. Condiscipulis quoq;, qui eum in auditorio verbi fatigatione taxauerant, perniciosus fuit. Ad extremum trucidatur eius præcipuè tribuni dextera, cuius dicebatur coniugem polluisse. *S. Aurel. Victor Historia antiqua lib.*

CArinus, Cari Imperatoris filius, potestatem adeptus suo arbitratu agendi quidvis, eam acerbissima tyrannide commutauit, nomenque suum factis suis longè superauit. Nam pueris nobilibus factæ contumeliæ, ob assuetudinem, contumeliæ non habebantur, cùm ea delicta familiaria & quotidiana essent. Crimina etiam comminiscebatur, & ius dicebat iis qui læsi essent; neque litigatorum vllus incolumis euadebat. Nam cùm cædes multæ atq; ineffabiles perpetrarentur, quidam è beatis obiter consumebantur, sicut in communibus epulis gallinæ, in Carini delicias. Meminisse autem se dicebat, quosdã eorum qui mactabantur, non laudasse formam suam; alios, se adolescentem, cùm orationem haberet, non ita esse admiratos, vt voluisset. Peribant etiam nonnulli quòd coram ipso risissent: omnia denique eius facta grauiora erant ostentis, in mediis populis rabie quadam grassantis. Ac quod publicè prodesset, nihil prorsus egit Carinus:

sed

ſed delitiis & peruerſæ vitæ rationi deditus, cū luxu cædes innocentium hominum, à quibus vtcunq; offenſus videretur, coniungebat. Proinde omnes acerbam illam tyrannidem, cum adoleſcentia permiſtam, cùm omnia abſurdè & abſq; ratione agerentur, grauiter & iniquis animis patiebantur. *Suidas.*

CArino moranti in Galliis, vbi erat à patre relictus. Sic primum florem pueritiæ, quē fruendum dederat cum adoleuiſſet, ab adoleſcentibus repetiit. Pater ſi vixiſſet abrogare ſæpiùs cogitauit filio Cæſaris nomen, & conferre Conſtantio viro claro: ſed hoc fata Herculio ſeruatum ſtatuerant. Carinus diu præeſſe non potuit. Piorum ſanguine madefactus, totius vbiq; iuuentutis corruptor. Victor tamen exercitus in Perſide, Diocletianum Imperatorem legerat, qui Carinum multis prœliis vicit. Non defuit Carino vigor occupandi orbem: multúmque progreſſus fuiſſet, ſi non incidiſſet in Diocletianum cum exercitu recenti, victoria feroce. Occubuit Carinus vltimo prælio ad Margum cōmiſſo, à militibus fortiſſimis quos habebat deſertus. Percurri geſta XI. Imperatorum, ne interrupta temporum ſeries admirationem legentibus faceret. Ad deſtinatum opus redeo, profeſſus initio me ſcripturū de his Imperatoribus, quorum geſta magna ex parte ferè interierant. *Primi libri Pomponij Læti finis.*

DIOCLETIANVS ET CVM EODEM MAXIMINIANVS *Herculius: Constantius & Galerius Maximianus Armentarius.*

SVb DIOCLETIANO principe, pompa victoriæ de Persis nota est. MAXIMIANVS Cæsar, prima congressione quum contra innumeram multitudinem cum paucis acriter dimicasset, pulsus recessit: ac tanta indignatione à Diocletiano susceptus est, vt ante carpentum eius per aliquot millia passuũ cucurrerit purpuratus: & quum vix impetrasset vt reparato de limitaneis Daciæ exercitu, euentum Martis repeteret, in Armenia maiore ipse imperator, cum duobus equitibus explorauit hostes: & cum vigintiquinque millibus militum superueniens castris hostilibus, subitò innumera Persarũ agmina aggressus, ad internecionem cæcidit. Rex Persarum Narseus effugit; vxor eius & filiæ, captæ sunt, & cum maxima pudicitiæ custodia reseruatæ. Pro qua admiratióne Persæ non modò armis, sed etiã moribus superiores esse Romanos confessi sunt: ac Mesopotamiam cum Transtigranis quinq; regionibus reddiderunt. Pax facta vsq; ad nostrã memoriam Reipubl. vtilis perdurauit. *Sextus Rufus.*

ITa rerum Romanarum potitus, cùm tumultum rusticani in Gallia concitassent, & fa-

ctioni suæ Bagaudarũ nomen imponerent, duces autem haberẽt Amandum & Ælianum, ad subigendos eos Maximianum Herculium Cæsarem misit; qui leuibus pręliis agrestes domuit, & partem Galliæ reformauit. Post hæc tempora etiam *Carausius*, qui vilissimè natus, in strenuo militiæ ordine famã egregiam fuerat consecutus, cùm apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabãt, multis barbaris sæpè captis, nec præda integra, aut prouincialibus reddita, aut Imperatoribus missa, eùm suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti barbaros, vt transeuntes cum præda exciperet, atq; hac se occasione ditaret; à Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, & Britannias occupauit. ¶ Ita cùm per omnem orbem terrarum res turbatæ essent, & Carausius in Britanniis rebellaret: Achilleus in Ægypto, Africam Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bellum inferret, *Diocletianus Maximianũ Herculium* ex Cæsare fecit Augustum; *Constantiũ* & *Maximianum*, Cæsares: quorum Constantius per filiam nepos Claudij traditur; Maximianus Galerius in Dacia haud longè à Sardica natus. atq; vt eos etiam affinitate coniungeret, Constantius priuignam Herculij Theodoram accepit; ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam; ambo vxores, quas habuerant, repudiare compulsi. Cum Carausio tamen, cùm bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissimum, ad postremum pax conuenit. eum post septennium *Allectus* socius eius oc-

cidit; atque ipse post eum Britannias triennio tenuit: qui ductu Asclepiodoti præfecti prætorio est oppressus. Ita Britanniæ decimo anno receptæ. Per idem tempus à Constantio Cæsare in Gallia pugnatum est, circa Lingones. die vna aduersam & secundam fortunam expertus est. nam cùm repentè barbaris ingruentibus, intra ciuitatem esset coactus, tam præcipiti necessitate, vt clausis portis, in murũ funibus tolleretur; vix quinque horis mediis aduentante exercitu, LX. ferè millia Alamannorum cæcidit. Maximianus quoque Augustus bellum in Africa profligauit, domitis Quinquegentianis, & ad pacem redactis. Diocletianus obsessum Alexandriæ Achilleum, VIII. ferè mense superauit, eumque interfecit. victoria acerbè vsus est. totam Ægyptum grauibus proscriptionibus cædibusque fœdauit. Ea tamen occasione ordinauit prouidè multa, & disposuit; quæ ad nostram ætatem manent. Galerius Maximianus primò aduersum prælium, exin secundum habuit, inter Callinicum Carrasque congressus, cùm inconsultè magis quàm ignauè dimicasset. admodum enim parua manu cum copiosissimo hoste commisit. Pulsus igitur, & ad Diocletianum profectus, cùm ei in itinere occurrisset, tanta insolentia fertur à Diocletiano exceptus, vt per aliquot passuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurrisse. Mox tamen per Illyricum Mœsiamque contractis copiis, rursus cum Narseo Ormisdæ & Saporis auo, in Armenia maiori pugnauit successu ingenti, nec minore consilio simulque fortitudine: quippe qui etiam speculatoris munus cum

alt:ero

altero ac tertio equite susceperit. pulso Narseo, castra eius diripuit; vxores, sorores, liberos cepit; infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem, gazam Persicam copiosissimam: ipsum in vltimas regni solitudines coegit. quare à Diocletiano, in Mesopotamia cum præsidiis tum morante, ouans regressus, ingenti honore susceptus est. Varia deinceps & simul & viritim bella gesserunt, Carpis & Basternis subactis, Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt. Diocletianus moratus callidè fuit, sagax præterea, & admodum subtilis ingenio, & qui seueritatem suam aliena inuidia vellet explere. diligentissimus tamen & sollertissimus princeps; & qui in imperio Romano primus regiæ consuetudinis formam magis quàm Romanæ libertatis inuexit; adorarique se iussit, cùm ante eum cuncti salutarentur: ornamenta gemmarum vestibus calceamentisq; indidit. Nam priùs imperij insigne in chlamyde purpurea tantum erat: reliqua communia. Herculius autem, propalàm ferus, & inciuilis ingenij, asperitatem suam etiam vultus horrore significans. Hic naturæ suæ indulgens, Diocletiano in omnibus est seuerioribus consiliis obsecutus. Cùm tamen ingrauescente æuo, parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculio fuit, vt in priuatam vitam concederet, & stationem tuendæ Reipub. viridioribus iunioribusq; mandarent. cui ægrè collega obtemperauit. tamen vterque vna die: priuato habitu, imperij insigne mutauit; Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani;

post triumphum inclytum quem Romę ex numerosis gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qua Narsei coniuges sororesq; & liberi ante currum ducti sunt. Concesserunt tum Salonas vnus, alter in Lucaniam: Diocletianus priuatus in villa quæ haud procul à Salonis est, præclaro otio senuit; inusitata virtute vsus; vt solus omnium post conditum Romanum imperium, ex tanto fastigio sponte ad priuatæ vitæ statum ciuilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, vt cũ priuatus obiisset, inter Diuos tamen referretur. *Eutrop. Breuiar. lib. 9.*

DIocletianus Delmata, Anulini senatoris libertinus, matre pariter atque oppido nomine *Dioclea*: quorum vocabulis, donec imperium sumeret, *Diocles* appellatus: vbi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem conuertit. Imperauit annis vigintiquinque. Is *Maximianum* Augustum effecit: *Constantium*, & *Galerium Maximianum* cognomento *Armentarium*, Cæsares creauit; tradens Constantio *Theodoram* Herculij Maximiani priuignam, abiecta vxore priori. Hoc tempore *Carausio* in Galliis, *Achilleus* apud Ægyptum, *Iulianus* in Italia Imperatores effecti, diuerso exitu periêre. E quibus Iulianus acto per costas pugione, in ignem se abiecit. *Diocletianus* vero, apud Nicomediam sponte imperiales fasces relinquens, in propriis agris consenuit. Qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit; *Vtinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus*

manibus instituta: profectò nunquam istud tentandum iudicaretis. Vixit annos sexaginta octo, ex quibus communi habitu propè nouem egit. Morte consumptus est, vt satis patuit, per formidinem voluntaria. quippe cum à Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quo minùs interesse valeret, excusauisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio fauisse, ac Maximino fauere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse. ¶ His diebus *Constantius* Constantini pater, atq; *Armentarius* Cæsares, Augusti appellantur, creatis Cæsaribus, *Seuero* per Italiam, *Maximino* Galerij sororis filio per Orientem: eodemq; tempore *Constantinus* Cæsar efficitur. *Maxentius*, Imperator in villa sex millibus ab vrbe discreta itinere Lauicano: dehinc *Licinius*, Augustus efficitur: pariq; modo *Alexander* apud Carthaginē Imperator fit: similiq; modo *Valens* Imperator creatur. quorum exitus iste fuit: *Seuerus*, ab Herculio Maximiano Romę ad Tres tabernas extinguitur: funusq; eius Gallieni sepulcro infertur; quod ab Vrbe abest per Appiam millibus nouem. *Galerius Maximianus*, consumptis genitalibus defecit. *Maximianus Herculius*, à Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere postremo, fractis laqueo ceruicibus, luit. *Alexander*, à Constantini exercitu iugulatur. *Maxentius*, dum aduersus Constantinū congreditur, paulò superiùs à ponte Miluio, in pontem nauigiis compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est, voratumq; limo pondere thoracis, cor-

pus vix repertum. *Maximinus*, apud Tarsum morte simplici periit. *Valens*, à Licinio morte multatur. Fuerunt autem morum huiusmodi: *Aurelius Maximianus*, cognomento *Herculius*, ferus natura, ardens libidine, consiliis stolidus, ortu agresti Pannonioq; nam etiam nūc haud longè Sirmio, eminet locus palatio ibidē constructo, vbi parētes eius exercebant opera mercenaria. Ætate interiit sexagenarius, annorum viginti Imperator. Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium, & Faustam coniugē Constantini; cuius patri Constantio tradiderat Theodoram priuignam. sed Maxentium suppositum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auspicio prauissimi cœpti à puero. Is Maximianus, carus nulli vnquam fuit, ne patri aut socero quidem Galerio. *Galerius* autem, fuit (licet inculta agrestique iustitia) satis laudabilis; pulcer corpore, eximius & felix bellator; ortus parentibus agrariis, pastor armentorum: vnde ei cognomen *Armentarius* fuit. ortus Dacia Ripensi; ibique sepultus est: quem locum *Romulianum* ex vocabulo Romulæ matris appellarat. Is insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis, Alexandri Magni creatricis, compressam dracone semet concepisse. *Galerius Maximinus*, sorore Armentarij progenitus, veroque nomine ante Imperium *Daza* dictus; Cæsar quadriennio; dehinc per Orientem Augustus triennio fuit: ortu quidem atque instituto pastorali; verum sapientissimi cuiusque, ac litteratorum cultor, ingenio quieto; vini auidior: quo ebrius, quædam corrupta mente aspera iubebat:

bebat: qui, cùm pigeret factum, differri, quæ præcepisset, in tempus sobrium ac matutinum statuit *Alexander*; fuit Phryx origine, ingenio timidus, inferior aduersus laborem vitio senectæ. His omnibus absumtis, Imperij iura penes Constantinum & Licinium deuenere.

Sex. Aurel. Victor Histor. antiq. libro.

SEd postquam odore tabescẽtium membrorum scelus proditum est, Ducũ consilio Tribunorumque, *Valerius Diocletianus*, domesticos regens, ob sapientiam deligitur; magnus vir; his moribus tamen: quippe qui primus ex auro veste quæsita, serici ac purpuræ gemmarumque vim plantis concupiuerit. Quæ quamquam plus quam ciuilia tumidique & affluentis animi: leuia tamen præ cæteris. Namque se primus omnium post Caligulam Domitianumq; Dominum palam dici passus. & adorari se, appellarique vti Deum. Quis rebus; quantum ingenium est, compertum habeo, *humillimos quosque*, maximè vbi alta accesserunt; superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc Marius patrum memoria; hinc iste nostra, communem habitum supergressi; dum animus potentiæ expers, tamquam inedia refecti, insatiabilis est. Quo mihi mirum videtur, Nobilitati plerosque superbiam dare: quæ gentis Patriciæ memor; molestiarum, quis agitatur, remedio eminere paululùm pluris habet. Verùm hæc in Valerio obducta cæteris bonis; eoque ipso quòd Dominum dici passus, parentem egit: satisque constat, prudentem virum edocere voluisse atrocitatem reru magis, quam nominum officere. Interim *Carinus*, eorum

quæ acciderant, certior; ſpe faciliùs erumpentis metus ſedatum iri; Illyricum properè Italiæ circuitu petit. Ibi Iulianum, pulſa eius acie, obtruncat. Namque is cùm Venetos Correctura ageret, Cari morte cognita, Imperium auens eripere, aduentanti hoſti obuiam proceſſit. At Carinus, vbi Mœſam contigit, ilicò Murgum iuxta Diocletiano congreſſus, dum victos auidè premeret, ſuorum ictu interijt; quòd libidine impatiens, militarium nuptas affectabat: quarum infeſtiores viri; iram tamen doloremque in euentum belli diſtulerant. Quo proſperiùs cedente, metu ne huiuſmodi ingenium magis magiſque victoria inſoleſceret; ſeſe vlti ſunt. Is finis Caro liberiſque: Narbone patria, Imperium biennij fuere. Igitur Valerius prima ad exercitum concione, cùm educto gladio, ſolem intuens, obteſtaretur, ignarum cladis Numeriani, neque Imperij cupientem ſe fuiſſe; Aprum proximè aſtantem ictu tranſegit: cuius dolo, vti ſuprà docuimus, adoleſcens bonus facunduſque & gener occiderat: cæteris venia data; retentique hoſtium ferè omnes; ac maximè vir inſignis Ariſtobulus Præfectus Prætorio per officia ſua. Quæ res poſt memoriam humanam noua atque inopinabilis fuit; ciuili bello, fortunis, fama, dignitate, ſpoliatum neminem: cum *piè admodum* manſueteque geri lætemur, exſilio, proſcriptioni, atque etiam ſupplicijs & cædibus modum fieri. Quid ea memorem, adſciuiſſe conſortio multos externoſque, tuendi prolatandive gratia Iuris Romani? Namque vbi comperit Carini diſceſſu, Helianum

lianum Amandumque per Galliam excita manu agrestium ac latronum, quos *Bagaudas* incolæ vocant, populatis latè agris plerasque vrbium tentare; *Maximianum* statim, fidum amicitia, quamquam semiagrestem, militiæ tamen, atque ingenio bonum; Imperatorem iubet. Huic postea cultu numinis, *Herculei* cognomentum accessit: vti Valerio *Iouium*. vnde etiam militaribus auxilijs longè in exercitu præstantibus nomen impositum. Sed Herculius in Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis, quieta omnia breui patrauerat. Quo bello Carausius, Menapiæ ciuis, factis promtioribus enituit: eóque eum, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur; parandæ classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus, præfecêre. Hoc elatior, cùm parum multos opprimeret, neque prædæ omnia in ærarium referret; Herculij metu, à quo se cædi iussum compererat: Britanniam hausto Imperio capessiuit. ¶ Eodem tempore Orientem Persæ; Africam Iulianus, ac nationes Quinquægentanæ grauiter quatiebant. Adhuc, apud Ægypti Alexandriam Achilleus nomine, dominationis insignia induerat. His de caussis *Iulium Constantium*, *Galerium Maximianum*, cui cognomen *Armentario* erat, creatos Cæsares, in affinitatem vocant. Prior Herculij priuignam; alter, Diocletiano editam sortiuntur, diremtis prioribus coniugijs: vt in Nerone Tiberio, ac Iulia filia Augustus quondam fecerat. His sane omnibus Illyricum

patria fuit: qui quãquam humanitatis parum; Iuris tamen ac militiæ miserijs imbuti, satis optimi Reipubl. fuere. Quare constat *sanctos prudentesq.* sensu mali promtius fieri: contraq; expertes ærumnarum, dum opibus suis cunctos æstimant, minùs consulere. Sed horum concordia maximè edocuit, *virtuti ingenium*, vsumque bonæ militiæ, quanta his Aureliani Probique institutio fuit, penè sat esse. Denique Valerium, vt parentem, seu Dei magni suscipiebant modo: quod, quale quantumque sit, ab Vrbis conditore ad nostram ætatem propinquorum facinoribus patefactum est. Et quoniam bellorum moles, de qua suprà memorauimus, acriùs vrgebat; quasi partito imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa; Africa Italiaque, Herculio; Illyricique ora ad vsque Ponti fretum, Galerio: cætera Valerius retentauit. Hinc denique parti Italiæ inuectum tributorum ingens malum. Nam cùm omnis eadem functione, moderataque ageret, quò exercitus atque Imperator, qui semper aut maxima parte aderant, ali possent; pensionibus inducta lex noua: Quæ sanè illorum temporum modestia tolerabilis, in perniciem processit his tempestatibus. Interim Iouio Alexandriam profecto, prouincia credita Maximiano Cæsari; vti relictis finibus, in Mesopotamiam progrederetur, ad arcendos Persarum impetus. A quis primò grauiter vexatus, contracto confestim exercitu e veteranis ac tironibus, per Armeniam in hostes contendit: quæ ferme sola, seu facilior vincendi via est. Denique ibidem Narseum Regem in ditio-

nem

nem ſubegit : ſimul liberos coniugeſque, & aulam regiam:adeo victor,vt ni Valerius,cuius nutu omnia gerebantur ; incertum qua cauſſa, abnuiſſet ; Romani faſces in prouinciam nouam ferrentur. Verum pars terrarum tamen nobis vtilior quæſita: quæ cum acrius repoſcũtur,bellum recens ſuſceptum eſt, graue admodum pernicioſumq;. At in Ægypto Achilleus facili negotio pulſus pœnas luit. Per Africam geſtæ res pari modo ; ſolique Carauſio remiſſum Inſulæ imperium , poſtquam iuſſis ac munimento Incolarum contra gentes bellicoſas opportunior habitus. Quem ſane ſexennio poſt *Allectus* nomine, dolo circumuenit :qui , cum eius permiſſu ſummę rei præeſſet,flagitiorum, & ob ea mortis formidine, per ſcelus imperium extorſerat ; quo vſum breui. Conſtantius, Aſclepiodoto,qui Prætorianis Præfectus præerat ; cum parte claſſis ac legionum præmiſſo, deleuit. Et interea cæſi Marcomanni, Carporumq; natio tranſlata omnis in noſtrum ſolum ; cuius ferè pars iam tum ab Aureliano erat. Neque minore ſtudio pacis officia vincta legibus æquiſſimis : ac remoto peſtilenti frumentariorum genere, (quorum nunc Agentes rerum , ſimillimi ſunt. qui , cùm ad explorandum annuntiandumq; , ecqui fortè in Prouincijs motus exſiſterent , inſtituti viderentur ; compoſitis nefariè criminationibus , iniecto paſſim metu , præcipuè remotiſſimo cuique , cuncta fœdè diripiebant) ſimul annona. Vrbis ac ſtipendiariorum ſalus , anxie ſolliciteque habita : honeſtiorumque prouectu ; & è contra, ſupplicijs flagitioſi cuiuſque , virtutum ſtudia

augebantur : veterrimæ religiones castissimè curatæ : ac mirum in modum nouis adhuc cultisque mœnibus, Romana culmina & cæteræ vrbes ornatæ; maximè Carthago, Mediolanū, Nicomedia. Neque tamen cùm hæc agerent, extra vitia fuerunt. quippe Herculius libidine tanta agebatur: vt ne ab obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret. Valerio parum honesta in amicos fides erat, discordiarum sanè metu; dum enuntiationibus posse agitari quietem consortij putat. Hinc etiam quasi truncatæ vires Vrbis, imminuto Prętoriarum cohortium atque in armis vulgi numero. Quo quidem plures volunt imperium posuisse. Namque imminentium scrutator, vbi fato intestinas clades, & quasi fragorem quendam impendêre comperit status Romani; celebrato regni vicesimo anno, valentior curam R.P. abiecit; cùm in sententiam Herculium ægerrimè traduxisset; cui anno minùs potentia fuerat. & quamquam alijs alia æstimantibus, veri gratia corrupta sit; nobis tamen excellenti natura videtur ad communem vitam spreto ambitu descendisse. *S. Aurel. Victor, de Cæsarib. part. 2.*

POst Carum, Numerianum & Carinum Diocletianus Dalmata suscepit imperium; qui regnauit ann. XX. sub quo hi Consules fuerunt:

Maximianus II. & Ianuarius.

Bassus & Quintianus. *His COSS. Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum adsumit.*

Diocletianus III. & Maximianus III.

Tiberianus & Dio.

Annibalianus & Asclepiodotus.

Diocle-

Diocletianus IIII. & Maximianus IIII.
Constantius & Maximus.
Tuscus & Anulinus.
Diocletianus V. & Constantius II.
Maximianus V. & Maximus II.
Faustus & Gallus. *His COSS. primus Diocletianus adorari se iussit vt Deum, & gemmas vestibus calciamentisq́; conseruit; cùm ante eũ omnes Imperatores in modum iudicũ salutarentur, & tãtùm chlamydem purpuream à priuato habitu plus haberẽt.*
Diocletianus VI. & Maximianus VI.
Constantius III. & Maximus III.
Titianus & Nepotianus.
Constãtius IIII. & Maximus IIII. *His COSS. LX. millia Alamannorum cæsa sunt.*
Diocletianus VII. & Maximianus VII.
Diocletianus VIII. & Maximianus VIII.
Constantius V. & Maximus V.
Constantius VI. & Maximus VI. *His COSS. Diocletianus & Maximianus Aug. insigni pompa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei coniuge, sororibus, liberis, & omni præda, quã Parthos expoliauerant.*
Diocletianus IX. & Constantinus.
Diocletianus X. & Maximus VII. *His COSS. Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt ob ætatis defectum.* Cassiodorus.

Diocletianus & Maximianus huius gener, Imperatores Romanorũ: sub his atrocissima mota est contra Christianos persecutio. Iusserũt enim in singulis prouincijs & vrbibus, Christi ecclesias euerti, & diuinas earũ scripturas comburi: & quicumque Christiani inueni-

rentur, eos cogi vt dæmonibus immolarẽt. Sed victi multitudine eorum qui occidebantur, decretum promulgarũt, vt ijsdẽ dextri oculi eruerentur; cùm ob doloris acerbitatẽ, tum propter ignominiam conspicuam, & Romanæ ciuitatis alienationẽ quos diuina vltio insecuta meritò excidit. nam alter quidẽ, à Senatu iugulatus est; alter se suspendit. Hic Diocletianus homo væcors & Christi osor, ira & furore percitus, cõtra eos qui in Ægypto res nouas moliti erant, non moderatè neque humaniter potestate vsus est: sed proscriptionibus & cædibus illustriũ virorum polluendo prouinciam peruasit. Eodemq; tempore veterum scripta de fusione argenti atque auri conquisita combussit; ne ex illa arte ditati Ægyptij, & pecuniæ freti copijs, in posterum rebellarent. Ingenio fuit vario & callido: sed singulari prudẽtia & acumine vitia naturæ sæpe celauit, res omnes asperiores in aliõs conferẽdo: diligens tamen & in rebus gerẽdis strenuus: & multa imperatorij cultus contra morẽ maiorum insolẽtiùs mutauit. Diocletianus & Maximianus abdicato imperio, ad vitam priuatam redierunt, ac ille quidem Salonas vrbem Illyricum se contulit: alter in Lucanos abijt. Ac Maximianum quidem relicti principatus pœnituit Diocletianus autẽ tranquillè consenuit: ac trienniũ summa cum virtute exegit; ethnica religione tamẽ mordicus retenta. ¶ Herculius, etiã sine vllo prætextu sæuus erat & tyrãnicus, animiq; sui asperitatem toruitate vultus præ se ferebat. Itaq; prorsus ingenium secutus suum, Diocletiani etiã ad omnia cõsilia inhumana & aspera vltrò se ministrum præbuit. *Suidas.*

Salonis

SAlonis Dalmatiæ ortus, vtroque parente ignobili & obscuro (quidam scribunt libertino Anulini senatoris genitum, quidã scribæ filium) militare à pueritia cœpit. Cumque gregarius miles in Gallia esset, diuersorio cuiusdã Dryadis vtebatur, ab qua cibaria emebat debebatq; plurimum vetulæ; cùm illa pretiũ posceret, dicere solebat: *Soluam cùm imperator fuero:* At illa subiunxit: *Eris cùm Aprum interficies.* Hac voce augurium futuræ felicitatis accepit; etiam studebat venatum ire, sæpius contra apros congrediens, plurimos interfecit tandem cùm Arrium Aprum sua manu confodisset, & imperator ob id factus esset, intellexit vocem Dryadis haud vanam fuisse. Profligato & cæso Carino Augustus appellatus, & ab S.P.Q.R. magno honore exceptus est. In quibusdam imperij regionibus facti sunt motus, & tyranni non deerant. Diocletianus animaduertens consorte imperij opus esse, vt citiùs pacem vbique redderet, Maximianum legit. tantaque fuit in gubernanda reipublicæ inter principes concordia, vt alter alteri, quãuis semper honesta cupiebãt, nunquã repugnauerit. verum Maximianus vt filius patri Diocletiano obtemperabat. Felicissima cognomina sibi indidere, Diocletianus Iouius, Maximianus Herculius appellati sunt: velut ille Iouis, hic Herculis hæres. Iupiter gigantes vt cæli regiam defenderet, perdidit. Diocletianus vt orbis terrarum regiam tueretur, tyrannos surgentes, vt Centimanos, diligenti cura perdidit ac deleuit. & vt Iupiter turbata pacauit elementa, sic Diocletianus domitis ac cæsis seditiosis hominibus, imperium turba-

tum, tranquillum reddidit. Iupiter ab sua arce vndique suum numen diffundit. Diocletianus quamuis vno esset in loco, sua prouidentia præsens vbique esse videbatur. Hercules ἀλεξίκακος, à nostris custos generis humani cognominatus, vrbes, oppida, agros, regiones, syluas, horrendis & perniciosis monstris, & aërem infestis alitibus liberauit, simul & genus humanum tutatus est. Maximianus post salubre temperamentum virtutis & imperij assertor, nunquam nisi reddita toti orbi securitate quieuit. Conatus contra rempubl. dispulit. Hercules qui magna gessit, materiam præbuit camœnis concinendis, harumque comes habitus est, vnde Musagetes appellatus. Maximianus laborum Herculis æmulus, niuosas alpeis maiore conatu tutior calcauit, latrones plurimos toto imperio exegit, superiora secula gestis adæquauit, pestilentem aërem in perpetuam salubritatem restituit, immissis in perpetuas foueas paludibus, materiam canendi poëtis exhibuit. Hercules Iouis F. Maximianus Diocletiani. Veram igitur cognominis adoptionem duo Cæsares Augg. meruere. Inter quos quidam clarior ac præcipuus amor vsque ad sapientiæ finem perdurauit. Eam sic appello cùm imperium deposuere. Ita cognomine patris ac filij vnanimes nihil orbi pacando prætermisêre. Maximianus tumultus in Gallijs, quos Amandus & Ælianus excitauerant sub specie tyrannidis, cum tota factione Burgaridarum (hoc nomine se appellauit turba rusticorum) compressit mira celeritate, statimque deleuit. Ita pax Gallijs restituta est.

Inde translatus in Africam Gentianos deuicit, qui vix pacem impetrauit. Quinquagenarij & supra eum numerum annorum hi milites fuere, qui Africam diripiebant, cupientes sibi regnum vindicare. pullulantibus per varia loca nouis bellis, concordes Augustos duos adoptauere: Diocletianus Galerium Maximi, Maximianus Constantium cognomine Chloron, Cæsaresque fecerunt, & præter adoptionem affinitate iunxerunt. Nam coacti repudiare primas vxores, nouas duxerunt. ille Valeriam Diocletiani F. hic Theodoram priuignam Maximiani. Erat in Gallia Herculius, Iouius verò in Ægypto. ille Gallicas, vt diximus, hic euersis duabus vrbibus superato Achilleo pacauerat Ægyptum. vrbes prope veteres Thebas positæ erant, dites ac populosæ, Busiris & Copos. spem rebellionis augebat Achilleus, cuius consilio ferè tota dissenserat Ægyptus. tandem cæsis vbique autoribus defectionis, intra nouem menses quieuit prouincia seminarium religionum, in qua archisynagogi plurimum autoritatis habebant. Alexandria verò obsessa &. VIII. mense capta est. Imperator contentus optimatum cæde, abstinuit à multitudine. Achilleus verò meritas luit pœnas, feris oppositus & dilaniatus: terra verò vbique cædibus potentium maduit. Frustra contra Crausium, Britanniam insulam occupantem, arma cepimus per duces Maximiani, qui anno VII. ab socio per insidias petitus, occisusque est, & is tyrannidem sumpsit. qui tertio pòst anno ab Asclepiodoro præfecto præt.

Pompon. Laetus.

victus est. Britanniæ X. pòst anno quàm defecerant receptæ sunt. Britaniam circunfluam oceano Aborigenes tenuere. nomen indiderũt Britanni continentis, qui sunt intra Gallos & Hispanos, vocati pòst Britones. & hi accolæ oceani insula potiti. Eò deinde concessere Hispani, Galli, & Germani. Primus Romanorum Caius Cæsar insulam ostendit. Vespasianus imperante Claudio captis regibus domuit. Huc cùm frequentes irent Romani, paulatim nostros imbibit mores. Constantius verò multa præclara gerens in Gallijs, semel cùm esset apud Lingonas populos, eodem die varietatem fortunæ expertus est. Alemanni magno impetu irrumpunt, Constantium in fugam verterunt. Is ad propinquam vrbem fessus se contulit. Cuius portę hostili metu occlusæ fuerant, & nisi demisso fune per muros sublatus fuisset, eum hostes captiuum abduxissent. In vrbe hortatus est robur suorum, qui eò antè confugerant, ne talem ignominiam paterentur. Pòst concionatus est ciuibus vt arma caperent, & dedecori abolendo auxilium præstarent. ita apertis portis erumpunt, hostes fugant, & propè LX. millia cædunt. ea victoria liberatæ Galliæ, attritæ Germaniæ suas vires amisere, quas reparare nisi non sunt Alemanni. At in Ægypto erat Diocletianus, vt res turbatas in Oriente sedaret. Narses enim modò Armenias, modò Mesopotamiam acri bello quatiebat, & cum eo conuenerant propinqui reges ac duces præcipui, rex Scicnitarum & rex Albanorũ. Priusquam bellum contra Persas explicemus, non alienum fortè erit acerrimi progeniem hostis aperire.

aperire. Regnaum in Perside Artaxerxes quidam ex genere illius, qui per seditionem à militibus regnum accepit, Persis præfecit. Huius filius fuit Sapores, Saporis Hormisdas, Hormisdę Vararanes, huius verò Vararaces, Vararacis, Vararanes secundus, qui Narsen filium regni successorem reliquit. Contra hunc ab Diocletiano missus est Galerius. Etenim ipse expeditionem parare cupiebat in Æthiopas, si res in Oriente prosperè succederent. Galerius iuuenili ardore ausus est contra multitudinem congredi; & æquo Marte discessit. Inde factus animosior, non longè à Carris iterum congressus, paulò inconsultiùs, quàm antea, dum sperat vincere, superatur, amisso ferè toto exercitu. Itaque repulsus redit in Syriam, & inde ad Diocletianum occurritque Augusto in itinere, ad quem antea aduersi belli fama venerat. Galerius purpura indutus (nam Cæsar erat) mille passus ante carpentum indignati principis pedes cucurrit, velut homo gregarius, & auditus non est. Tandem princeps post minas iussit, vti ex lectissimo supplemento exercitum reficeret, & in Persida rediret ignominiamque aboleret. Is ex militibus Daciæ, Illyriæ ac Mysiæ pugnacissimas copias & robustissimas coegit & contra Persas meliore auspicio profectus, hostem inuenit in Armenia maiore, qui ex recenti victoria sumtis viribus prouincias imperij Romani secundo Marte vexabat. Maximinus verò iratum principem placare studens, abolendæque ignominiæ accensus, priusquam manus consereret, hostium stationes ipse habitu gregarij diligentissimè explo-

Pompon. Lætus.

rauit. Interea Diocletianus cum firmiſſimo ſubſidio Meſopotamiam conceſſerat, vt noſtris animum, & hoſti terrorem præberet. Ibique Cercuſium oppidum ſpatio ampliauit, mœnibus & turribus inexpugnabilibus muniuit. Galerius cum XX. millibus equitum ex improuiſo hoſtilia caſtra noctu aggreſſus, innumerabilium Perſarum ſtrage, decus noſtrum non modò vltus eſt, ſed felici vſus victoria fines imperij longiùs produxit: vetus oraculum falſum eſſe oſtendit. Antiquiſſimi vates ceciнerant, Romana arma Cteſiphontem tranſire nefas eſſe, & duces qui auſi fuiſſent, pœnas darent. Putant M. Craſſum id cogitantem cum exercitu perijſſe. M. Vlpium Traianum tranſgredi auſum Italiam non repetijſſe, & quinque prouincias trans Tigrim ſtatim amiſiſſe: ſatiusque fuiſſe iter non tentaſſe: legiones longo labore attriuit, & ferè conſumſit, & quamuis victor longiùs produxerit terminos, tamen non multum profecit, neſcio an ſic volentibus fatis, an culpa ſucceſſoris Hadriani. Cteſiphontem cupiens tranſire ſuperato Tigride Valerianus, ab Sapore rege Perſarum captus eſt. Verum Odenatus Palmirenus victor Romanæ maieſtatis, Cteſiphontem vſque trans Tigrim peruenit. Carus Imperator exercitũ Probi Sarmatico bello latè victorem duxit in Perſida, hoſtile regnum vaſtauit. Seleuciam cinctam Euphrate, quam olim cœperat Ælius Verus Antoninus, expugnauit. Deinde Cteſiphontem, & longiùs progredi volentem, vel morbus, vel ictus fulmine cælo turbido, & coruſcante abſumpſit. Galerius de quo

nunc

nunc ſermo eſt, totam Aſſyriam, expugnata Cteſiphonte, cepit: & quinque prouincias Tranſtigritanas, quæ ſtatim redeunte ad nos Traiano defecerant, ſubegit & imperio adiunxit. Victor rediijt ad Diocletianum, & pòſt imperauit Auguſtus. Illud ſanè conſtat, numinum oracula bona ex parte vana, & fidem rarò implere: & ſi quando euenerit, vix intelligi, & ſæpius eludere credentes: adeoque præſtat rationibus & experimentis, atque conſulto res aggredi. & ſi in rebus bellicis fortuna ſibi plurimum vindicat, tamen credibile eſt etiam virtute augeri, atque ampliari, vt in propagando Rom. Imperio facilè animaduertere licet. Nam ſi de rebus futuris certa ſtarent vaticinia, virtus pro nihilo eſſet. Non eo inficias, cælitus noſtra gubernari: verùm ſapiens non vano conſilio multa aduerſa effugere poteſt: inconſultum & inſipientem proſperi ſucceſſus prætereunt. Illos verò non audio, vt in vita Maxentij pòſt dicemus, qui ad magarum monitus ac diuinationes res omnes componunt. Præter hoc quod diuulgatum iam erat, aliud occurrit augurium. Aciem explicanti contra Narſen Maximino, leo & aper trucidati oblati ſunt. Tages aruſpicum princeps, viſum leonem exitialem pugnaturis putat. Verùm & hæc, vt oracula, ſæpius vaneſcunt. In Maximini victoria fugatus, & vulneratus Narſes, quem victores vſque ad inuios Parthiæ montis perſecuti ſunt, regis proles ferè omnes & vxores, & ſorores captæ ſunt, pleraque Perſarum nobilitas abducta, reguli ducesque

Pompon. Lætus.

& triumpho tam illustri reseruata: & quamuis per legatos ab rege conualescente petita, promissa tamen, sed non statim restituta. Ictum verò est fœdus, vt Persæ ab Armenijs, Mesopotamia, Assyria, & quinque nouis prouincijs abstinerent. Diocletianus rebus toto Oriente cõpositis, Europam repeti r: vbi iam Scythæ, Sarmatæ, Alani, & Basternæ iugum subiuerant vnà cum Carpis, Cattis, & Quadis. Admonendi sunt qui legerint, pro Maximino in quibusdam codicibus Maximianum esse, & hoc qui è marmoribus epigrammata exscripsere, satis indicant, scilicet simul imperasse Maximianum & Constantium, & deinde Maximinum & Seuerum: errorque est, aut ab librarijs, aut ab his, qui ex lapidibus accepere. Nos verò confusi decernere non audemus. Æra lapidesque indicabunt. Sed in eo summopere hæremus, quòd priori Maximiano præponitur Herculius, posteriori Galerius, dumque incerta aura ferimur, sit hic Constantij collega Maximianus. Anno postquam hæc scripseramus, Seraphinus antistes sancti Petri a vinculis, & Vilelmius Heda Alphnius cõmercio literarũ mihi valde familiares, & antiquorum monimentorum diligentissimi indagatores, cum vrbem Romam repeteret, secum attulere epigramma in agro Forosempronensi ex sexo quadrato exscriptum: Æterni imperatores Diocletianus, & Maximianus Augusti: Perpetui Cæsares Constantius & Maximianus pontem Metauro: Romæ in templo Vestę nuper reperto ad forum Rom. in quadam marmorea basi. Dedicata XIIII. Kal Ianu. Constantio. III. & Maximiano. III. Cęss. C O S S.

Curante

Curante Aur. Niceta. aliàs plures. Quoniam hac via multum profecimus, ſtudioſis conſulendum arbitramur, vti perquirendo his veſtigiis inſiſtant: quod ſi fecerint, ſciant velim & ſe noſtræ linguæ plurimum collaturos, & laboris gloriam cõſecuturos. Ex barbaris multi adducti captiui, qui non fuere ſecuri cæſi, ſed poſt triumphum in Romani imperij finibus poſiti, vt vnà cum veteribus incolis habitarent. Regiones enim aſſiduis incurſionibus vaſtatæ ferè in ſolitudinem ierant. Rediere ex diuerſis partibus orbis ad vrbem principes ſeniores, quorum auſpiciis limites imperij Romani longiùs producti, atq; prolati. *Pompon. Lætus.*

Magnitudo imperij Romani.

AB ortu vſq; ad Indos propagati imperij fines, non Euphrates, non Tigris vetuêre, non ſuperbæ regum Perſarum minæ: A meridie Æthiopes per legatos accerſere: Ab Aquilone Barbaræ feræq; nationes Sarmatarum domitæ: Ab Occaſu Genſoriacus oceanus admirabilis victoriæ teſtis eſt, ſimul & Britannicus. Igitur toto terrarum orbe vndiq; Romana arma illuſtres victorias aſſecuta ſociis lætitiam præbuere, rebellibus metum terroremque pugnare cupientibus. Porro Perſæ armis Rom. cedere confeſſi intra poſitos terminos ſe tenuerunt. Poſt tot victorias maximus triumphus ab ſenatu decretus, & inclyta cognomina principibus indita ab deuictis populis. Diocletianus verò Romanorum principum victorioſiſſimus, diuinos honores imperatoribus Auguſtis habendos præcepit. Nam cum priores, vt conſules ſalutarentur, primus ipſe voluit adorari,

velut in eo esset cœlestis maiestas (Persarum iste mos, quorum princeps rex regum appellatur, & adoratur) fratrem Solis, ac Lunæ se nuncupans. Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præbebant, pòst suis manibus subleuabant ad oris osculum. Vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit, vti omnes sine generis discrimine prostrati, pedes exoscularentur: quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calciamēta auro, gemmis & margaritis. Quod fecisse ante Caiū Caligulam memorant: eundem ornatum immiscuit vestibus, vt augustior esset: & cùm contentus esse debuisset, quibus priores fuissent insignibus, quæ Priscus Tarquinius accepta ab Hetruscis induxit, reperit ex ipso habitu, vti Deus haberetur, maioreq́; sumtu vanam Arsacis gloriam superaret. Itaque veste gemmata, & aureo gemmatoq́; curru, cum imperij consorte triumphauit, ingenti ferculorum pompa, ante præcinentibus & saltantibus lætitia militibus, quibus libertas erat scommata in ipsos effundere triumphantes. Ipsa quidem fercula primus ostendit Romulus, qui ramum quernum manu cepit, in quo cæsi Acronis regis Ceninensium opima Ioui Feretrio in Capitolium tulit. Ferculis apud veteres ferebantur spolia cæsorum hostium sanguinolenta. Postquam arma Romana longius prouecta vicere, fabricata fuêre cum signis & monumentis victoriæ, quæ possent manibus militum ferri. Inferebantur ferè omnes triumphi, via Appia, porta Capena. Ea enim via ampla, & VIII. mil. pass. ab vrbe frequens ex vtroque latere habitata. & inde in Capitolium rectum & amplum iter. In quo li-

gnei primùm continuiq; arcus, postea marmorei, colũnis suffulti, vnde multitudo satis commodè triumphum spectare posset. Cuius ordo non semper idem, verùm qui tum fuerit, talem accepimus, qualem Diocletianus cum consorte habuisse memoratur. Templa Deorum immortalium tota vrbe patebant, ornata sertis ac floribus, spirantia Arabicos odores, itinera vbique repleta pinguibus mensis, & lætis poculis, vt fessi victores se recrearent. Præferebantur in vehiculis, tabulæ, signa colossi, hostiũ galeæ, thoraces, ocreæ, peltæ, scuta, vexilla, pharetræ, tela, arcus, enses, frena & equorum picturata strata, opes, tapetes & quæ pretiosa & digna spectaculis, deuictis hostib. allata erant: & modò ex Oriẽte, vtputa Assyriis ac Persis, tentoria & ex Babylonico opere multa. Pòst ingens hominum grex, qui in vasis ferebant aurum argentumq; & purum & signatum. Singula vasa validi iuuenes humeris ferebant. Pòst argentei crateres, pelues, phialę, calices, vestes, & tota regia supellex, & vasa ex solidis gẽmis. Hinc ferculorum multitudo; & hos sequebãtur tubicines bellicum clangorem intonantes: deinde boues auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant: nec non & frontibus vittatos ad sacrificium succincti popę, hoc est ministri agebant. Sequebantur & ali, ministri cum argẽteis patinis: regia dehinc proles vxoresq; & nati, & sorores cum pincernis seruisq; ac nutricib⁹, & pleraque Persarum nobilitate, patrio more vestiti omnes, sed pullati. Spectantium oculos, etsi hic impleuit numerus, tamen lætiores reddidere tabulæ duæ: Altera ipsum

Persida ostendens suppliciter tollentem manus,& exorantem à pop.Rom.gentium victore veniam: altera Narsen regem fugientem conspiciendum præbebat. Pòst ingens captiuorum turba satis mœsta,in qua fuerunt Scytharum & variarum gentium duces, qui lachrymas effundebant. Præferebantur aureę coronę & munera victori dono data. Propius currum præcedebant homines stipitibus sudibusq; accensis, qui turbam submouerēt. Post triumphantium currus ex auro & lapillis pretiosis, quem trahebant quatuor equi candore certantes cum niue. In quo sellæ curules duæ ornatæ gemmis, in quibus sedebant principes terrarum: triumphantium capitibus imminebant victoriæ allatæ. Diocletianus (vt cæteri antea) vna fuit corona ex lauro contentus, simili & collega. Reges verò Persarum tiaram, qua vtebantur, tribus coronis exornabant. Currum sequebantur captiuitate liberati, raso capite & pileati, deinde equites laureati. Illud etiam lectorem ne fugiat, arma victorum fuisse in triumpho laureata, & qui triumphabat, ex lauro coronam, cùm peruenisset in Capitolium, post sacrificia ponebat in Iouis gremio. Primi triumphi fuere currus, clypei, arma horrida, & spolia perfusa sanguine. Bello Punico secundo, M. Marcellus deuictis Syracusis ostendit opes, & signa intulit, & deorum simulacra: in quo reprehensus à Q. Fab. Max. quòd relinquere debuisset Deos suis iratos, vt ipse priùs fecerat de Tarentinis. Verùm inualuit consuetudo Marcelli. Nam lōgè antea captis Veiis, M. Furius Camillus Veientanam Iunonem intulit vrbi. *Pompon. Laius.*

De Triumpho & Ouatione.

OPeræpretium est cognoscere hoc in loco quid sit triumphus, quid ouatio, & vnde sint factæ voces, non solum chorographia, sed etiam interpretatione verborum, historia ornatur. Licet primùm simplex fuerit narratio, & nuda, tamen non caruere laudibus qui exornauerunt. Triumphum primus mortalium post Indicam victoriam ostendit Bacchus, nomenq; ab re inditum est. milites eius foliis ficorum, quæ θρῖα dicuntur, vultus cooperuerunt, iambos & scommata canentes, quæ sunt licentiosè dicta, mixta salibus, in eum qui triumphat. Pòst vero milites vsi fuere rythmis. Scribunt alij triumphum dictum ἐκ τῶν τριῶν, hoc est, tribus velut ordinibus, senatorio, populari & militum, ab quibus celebris est triumphus. Cognomentum Baccho triumphanti inditum M. Varro tradidit. Vnde clamabant omnes, Io Triambe Bacche Io. Nos cōuertimus in triumphum. & Ro. milites dicebant, Io triumphe, Io triumphe. Tradunt & scenicos, priusquam ora fecibus tegerent, foliis ficorum vsos fuisse. Triumphus verò non idem valet quod ouatio. Domitis multa cæde hostibus habebatur triumphus, & boues cornibus auratis mactabantur, & bos ipse qui mactabatur in triumpho, triambos etiam dictus. Cum vero hostes sine pugna & sanguine cum ducibus nostris conuenissent, quoniam res peracta sine cæde esset, ouatio erat. Pedes ingrediebatur vrbem, qui sic vicisset, sine ferculorum pompa, myrto coronatus, vnà cum militibus: quia ea arbor di-

cata Veneri, quiescere ab armis ostendit. Tibicines ouantem præcedebant, quæ paciferæ choreæ instrumenta sunt. In sacris mactabantur oues, vnde ouationis nomẽ. Modò de triumpho centuriæ decernebant, & comitia erant centuriata, modò senatus. Primus Romanorum qui quadrigis vrbẽ inuectus est, fuisse Priscus Tarquinius memoratur. Sunt qui malint P. Valeriũ Publicolã. Prima ouatio data est P. Posthumio Tuberio, qui fuit collega Menenij Agrippæ Lanati, & huic triumphus datus. Ille primùm cõtra Sabinos re malè gesta liberatus est ab Agrippa, in altero prælio causa victoriæ fuit. Ita cùm ambobus honos haberetur, senatus huius laudis decus excogitauit, vt nõ sella curuli, sed pedes cum exercitu exciperetur. Verũ sanguis in ea victoria, & nostrorum & hostium effusus est. Pòst verò ouationem his dedere qui conuentione vicissent. In triumpho clangor tubarum, in ouatione cõcentus tibiarum: ille Martis, hic Veneris est. Illud etiam huic loco addẽdum puto, quòd Romani profecturi ad bellum, Nemesi sacrificabant, & munus gladiatorium edebant, quod non sine ratione factum arbitramur. *Pompon. Lætus.*

De Nemesi Dea.

Virgo & victrix Nemesis numen fuit, quo qui ex malefactis delinquebant, puniebantur. Vnde Victores Nemesim non frustra inuocabant. Romani enim semper iusta mouere arma. Cæteræ nationes odio, & maleuolentia, liuoreq́; quòd imperium tantæ vrbis iustitia augeretur, tela in populum Rom. capiebant. Nemesis, quam pleriq; existimauere esse vim for-

tunæ, alij filiam iustitiæ, alij vim quandam esse inter cœlestes discurrentem, prima rerũ semina, quæ fatorum, & sortium vires temperat atq; emendat, rebus humanis trutinã adhibẽs, è cœloq; terrena despectans, nocentes punit, bonis præmia largitur. & cùm sit velocissima, quia diu nõ permittit impios præesse, atq; grassari, alata fingitur à veteribus, & eius pedibus supponitur rota, cùm citissimẽ discurrat. Sed tandem multitudine scelerum indignata, oculos iamdiu ab rebus humanis auertit: & cum genitrice in remotiore parte cœli, vltra terrarum regiones nõ reditura renascẽtem vrbem expectat. Rhamnusia est appellata ab Rhamnunte oppido Atticæ regionis, vbi templum & simulacrum habuit: & ab Adrasto Adrastia. Roma templum huic deæ posuit in Capitolio, vt inde suam vrbem posset vlcisci: Ludos verò gladiatorũ, vt effusione sanguinis nõ expauescerent. Quidam tradũt hac specie pugnarum velut deuotionem fecisse pro futura victoria. Triumphauerunt autem victoriosi, & felices Augusti anno imperij XVIII. Post tantam felicitatem, cùm haberetur gloriosissimus principum Diocletianus, secum sæpe numero contemplans fortunæ mobilitatem, decreuit imperio se abdicare, & in priuatam secedere vitam. Gestorum Pompeij admonitus veteranus princeps, cùm quisq; de rebus futuris ambiguus sit, non expectauit incertæ vicissitudinis aleam. Rarò enim permanent vsque ad exitum successus. etsi in primo Augusto fuisse videãtur, tamẽ & acceptæ in Germania clades, & domesticæ libidines, hominis felicitatẽ turbauere: & (quod minus fieri debuerat) Liuia

vxor venenatas porrexit ficos, vt cunctantem in sene animam citiùs educeret. Scribunt quidam duces post triumphum solitos se otio dare, & laudibus efferunt M. Catonem, postquam de Hispania triumphauit, non quieuisse, sed foro & publicis negotiis incubuisse. Quod si in Diocletiano quis obiiceret, lõge aberraret. Neque enim honor triumphi, neq; ætas imbellis, sed metus rerum humanarum, quæ aut rarissimè aut nunquam consistunt, imperium deponere suasit. Eius etiam consilio ferum & asperum ingenium Maximiani, qui solebat in omnibus collegæ non repugnare, acquieuit. Igitur eodem die (nam ita conuenerant) Iouius Nicomediæ, Herculius Mediolani rem monimentis Romanorum incognitam, & nepotibus nõ minus dignam memoratu, quàm admirabilem peregerunt. In quo Iouij animus veram philosophiam est imitatus, affirmans tunc illuxisse diem & habuisse vitæ principiũ, quòd magnis molestiis esset liberatus. Philosophi asserunt, dominatum appetere non est sapientis hominis, & id cogitasse Augustum scribunt, sed vetitum ab amicissimis. Et M. Aurelius imperium molestias vocabat. Tamen ambo se excusant & rem laudabilem ab amicis impeditam dicunt. Verùm ille sibi vixisse testari potest, qui priuatus sine rerum publicarũ cura, & studioso otio & rei rusticæ felicissimè indulsit. Stimulis collegæ vt imperium vna repeterent contradixit, disseruitq; se peste liberatum, nolle amplius venena imbibere, satis se pro republica elaborasse, & tempus appetiisse vt sibi viuat: & vixisse non posse testari, nisi postquam in patria sua,

hoc est,

hoc eſt, Salonis, holera ſeuiſſet. Cùm ille res anguſtas pro ea dignitate, quę præceſſerat, obiiceret, reſpondit non eſſe turpe homini, qui ſummum bonum in animo poſuerit, honeſtã profiteri paupertatem exemplóq; veterum, & præſertim C. Fabricij caſtam opinionem confirmabat. Vocatus ab Conſtantino atque Licinio, excuſauit per literas ſenectuti minimè licere. Cumq; illi ægrè tuliſſent, reſcripſerunt ſe non admittere excuſationem, quòd fauiſſet Maxentio ac Maximiano. Trebellius Pollio meminit, Diocletianum dicere ſolitum, cùm in priuata eſſet vita, nihil eſſe difficilius, quàm bene imperare. Nam quiſq; pro voto de principe loquitur. Adhæc, principem cubiculo cluſum vera minimè noſcere, aures ſuis præbere, & horum verbis accendi ac ſedari, magiſtratus creare: deniq; ſit, qui imperat, bonus, ſit cautus, ſit optimus, omnino venditur ab aulicis ac decipitur. Et interrogatus quæ eſſet potiſſima in principe dos, reſpondit, liberalitas & clemẽtia. Hæc cùm Aureliano defuiſſet, aſſerebat ducem eſſe debuiſſe, non principem: aſperitatemq; collegæ imperator ſæpe deteſtatus. In eoq; ſummopere ſtuduit, vt liberalitatis & clementiæ nomen aſſequeretur. Vnde vt mihi videtur, Iouius appellatus. Nam qui iuuat, largitur ac parcit. Ius verò ab quo clementia abeſt, crucem veteres appellauere. Vixit Diocletianus annis duodeoctoginta, imperauit an. XX. Manſit priuatus Salonis an. X. Scribunt quidam ſtupore mentis, & longa ægritudine confectum, animam inter ſuſpiria efflaſſe, quidam hauſto veneno interiiſſe, quidam decreto ſenatus perfracta gula occu-

buiſſe. Id ego exiſtimo de Herculio accipiendũ eſſe, non de Iouio. Quoniam cum pœnituiſſet Herculium aſſenſiſſe collegæ, & inde animum hominis non flexiſſe, contulit ſe ad vrbem, ſimulans filio ad gubernacula auxilio fore, milites indignati ſunt, quod ea tentaret, ſtatimque ſubiunxit, ſe hoc figmento voluiſſe experiri an milites Maxentium amarent, vnde tumũltum ſuppreſſit. Inde profectus eſt ad Conſtantinum generum ſuum ex Fauſta; quæ in Galliis erat, & clanculum quærebat genero inſidias. Res aperta eſt viro per vxorem quæ patri maritum prætulit. Itaq; iuſſu generi captus Maſſiliæ, ſtrangulatusq; eſt. Hũc finem meruit Maximianus Seuerus, aſper & immitis: qui vbi collegæ obtẽperauit, priuatum viuendi ſtatum ſequi debuit. Diocletianus, qui ab tanto rerum culmine ſeceſſerat, nullius cõſilio adduci potuit vt pœniteret. Igitur priuatus cùm eſſet, poſt mortẽ inter diuos relatus eſt. Thermæ eius nomine Romæ ſunt cõſecratæ, & Maximiani Herculij Carthagini. Thermæ nominis Diocletiani inchoatę fuerunt à veteribus principibus, & conſecratæ ab nouis Auguſtis Conſtãtio & Maximiano. Diocletianus igitur inchoatum opus abſoluerat omni cultu perfectum. Secuti principes poſuere ibi ſtatuas, & ſeniorum & nouorum imperatorum, quorum capita integra & fragmenta reliqua corporũ erui ex ſubterranea teſtudine, velut ibi poſt ruinas thermarum conſeruata, vidimus: & partim in Capitolium delata, partim Florẽtiam miſſa. Conſtantius & Maximianus inuicti Auguſti. Seuerus & Maximinus Cęſares thermas ornauerunt, & Romanis ſuis dedicaue-

dicauerunt. Sitne in nominibus ambiguitas diximus. Hęc didicimus ex fractis marmoribus ibi effossis, in quibus & tituli victoriarum Maximiani Herculij in hęc verba: M. Aur. Val. Maximiano inuicto Aug. pont. max. Sarmatic. Max. Gothic. max. imp. VIII. COS. III. P.P. proconsuli.

Et item Viennæ Allobrogum sic:

D. D.N.N. Imp. Cæs. C. Aurel. Valerius Diocletianus P.P. inuict. Aug. muris Gualonensibus ædificiis prouidentia sua instituit. Tis atq; erectis portam Viennensium Herculiam vocari iusserunt.

Et in fronte alterius portæ vrbis idem epigramma in fine sic:

PORtam Romanam Iouiam vocari iusserunt. Nam Diocletianus Iouius est dictus, & Maximianus Herculius. Iouius & Herculius ab Gallis adeo dilecti, vt ab eis duo populi nomina sumpserint, Iouiorũ & Herculiorũ, & Viennenses duas vrbis portas Iouiam & Herculiam appellauere, vt epigrammata docẽt. Porrò Diocletianus aurei seculi parens, & Maximianus ferrei existimatus. *Pompon. Lætus.*


SVbeat forsitan admiratio multos hac nostra principum relatione, quòd paucissimos Quiritij sanguinis, omnes ferè externos, & pudendæ quosdam etiam originis, non tamẽ pœnitendos recẽseam. Sic hactenus Decium Panoniæ, Aurelianum Daciæ, Claudium Dardani, Probum Dalmatæ, Carum etiã Galliæ sibi vendicant. Qui quòd eadem Dalmatia alterum etiam nobis imputet, omnibus æquandum principibus, si à piorum sanguine abstinuisset, Diocletianum? Is enim Salonis ortus, libertini

etiam ſanguinis, cùm molem imperij grauiore animaduerteret, quā vt vnus eſſe vniuerſæ par poſſet, Maximianum Auguſtum creat, amboq; duo ſibi Cæſares, Galerium Armentarium cognomine, & Conſtantium Conſtantini Magni patrem dicunt. Diocletianus igitur quando per partes rem tutiùs confici poſſe ratus eſt, Maximianum Galliis præficit: coq; confecto bello, in Africam aduerſus quinquagenarios tranſire iubet. vtrobiq; ſedati tumultus. Africanus certè aliquanto difficiliùs, quòd quinquagenarij, & ſupra eum annorum numerū veteranus miles ad obſequium tam facilè redigi non poterat. Interim Ægyptum Diocletianus inuadit, Achilleum incubatorem imperij Alexandriæ per menſes aliquot obſeſſum, & in poteſtatem redactum feris lacerandum obiicit: potentiſſimus quiſque cædibus, ac proſcriptione petiti. Interim aduerſus Narſeum Perſarum regem Galerius infeliciter primò, mox reparatis copiis, ira etiam animos illi faciēte, quòd ad Diocletiani carpentum poſt cladem acceptam per mille paſſus pedes currere coactus eſt, egregiè vicit Narſeo fugato, & cæſis magna ex parte Perſis, pellicibusque cum gaza omni regia captis. Hęc victoria Galerij virtute & audacia parta, qui exploratis priùs hoſtium caſtris, noctu cùm *XX.* millibus equitum Perſas aggreſſus, dedecus acceptum hoſti rependit. Diuerſa etiā parte Conſtantius ab Alemannis improuiſo inſultu primùm victus, & eodem die mox victor. LX. eorum millia cæcidit: ea clade Germaniæ attritæ, Galliæ liberatæ. ſicq; pacato orbe poſt annorum imperium XX. Diocletianus

Nicome-

Nicomediç, Maximianus Mediolani imperium eodem die depoſuere. Rem miram, & ad hanc ætatem incognitam, vt ſponte nec prægrauante ſaltem ſenecta, vel rerum mole, vterq; in ordinem ſe redegerit. Diocletianus certe conſtantius in propoſito manſit. Nam per decem años quot priuatus Salonis ſuperfuit, hortorũ amœnitati vacans, iterum ad imperium ſolicitatus, à priuata vita abduci non potuit, teſtatus nullos ſibi vnquam ſoles lętiores affulſiſſe. Obiit autẽ duodeoctoginta natus annos, vel alienatione mentis, vel veneno hauſto, veritus Licinium ac Conſtantium, qui illum tãquam Maxentij fautorem grauiter increpuerant. Sed & Maximianus dum Conſtantio genero inſidias parat, imperium affectans, Maſſiliæ captus, Conſtantij iuſſu necatur. *Egnatius.*

CONSTANTIVS ET GALERIVS.



Is igitur abeuntibus, ad adminiſtrationẽ Reip. CONSTANTIVS & GALERIVS Augusti creati ſunt; diuiſusq; inter eos Romanus orbis: vt Galliam, Italiam, Africam Conſtantius; Illyricum, Aſiã, Orientem Galerius obtineret; ſumptis duobus Cæſaribus. Conſtantius tamen, contentus dignitate Auguſti, Italiæ atq; Africæ adminiſtrãdæ ſollicitudinẽ recuſauit: vir egregius, & præſtantiſſimæ ciuilitatis; diuitiis prouincialium ac priuatorum ſtudens, fiſci commoda non admodum affectans; ducensq; melius, publicas

exornaret. Nam & ipse paucis contentus, ab fictilibus nō abhorrebat. Tāta modestia vixit, vt facilem & amabilem se cunctis præberet. Vnde plurimum diligebatur. Eoq; regnante in Hispaniis, Galliis, & alpibus, nulli motus fuere, & hostes populi Romani ab armis cessauere. In hac placida quiete ex Theodora liberos suscepit, Constantinū Anaballianum, & Constantiū ac Constantiā. XI. anno ex quo Cæsar est factus, occubuit, morbo absumptus Eboraci (sic est oppidi nomē in Britannia) & inter diuos relatus. Galerius, postquam Constantius Italiam & Africam reliquit, adoptauit duos, Seuerū & Maximianū. Illum præfecit Italiæ & Africæ, hunc Orienti. Romæ autem prætoriani imperatorem fecere Maxentium, nō abnuente senatu. qui nō vt Augustus, sed vt tyrānus imperauit, prętorianis eum ad hanc sęuitiā impellentibus. Aberat ab vrbe Seuerus cùm prætoriani Maxentium creauerunt: ad vrbem citò rediit. Sed Maxentij vires (incredibile dictu) statim creuerant. Seuerus impar aufugit: & cùm Maximianū peteret, qui in Illyriis erat, Rauēnæ captus, cæsusq; est. Ab cuius cæde Maxentius gloria elatus, ciues Ro. libidinib. primū, inde cædib. vexare cœpit: hinc odio haberi cœptus est Maximianus cùm accepisset de morte Seueri, consortem imperij legit Licinium Dacia oriundū, qui genus suum ad Philippum Augustum referebat. Qua de re in monimentis publicis illius nomen adoptauit, dictusque est Marcus Iulius Licinius Licinianus: quoniam proauus, vt ipse dicebat, fuit Marcus Iulius Philippus. Licinij virtus in re militari bello Persico contra Narsen Maxi-

miano cognita ante fuerat. Hic Licinius fuit, qui ſubuertit in Perſide tumulum Gordiani, quòd titulus videbatur progenitoribus ſuis iniuriam facere. Multa tamen præclara geſſit. & priuatus & Auguſtus. Maximianus relicto in Illyriis Licinio, Romam ꝓficiſcitur pugnaturus contra Maxentium In itinere cùm acciperet de futura militum defectione, qui ita conuenerāt, ſi cum Maxentio conflixiſſet, Illyriam rediit, & iam pœnitebat legiſſe Licinium. Incidit poſtea in morbum; vlcus inguinibus innatum virilia exedit. Marceſcente tota illa corporis parte, vermes pullularunt, remedia deerant, medici deſperauere: & ſi erant qui noua tentaſſent, admouere manus non audebant, metuentes ne à ſæuiſſimo principe occiderentur. In hoc cruciatu cùm eſſet, ſuſpicatus eſt ob ſæuitiā in Chriſtianos id perpeti. Vnde reuocauit decreta & ſuperinduxit, illos accerſiri iubēs, vt pro ſalute principis orarēt. Sed pro truculento & ſanguinolento homine preces non valuere: ſi enim conualuiſſet, rediiſſet ad ſolitam crudelitatem: itaq; ex eo morbo periit, homo gloria rei militaris illuſtris, verum ſæuitia in Chriſtianos crudelis. Vnde fœdum exitium habuiſſe creditus eſt. Regnauit ſolus annis II. cum Cæſaribus & imperij conſorte annis XVI. Aduerſus Licinium Maximianus in Oriente res nouas molitus, oppreſſus eſt: & ne viuus caperetur, ſe ſtrāgulauit Tarſi. Imperauit annis VII. Et is contra Chriſtianos toto Oriente, ſi non truculentior, tamen non inferior Maximino fuit. Interea bona pars nobilium Romanorum per clandeſtinos nuntios Conſtantinum, qui in Galliis impera-

imperabat, exorant, vti vrbem Romam, imperij caput, tyrannide liberet, qui sæpiùs accersitus, tandem cessit precibus, & vix quarta parte exercitus Italiam petiit. Maxentius asperitate similis Maximiano patri, sæuitia Domitiano & Commodo, plerosq; claros viros occidit, bona accepit. Noua vectigalia inuenit, in occidendo & omni via exigendo pecunias inexorabilis factus. Huic etiam mulieribus stuprandis cupido inextinguibilis. Captus amore nobilissimæ & castissimæ fœminæ, misit ad eam ministros libidinum, quos solos aulicos habere consueuerat, quibus cum de Republica consultabat. Vir puellæ metu mortis abduci non vetabat vxorem. Illa quæ Christiana erat, petiit se ornandi tempus, & impetrauit: ingressa cubiculum sibi manus iniecit. Illi cùm torquerētur mora, irrumpunt, & rem vti euenerat, ad principem referunt. Quo exemplo plures appetere non est deterritus, sed magis accensus. Accepto nuncio de copiis Constantini, quæ Italiæ fines tenebant, exercitum educit. Quintus erat annus Imperij Constantini, qui multis prœliis Maxentij conatus plerisq; in locis, præsertim in foro Iulij, fudit. Postremò coacto exercitu intra mœnia vrbis se continuit Maxētius, & cùm nihil vnquam gesserit nisi responsis mulierculorum, consuluit magam de belli exitu. Illa omnia prospera vaticinabatur, admonens, vt cæsis infantibus, priùs aduersa numina placaret. Ad hoc diem & horam dedit, quando educturus esset exercitum, & manus conserturus. Qui sacris peractis rem pro magæ consilio egit, victus tamen est ad montem Miluium ma

gna ſtrage. Ipſe ſeu fugiens, ſeu numinibus magicæ vanitatis actus, in Tiberim vnà cum equo inſiluit, ſubmerſusque eſt & nuſquam inuentus. Cacodæmones corpus animamq; ad perpetuos cruciatus retulere. Scribunt alij conantem euadere gurgite fluminis hauſtum, & imis retentum arenis ac limo. Sunt qui referunt Tiberinum patrem, indignatum deuoraſſe, & ſtatim euomuiſſe, & caput reciſum, adhuc ſæuitiam ac libidinem præ ſe ferens, ſpectaculo fuiſſe ante currum victoris. Hunc exitum Maxentius meruit, magicis artibus, quàm imperio aptior. Sæuus in cæteros, ſibi non pepercit. Quicunque magos conſulunt, & vaticinia aut auſpicia rebus gerendis quærunt, ſemper ſunt anxij, & nunquam, inter metum & ſpem auidi futurorum, quieſcunt. Si illi proſpera nunciant, inani & vana ſpe iam tum lætari incipiunt: ſin contrà, repente triſtitia affecti torpeſcunt. Heu miſeros mortalis imbecillitas ingenij & mens ſtupida huc illuc diſtrahit ac ſuſpendit. Inſana ſanè ſunt documenta, quæ noſtra credulitas excogitauit, vt acriùs torqueremur. Vtinam faceſſeret à mentibus hominum tale figmẽtum, quod eſſe falſum & nullius momenti etiã maiores noſtri tradiderunt. Maxentius filiúſne Maximiani, an ſuppoſitus vxori ſimulanti partum, vt charior eſſet marito prolem cupienti, ad nos qui tam remoti ab illo ſeculo ſumus, differere non pertinet. Verùm & hæc ſunt prætorianorum militum ſemina, rapere, ſtuprare, necare, incendere: ſatis edocti, quorum ſcelera indomita abhorrendam fecerant conſuetudinem. Stipatores & cuſtodes principum,

pum, ipſos principes ad omne genus ſæuitiæ armabant. Hi primùm venale imperium propoſuerunt. Quid iis ducibus auſa non eſt inſania Commodi Antonini? quid turpe atque crudele non excogitabat præfectus prætorio, etiam de capite principis decernens? Horum iudicio Ælius Pertinax vir bonus, & Reipublicæ vtilis, cæſus eſt. Quid dicam de Balbino & Pupieno, quorum armis fluctuans Reſpublica conſtiterat? O Romule parens vrbis, quid te profecturum credidiſti, cùm auſpicato hos celeres primus legiſti? Malè auſpicatus es, eos conſtituiſſe, qui opus tuum perdituri eſſent. Sed querimoniæ in alia tempora differantur. *Pompon. Lætus.*

SVcceſſere Diocletiano Iouio & Maximiniano Herculio cognominibus, duo ab his antea dicti Cæſares, *Conſtantius* videlicet *Chlorus*, quaſi virentem à colore dicas, & *Galerius Maximinus*. Sunt qui ex veteribus monimentis, Maximianum magis probent. Sed quocunque cognomine hic fuerit, diuerſo quod conſtat, ingenio vixêre. Conſtantius benignus ac facilis atque ad promerendam Gallorum gratiam, quibus præerat, propenſior, nec à vera pietate abhorrens: Galerius trux, ac propè immanis, vt qui rus, vnde venerat, oleret, noſtriq; ſanguinis appetentiſſimus. Sed cùm vndecim annos Conſtãtius Gallias & Hiſpanias in ſummo otio tenuiſſet (nam Africam Italiamq; ſub imperij initia ſpõte dimiſerat, ratus id grauioris eſſe oneris, quàm vt ab vno ſuſtineri poſſet) Eboraci deceſſit, moderati principis fama & Conſtantino filio ſucceſſore felix. *Egnatius.*

GAlerius imperium adeptus, molem & ipse secum rei reputans, duos sibi ascifcit Cæsares, Seuerum & Maximinianum iuniorem, illū Italiæ, hunc Africæ & Orienti præficit: ipse Illyricum sibi medius adscifcit. Verùm non multò post genitalibus putrescentibus, vitæ tædio vim sibi gladio intulit. *Egnatius.*

De Seuero & Maximino Impp.

SEuerum haud multò pòst Maxentij factio Romæ intra tabernas opprimit, & Maxentium Herculij tyrannici virū spiritus sibi præficit: aduersus quē dum Maximinianus festinat, militum suorum defectionem veritus, retrò in Illyricum contendit, vbi vlcere inguinibus innato, cùm deessent remedia, nec medici ob hominis immanitatem opem ferre auderent, vermibus vndiq; erumpentibus obiit, Christiani sanguinis vsq; ad insaniam pridem effusi incassum pœnitēs. Vir belli pacisq; artibus insignis, nisi crudelitate nimia in nos tātas virtutes fœdasset. Solus annos duos cum Cæsaribus, & Licinio imperij consorte sedecim præfuit. *Egnat.*

CONSTANTINVS.



ONSTANTINVS rerū dominus extremo vitæ suæ tempore expeditionē parauit in Persas: toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis gloriosior victoriâ, cunctis in Persas descendebat agminibus. Sub cuius aduentu Babyloniæ in tantum regna trepidarunt, vt supplex eorum legatio occurreret, Persasq; facturos imperata promitteret.

teret. Nec tamen pro assiduis eruptionibus, quas sub Constantio Cæsare tentauerant, veniam meruerunt. *Sextus Rufus.*

GAlerius, vir & probè moratus, & egregius in re militari, cùm Italiam quoq;, sinente Constantio, administrationi suæ accessisse sentiret, Cæsares duos creauit. Verùm Constantio mortuo, *Constantinus*, ex obscuriori matrimonio eius filius, in Britannia creatus est Imperator, & in locum patris exoptatissimus moderator accessit. Romæ interea prætoriani, excitato tumultu, *Maxentium* Herculij filium, qui haud procul ab vrbe in via publica morabatur, Augustum nuncupauerunt. quo nuncio Maximianus Herculius ad spem erectus resumendi fastigij, quod inuitus amiserat, Romam aduolauit è Lucania, quam sedem priuatus elegerat, in agris amœnissimis consenescens: Diocletianumq; etiam per literas adhortatus est, vt depositam resumeret potestatem: quas ille irritas habuit. sed aduersùm motum prætorianorum atq; Maxentij, *Seuerus* Cæsar Romam missus à Galerio, cum exercitu venit: obsidensque vrbem, militum suorum scelere desertus est; auctę Maxentio opes confirmatumq; imperium. Seuerus fugiens, Rauennæ interfectus est. Herculius tamen Maximianus, post hæc in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, seditionem & conuicia militum tulit. Inde ad Gallias profectus est; dolo composito, tanquam à filio esset expulsus; vt Constantino genero iungeretur: moliens tamen Constantinum reperta occasione interficere, qui in Galliis, & militum & prouincialium ingenti iam

fauore regnabat, cæsis Francis, atque Alamannis, captisque eorum regibus: quos etiam bestiis, cùm magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit. Detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quæ dolum viro enunciauerat, profugit Herculius Massiliam; ibique oppressus, (ex ea etenim nauigare ad filium præparabat) pœnas dedit iustissimo exitu; vir ad omnem asperitatem sæuitiamq; procliuus, infidus, incommodus, ciuilitatis penitus expers.

Per hoc tempus *Licinius* à Galerio Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod aduersus Narseum gesserat, strenuis laboribus & officiis acceptus: mors Galerij confestim secuta est. Respubl. tum ab his quatuor Imperatoribus tenebatur, Constantino & Maxentio, filiis Augustorum; Licinio & Maximino, nouis hominibus. Quinto tamen Constantinus imperij sui anno, bellum aduersum Maxentium ciuile commouit, copias eius multis præliis fudit: ipsum postremò Romæ aduersus nobiles omnibus exitiis sæuientem, apud pontem Miluium vicit, Italiaq; est potitus. Non multò pòst deinceps in Oriente quoque aduersus Licinium *Maximinus* res nouas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum morte præuenit.

Constantinus tamen, vir ingens, & omnia efficere nitens quæ animo præparasset, simul principatus totius orbis affectans, Licinio bellum intulit; quamuis necessitudo illi & affinitas cum eo esset: nam soror eius Constantia, nupta Licinio erat, ac primò cum in Pannonia,

nia, ſecundò ingenti apparatu bellum apud Cibalas inſtruentem, repentinus oppreſſit: omniq́ue Dardania, Mœſia, Macedonia potitus, numeroſas prouincias occupauit. Varia deinceps inter eos bella, & pax reconciliata ruptaque eſt. Poſtremò Licinius nauali & terreſtri prælio victus apud Nicomediam, ſe dedidit, & contra religionem ſacramenti Theſſalonicæ priuatus occiſus eſt. Eo tempore res Romana ſub vno Auguſto & tribus Cæſaribus (quod nunquam aliàs) fuit; cùm liberi Conſtantini Galliæ, Orienti, Italiæq́; præeſſent. Verùm inſolentia rerum ſecundarum aliquantum Conſtantinum ex illa fauorabili animi docilitate mutauit. Primùm neceſſitudines perſecutus, egregium virum, & ſororis filium, commodæ indolis iuuenem interfecit; mox vxorem; pòſt numeroſos amicos. Vir primo imperij tempore optimis principibus, vltimo mediis comparandus. Innumeræ in eo animi corporisq́; virtutes claruerunt. militaris gloriæ appetentiſſimus; fortuna in bellis proſpera fuit; verùm ita, vt nõ ſuperaret induſtriam. Nam etiam Gothos poſt ciuile bellum variè profligauit, pace his ad poſtremum data; ingentemq́; apud barbaras gentes memoriam gratiæ collocauit. Ciuilibus artibus, & liberalibus ſtudiis deditus: affectator iuſti amoris, quem omnino ſibi & liberalitate & docilitate quæſiuit. ſicut in nõnullos amicos dubi⁹, ita in reliquos egregius: nihil occaſionum prætermittens, quò opulentiores eos clarioresq́; præſtaret. Multas leges rogauit; quaſdam ex bono & æquo, pleraſque ſuperfluas, nonnullas ſeueras. primusq́; vrbem

cata Veneri, quiescere ab armis ostendit. Tibicines ouantem præcedebant, quæ paciferæ choreæ instrumenta sunt. In sacris mactabantur oues, vnde ouationis nomẽ. Modò de triumpho centuriæ decernebant, & comitia erant centuriata, modò senatus. Primus Romanorum qui quadrigis vrbẽ inuectus est, fuisse Priscus Tarquinius memoratur. Sunt qui malint P. Valeriũ Publicolã. Prima ouatio data est P. Posthumio Tuberio, qui fuit collega Menenij Agrippæ Lanati, & huic triumphus datus. Ille primùm cõtra Sabinos re malè gesta liberatus est ab Agrippa, in altero prælio causa victoriæ fuit. Ita cùm ambobus honos haberetur, senatus huius laudis decus excogitauit, vt nõ sella curuli, sed pedes cum exercitu exciperetur. Verũ sanguis in ea victoria, & nostrorum & hostium effusus est. Pòst verò ouationem his dedere qui conuentione vicissent. In triumpho clangor tubarum, in ouatione cõcentus tibiarum: ille Martis, hic Veneris est. Illud etiam huic loco addẽdum puto, quòd Romani profecturi ad bellum, Nemesi sacrificabant, & munus gladiatorium edebant, quod non sine ratione factum arbitramur. *Pompon. Lætus.*

De Nemesi Dea.

VIrgo & victrix Nemesis numen fuit, quo qui ex malefactis delinquebant, puniebantur. Vnde Victores Nemesim non frustra inuocabant. Romani enim semper iusta mouere arma. Cæteræ nationes odio, & maleuolentia, liuoreq;, quòd imperium tantæ vrbis iustitia augeretur, tela in populum Rom. capiebant. Nemesis, quam pleriq; existimauere esse vim for-

tunæ, alij filiam iustitiæ, alij vim quandam esse inter cœlestes discurrētem, prima rerū semina, quæ fatorum, & sortium vires temperat atq; emendat, rebus humanis trutinā adhibēs, è cœloq; terrena despectans, nocentes punit, bonis præmia largitur. & cùm sit velocissima, quia diu nō permittit impios præesse, atq; grassari, alata fingitur à veteribus, & eius pedibus supponitur rota, cùm citissimē discurrat. Sed tandem multitudine scelerum indignata, oculos iamdiu ab rebus humanis auertit: & cum genitrice in remotiore parte cœli, vltra terrarum regiones nō reditura renascētem vrbem expectat. Rhamnusia est appellata ab Rhamnunte oppido Atticæ regionis, vbi templum & simulacrum habuit: & ab Adrasto Adrastia. Roma templum huic deæ posuit in Capitolio, vt inde suam vrbem posset vlcisci: Ludos verò gladiatorū, vt effusione sanguinis nō expauescerent. Quidam tradūt hac specie pugnarum velut deuotionem fecisse pro futura victoria. Triumphauerunt autem victoriosi, & felices Augusti anno imperij XVIII. Post tantam felicitatem, cùm haberetur gloriosissimus principum Diocletianus, secum sæpe numero contemplans fortunæ mobilitatem, decreuit imperio se abdicare, & in priuatam secedere vitam. Gestorum Pompeij admonitus veteranus princeps, cùm quisq; de rebus futuris ambiguus sit, non expectauit incertæ vicissitudinis aleam. Rarò enim permanent vsque ad exitum successus. etsi in primo Augusto fuisse videātur, tamē & acceptæ in Germania clades, & domesticæ libīdines, hominis felicitatē turbauere: & (quod minus fieri debuerat) Liuia

vxor venenatas porrexit ficos, vt cunctantem in sene animam citiùs educeret. Scribunt quidam duces post triumphum solitos se otio dare, & laudibus efferunt M. Catonem, postquam de Hispania triumphauit, non quieuisse, sed foro & publicis negotiis incubuisse. Quod si in Diocletiano quis obiiceret, lõge aberraret. Neque enim honor triumphi, neq; ætas imbellis, sed metus rerum humanarum, quæ aut rarissimè aut nunquam consistunt, imperium deponere suasit. Eius etiam consilio ferum & asperum ingenium Maximiani, qui solebat in omnibus collegæ non repugnare, acquieuit. Igitur eodem die (nam ita conuenerant) Iouius Nicomediç, Herculius Mediolani rem monimentis Romanorum incognitam, & nepotibus nõ minus dignam memoratu, quàm admirabilem peregerunt. In quo Iouij animus veram philosophiam est imitatus, affirmans tunc illuxisse diem & habuisse vitæ principiũ, quòd magnis molestiis esset liberatus. Philosophi asserunt, dominatum appetere non est sapientis hominis, & id cogitasse Augustum scribunt, sed vetitum ab amicissimis. Et M. Aurelius imperium molestias vocabat. Tamen ambo se excusant & rem laudabilem ab amicis impeditam dicunt. Verùm ille sibi vixisse testari potest, qui priuatus sine rerum publicarũ cura, & studioso otio & rei rusticæ felicissimè indulsit. Stimulis collegæ vt imperium vna repeterent contradixit, disseruitq; se peste liberatum, nolle amplius venena imbibere, satis se pro republica elaborasse, & tempus appetiisse vt sibi viuat: & vixisse non posse testari, nisi postquam in patria sua,
hoc est,

hoc est, Salonis, holera seuisset. Cùm ille res angustas pro ea dignitate, quę præcesserat, obiiceret, respondit non esse turpe homini, qui summum bonum in animo posuerit, honestā profiteri paupertatem exemploq; veterum, & præsertim C. Fabricij castam opinionem confirmabat. Vocatus ab Constantino atque Licinio, excusauit per literas senectuti minimè licere. Cumq; illi ægrè tulissent, rescripserunt se non admittere excusationem, quòd fauisset Maxentio ac Maximiano. Trebellius Pollio meminit, Diocletianum dicere solitum, cùm in priuata esset vita, nihil esse difficilius, quàm bene imperare. Nam quisq; pro voto de principe loquitur. Adhæc, principem cubiculo clusum vera minimè noscere, aures suis præbere, & horum verbis accendi ac sedari, magistratus creare: deniq; sit, qui imperat, bon⁹, sit cautus, sit optimus, omnino venditur ab aulicis ac decipitur. Et interrogatus quæ esset potissima in principe dos, respondit, liberalitas & clemētia. Hæc cùm Aureliano defuisset, asserebat ducem esse debuisse, non principem: asperitatemq; collegæ imperator sæpe detestatus. In eoq; summopere studuit, vt liberalitatis & clementiæ nomen assequeretur. Vnde vt mihi videtur, Iouius appellatus. Nam qui iuuat, largitur ac parcit. Ius verò ab quo clementia abest, crucem veteres appellauere. Vixit Diocletianus annis duodeoctoginta, imperauit an. XX. Mansit priuatus Salonis an. X. Scribunt quidam stupore mentis, & longa ægritudine confectum, animam inter suspiria efflasse, quidam hausto veneno interiisse, quidam decreto senatus perfracta gula occu-

buiſſe. Id ego exiſtimo de Herculio accipiendũ eſſe, non de Iouio. Quoniam cum pœnituiſſet Herculium aſſenſiſſe collegæ, & inde animum hominis non flexiſſe, contulit ſe ad vrbem, ſimulans filio ad gubernacula auxilio fore, milites indignati ſunt, quod ea tentaret, ſtatimque ſubiunxit, ſe hoc figmento voluiſſe experiri an milites Maxentium amarent, vnde tumũltum ſuppreſſit. Inde profectus eſt ad Conſtantinum generum ſuum ex Fauſta, quæ in Galliis erat, & clanculum quærebat genero inſidias. Res aperta eſt viro per vxorem quæ patri maritum prætulit. Itaq; iuſſu generi captus Maſſiliæ, ſtrangulatusq; eſt. Hũc finem meruit Maximianus Seuerus, aſper & immitis: qui vbi collegæ obtẽperauit, priuatum viuendi ſtatum ſequi debuit. Diocletianus, qui ab tanto rerum culmine ſeceſſerat, nullius cõſilio adduci potuit vt pœniteret. Igitur priuatus cum eſſet, poſt mortẽ inter diuos relatus eſt. Thermæ eius nomine Romæ ſunt cõſecratæ, & Maximiani Herculij Carthagini. Thermæ nominis Diocletiani inchoatę fuerunt à veteribus principibus, & conſecratæ ab nouis Auguſtis Conſtãtio & Maximiano. Diocletianus igitur inchoatum opus abſoluerat omni cultu perfectum. Secuti principes poſuere ibi ſtatuas, & ſeniorum & nouorum imperatorum, quorum capita integra & fragmenta reliqua corporũ erui ex ſubterranea teſtudine, velut ibi poſt ruinas thermarum conſeruata, vidimus: & partim in Capitolium delata, partim Fiorẽtiam miſſa. Conſtantius & Maximianus inuicti Auguſti. Seuerus & Maximinus Cęſares thermas ornauerunt, & Romanis ſuis dedicaue-

dicauerunt. Sitne in nominibus ambiguitas diximus. Hęc didicimus ex fractis marmoribus ibi effossis, in quibus & tituli victoriarum Maximiani Herculij in hęc verba: M. Aur. Val. Maximiano inuicto Aug. pont. max. Sarmatic. Max. Gothic. max. imp. VIII. COS. III. P.P. proconsuli.

Et item Viennæ Allobrogum sic:

D. D.N.N. Imp. Cæs. C. Aurel. Valerius Diocletianus P.P. inuict. Aug. muris Guralonensibus ædificiis prouidentia sua instituit. Tis. atq; erectis portam Viennensium Herculiam vocari iusserunt.

Et in fronte alterius portæ vrbis idem epigramma in fine sic:


PORTAM Romanam Iouiam vocari iusserunt. Nam Diocletianus Iouius est dictus, & Maximianus Herculius. Iouius & Herculius ab Gallis adeo dilecti, vt ab eis duo populi nomina sumpserint, Iouiorũ & Herculiorũ, & Viennenses duas vrbis portas Iouiam & Herculiam appellauere, vt epigrammata docẽt. Porrò Diocletianus aurei seculi parens, & Maximianus ferrei existimatus. *Pompon. Lætus.*

SVbeat forsitan admiratio multos hac nostra principum relatione, quòd paucissimos Quiritij sanguinis, omnes ferè externos, & pudendæ quosdam etiam originis, non tamẽ pœnitendos recẽseam. Sic hactenus Decium Pannoniæ, Aurelianum Daciæ, Claudium Dardani, Probum Dalmatæ, Carum etiã Galliæ sibi vendicant. Qui quòd eadem Dalmatia alterum etiam nobis imputet, omnibus æquandum principibus, si à piorum sanguine abstinuisset, Diocletianum? Is enim Salonis ortus, libertini

etiam sanguinis, cùm molem imperij grauiorē animaduerteret. quā vt vnus esse vniuersæ par posset, Maximianum Augustum creat, amboq; duo sibi Cæsares, Galerium Armentarium cognomine, & Constantium Constantini Magni patrem dicunt. Diocletianus igitur quando per partes rem tutius confici posse ratus est, Maximianum Galliis præficit: eoq; confecto bello, in Africam aduersus quinquagenarios transire iubet. vtrobiq; sedati tumultus. Africanus certè aliquanto difficiliùs, quòd quinquagenarij, & supra eum annorum numerū veteranus miles ad obsequium tam facilè redigi non poterat. Interim Ægyptum Diocletianus inuadit, Achilleum incubatorem imperij Alexandriæ per menses aliquot obsessum, & in potestatem redactum feris lacerandum obiicit: potentissimus quisque cædibus, ac proscriptione petiti. Interim aduersus Narseum Persarum regem Galerius infeliciter primò, mox reparatis copiis, ira etiam animos illi faciēte, quòd ad Diocletiani carpentum post cladem acceptam per mille passus pedes currere coactus est, egregiè vicit Narseo fugato, & cæsis magna ex parte Persis, pellicibusque cum gaza omni regia captis. Hęc victoria Galerij virtute & audacia parta, qui exploratis prius hostium castris, noctu cùm XX. millibus equitum Persas aggressus, dedecus acceptum hosti rependit. Diuersa etiā parte Constantius ab Alemannis improuiso insultu primùm victus, & eodem die mox victor. LX. eorum millia cæcidit: ea clade Germaniæ attritæ, Galliæ liberatæ. sicq; pacato orbe post annorum imperium XX. Diocletianus Nicome-

Nicomedię, Maximianus Mediolani imperium eodem die deposuere. Rem miram, & ad hanc ætatem incognitam, vt sponte nec prægrauante saltem senecta, vel rerum mole, vterq; in ordinem se redegerit. Diocletianus certè constantius in proposito mansit. Nam per decem años quot priuatus Salonis superfuit, hortorũ amœnitati vacans, iterum ad imperium sollicitatus, à priuata vita abduci non potuit, testatus nullos sibi vnquam soles lętiores affulsisse. Obiit autẽ duodeoctoginta natus annos, vel alienatione mentis, vel veneno hausto, veritus Licinium ac Constantium, qui illum tãquam Maxentij fautorem grauiter increpuerant. Sed & Maximianus dum Constantio genero insidias parat, imperium affectans, Massiliæ captus, Constantij iussu necatur. *Egnatius.*

CONSTANTIVS ET GALERIVS.



His igitur abeuntibus, ad administrationẽ Reip. CONSTANTIVS & GALERIVS Augusti creati sunt; diuisusq; inter eos Romanus orbis: vt Galliam, Italiam, Africam Constantius; Illyricum, Asiã, Orientem Galerius obtineret; sumptis duobus Cæsaribus. Constantius tamen, contentus dignitate Augusti, Italiæ atq; Africæ administrãdæ sollicitudinẽ recusauit: vir egregius, & præstantissimæ ciuilitatis; diuitiis prouincialium ac priuatorum studens, fisci commoda non admodum affectans; ducensq; melius, publicas

exornaret. Nam & ipse paucis contentus, ab fictilibus nõ abhorrebat. Tãta modestia vixit, vt facilem & amabilem se cunctis præberet. Vnde plurimum diligebatur. Eoq; regnante in Hispaniis, Galliis, & alpibus, nulli motus fuere, & hostes populi Romani ab armis cessauere. In hac placida quiete ex Theodora liberos suscepit, Constantinũ Anaballianum, & Constantiũ ac Constantiã. XI. anno ex quo Cæsar est factus occubuit, morbo absumptus Eboraci (sic est oppidi nomẽ in Britannia) & inter diuos relatus. Galerius, postquam Constantius Italiam & Africam reliquit, adoptauit duos, Seuerũ & Maximianũ. Illum præfecit Italiæ & Africæ, hunc Orienti. Romæ autem prætoriani imperatorem fecere Maxentium, nõ abnuente senatu. qui nõ vt Augustus, sed vt tyrãnus imperauit, prętorianis eum ad hanc sęuitiã impellentibus. Aberat ab vrbe Seuerus cùm prætoriani Maxentium creauerunt: ad vrbem citò rediit. Sed Maxentij vires (incredibile dictu) statim creuerant. Seuerus impar aufugit: & cùm Maximianũ peteret, qui in Illyriis erat, Rauẽnæ captus, cæsusq; est. Ab cuius cæde Maxentius gloria elatus, ciues Ro. libidinib. primũ, inde cædib. vexare cœpit: hinc odio haberi cœptus est Maximianus cùm. accepisset de morte Seueri, consortem imperij legit Licinium Dacia oriundũ, qui genus suum ad Philippum Augustum referebat. Qua de re in monimentis publicis illius nomen adoptauit, dictusque est Marcus Iulius Licinius Licinianus: quoniam proauus, vt ipse dicebat, fuit Marcus Iulius Philippus. Licinij virtus in re militari bello Persico contra Narsen Maxi-
*Persicum. Licinius

imperabat, exorant, vti vrbem Romam, imperij caput, tyrannide liberet, qui sæpiùs accersitus, tandem cessit precibus, & vix quarta parte exercitus Italiam petiit. Maxentius asperitate similis Maximiano patri, sæuitia Domitiano & Commodo, plerosq; claros viros occidit, bona accepit. Noua vectigalia inuenit, in occidendo & omni via exigendo pecunias inexorabilis factus. Huic etiam mulieribus stuprandis cupido inextinguibilis. Captus amore nobilissimæ & castissimæ fœminæ, misit ad eam ministros libidinum, quos solos aulicos habere consueuerat, quibus cum de Republica consultabat. Vir puellæ metu mortis abduci non vetabat vxorem. Illa quæ Christiana erat, petiit se ornandi tempus, & impetrauit: ingressa cubiculum sibi manus iniecit. Illi cùm torquerētur mora, irrumpunt, & rem vti euenerat, ad principem referunt. Quo exemplo plures appetere non est deterritus, sed magis accensus. Accepto nuncio de copiis Constantini, quæ Italiæ fines tenebant, exercitum educit. Quintus erat annus Imperij Constantini, qui multis prœliis Maxentij conatus plerisq; in locis, præsertim in foro Iulij, fudit. Postremò coacto exercitu intra mœnia vrbis se continuit Maxētius, & cùm nihil vnquam gesserit sine respōsis muliercularum, consuluit magam de belli exitu. Illa omnia prospera vaticinabatur, admonens, vt cæsis infantibus, priùs aduersa numina placaret. Ad hoc diem & horam dedit, quando educturus esset exercitum, & manus consertutus. Qui sacris peractis rem pro magæ consilio egit, victus tamen est ad montem Miluium ina

gna ſtrage. Ipſe ſeu fugiens, ſeu numinibus magicæ vanitatis actus, in Tiberim vnà cum equo inſiluit, ſubmerſusque eſt & nuſquam inuentus. Cacodæmones corpus animamq; ad perpetuos cruciatus retulere. Scribunt alij conantem euadere gurgite fluminis hauſtum, & imis retentum arenis ac limo. Sunt qui referunt Tiberinum patrem, indignatum deuoraſſe, & ſtatim euomuiſſe, & caput reciſum, adhuc ſæuitiam ac libidinem præ ſe ferens, ſpectaculo fuiſſe ante currum victoris. Hunc exitum Maxentius meruit, magicis artibus, quàm imperio aptior. Sæuus in cæteros, ſibi non pepercit. Quicunque magos conſulunt, & vaticinia aut auſpicia rebus gerendis quærunt, ſemper ſunt anxij, & nunquam, inter metum & ſpem auidi futurorum, quieſcunt. Si illi proſpera nunciant, inani & vana ſpe iam tum lætari incipiunt: ſin contrà, repente triſtitia affecti torpeſcunt. Heu miſeros mortalis imbecillitas ingenij & mens ſtupida huc illuc diſtrahit ac ſuſpendit. Inſana ſanè ſunt documenta, quæ noſtra credulitas excogitauit, vt acriùs torqueremur. Vtinam faceſſeret à mentibus hominum tale figmētum, quod eſſe falſum & nullius momenti etiã maiores noſtri tradiderunt. Maxentius filiúſne Maximiani, an ſuppoſitus vxori ſimulanti partum, vt charior eſſet marito prolem cupienti, ad nos qui tam remoti ab illo ſeculo ſumus, diſſerere non pertinet. Verùm & hæc ſunt prætorianorum militum ſemina, rapere, ſtuprare, necare, incendere: ſatis edocti, quorum ſcelera indomita abhorrendam fecerant conſuetudinem. Stipatores & cuſtodes principum,

pum, ipsos principes ad omne genus ſæuitiæ armabant. Hi primùm venale imperium propoſuerunt. Quid iis ducibus auſa non eſt inſania Commodi Antonini? quid turpe atque crudele non excogitabat præfectus prætorio, etiam de capite principis decernens? Horum iudicio Ælius Pertinax vir bonus, & Reipublicæ vtilis, cæſus eſt. Quid dicam de Balbino & Pupieno, quorum armis fluctuans Reſpublica conſtiterat? O Romule parens vrbis, quid te profecturum credidiſti, cùm auſpicato hos celeres primus legiſti? Malè auſpicatus es, eos conſtituiſſe, qui opus tuum perdituri eſſent. Sed querimoniæ in alia tempora differantur. *Pompon. Lætus.*

SVcceſſere Diocletiano Iouio & Maximiniano Herculio cognominibus, duo ab his antea dicti Cæſares, *Conſtantius* videlicet *Chlorus*, quaſi virentem à colore dicas, & *Galerius Maximinus*. Sunt qui ex veteribus monimentis, Maximianum magis probent. Sed quocunque cognomine hic fuerit, diuerſo quod conſtat, ingenio vixêre. Conſtantius benignus ac facilis atque ad promerendam Gallorum gratiam, quibus præerat, propenſior, nec à vera pietate abhorrens: Galerius trux, ac propè immanis, vt qui rus, vnde venerat, oleret, noſtriq; ſanguinis appetentiſſimus. Sed cùm vndecim annos Conſtãtius Gallias & Hiſpanias in ſummo otio tenuiſſet (nam Africam Italiamq; ſub imperij initia ſpõte dimiſerat, ratus id grauioris eſſe oneris, quàm vt ab vno ſuſtineri poſſet) Eboraci deceſſit, moderati principis fama & Conſtantino filio ſucceſſore felix. *Egnatius.*

GAlerius imperium adeptus, molem & ipse secum rei reputans, duos sibi asciscit Cæsares, Seuerum & Maximinianum iuniorem, illũ Italiæ, hunc Africæ & Orienti præficit: ipse Illyricum sibi medius adsciscit. Verùm non multò post genitalibus putrescentibus, vitæ tædio vim sibi gladio intulit. *Egnatius.*

De Seuero & Maximino Impp.

SEuerum haud multò pòst Maxentij factio Romæ intra tabernas opprimit, & Maxentium Herculij tyrannici virũ spiritus sibi præficit: aduersus quẽ dum Maximinianus festinat, militum suorum defectionem veritus, retrò in Illyricum contendit, vbi vlcere inguinibus innato, cùm deessent remedia, nec medici ob hominis immanitatem opem ferre auderent, vermibus vndiq; erumpentibus obiit, Christiani sanguinis vsq; ad insaniam pridem effusi incassum pœnitẽs. Vir belli pacisq; artibus insignis, nisi crudelitate nimia in nos tãtas virtutes fœdasset. Solus annos duos cum Cæsaribus, & Licinio imperij consorte sedecim præfuit. *Egnat.*

CONSTANTINVS.



ONSTANTINVS rerũ dominus extremo vitæ suæ tempore expeditionẽ parauit in Persas: toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis gloriosior victoriâ, cunctis in Persas descendebat agminibus. Sub cuius aduentu Babyloniæ in tantum regna trepidarunt, vt supplex eorum legatio occurreret, Persasq; facturos imperata promitteret.

teret. Nec tamen pro aſſiduis eruptionibus, quas ſub Conſtantio Cæſare tentauerant, veniam meruerunt. *Sextus Rufus.*

GAlerius, vir & probè moratus, & egregius in re militari, cùm Italiam quoq;, ſinente Conſtantio, adminiſtrationi ſuæ acceſſiſſe ſentiret, Cæſares duos creauit. Verùm Conſtantio mortuo, *Conſtantinus*, ex obſcuriori matrimonio eius filius, in Britannia creatus eſt Imperator, & in locum patris exoptatiſſimus moderator acceſſit. Romæ interea prætoriani, excitato tumultu, *Maxentium* Herculij filium, qui haud procul ab vrbe in via publica morabatur, Auguſtum nuncupauerunt. quo nuncio Maximianus Herculius ad ſpem erectus reſumendi faſtigij, quod inuitus amiſerat, Romam aduolauit è Lucania, quam ſedem priuatus elegerat, in agris amœniſſimis conſeneſcens: Diocletianumq; etiam per literas adhortatus eſt, vt depoſitam reſumeret poteſtatem: quas ille irritas habuit. ſed aduersùm motum prætorianorum atq; Maxentij, *Seuerus* Cæſar Romam miſſus à Galerio, cum exercitu venit: obſidensque vrbem, militum ſuorum ſcelere deſertus eſt; auctę Maxentio opes, confirmatumq; imperium. Seuerus fugiens, Rauennæ interfectus eſt. Herculius tamen Maximianus, poſt hæc in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, ſeditionem & conuicia militum tulit. Inde ad Gallias profectus eſt; dolo compoſito, tanquam à filio eſſet expulſus; vt Conſtantino genero iungeretur: moliens tamen Conſtantinum reperta occaſione interficere, qui in Galliis, & militum & prouincialium ingenti iam

fauore regnabat, cæsis Francis, atque Alamannis, captisque eorum regibus: quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit. Detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quæ dolum viro enunciauerat, profugit Herculius Massiliam; ibique oppressus, (ex ea etenim nauigare ad filium præparabat) pœnas dedit iustissimo exitu; vir ad omnem asperitatem sæuitiamq; procliuus, infidus, incommodus, ciuilitatis penitus expers.

Per hoc tempus *Licinius* à Galerio Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod aduersus Narseum gesserat, strenuis laboribus & officiis acceptus: mors Galerij confestim secuta est. Respubl. tum ab his quatuor Imperatoribus tenebatur, Constantino & Maxentio, filiis Augustorum; Licinio & Maximino, nouis hominibus. Quinto tamen Constantinus imperij sui anno, bellum aduersum Maxentium ciuile commouit, copias eius multis præliis fudit: ipsum postremò Romæ aduersus nobiles omnibus exitiis sæuientem, apud pontem Miluium vicit, Italiaq; est potitus. Non multò pòst deinceps in Oriente quoque aduersus Licinium *Maximinus* res nouas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum morte præuenit.

Constantinus tamen, vir ingens, & omnia efficere nitens quæ animo præparasset, simul principatus totius orbis affectans, Licinio bellum intulit; quamuis necessitudo illi & affinitas cum eo esset: nam soror eius Constantia, nupta Licinio erat, ac primò cum in Pannonia,

nia, ſecundò ingenti apparatu bellum apud Cibalas inſtruentem, repentinus oppreſſit: omniq́ue Dardania, Mœſia, Macedonia potitus, numeroſas prouincias occupauit. Varia deinceps inter eos bella, & pax reconciliata ruptaque eſt. Poſtremò Licinius nauali & terreſtri prælio victus apud Nicomediam, ſe dedidit, & contra religionem ſacramenti Theſſalonicæ priuatus occiſus eſt. Eo tempore res Romana ſub vno Auguſto & tribus Cæſaribus (quod nunquam aliàs) fuit; cùm liberi Conſtantini Galliæ, Orienti, Italiæq́; præeſſent. Verùm inſolentia rerum ſecundarum aliquantum Conſtantinum ex illa fauorabili animi docilitate mutauit. Primùm neceſſitudines perſecutus, egregium virum, & ſororis filium, commodæ indolis iuuenem interfecit; mox vxorem; pòſt numeroſos amicos. Vir primo imperij tempore optimis principibus, vltimo mediis comparandus. Innumeræ in eo animi corporisq́; virtutes claruerunt. militaris gloriæ appetentiſſimus; fortuna in bellis proſpera fuit; verùm ita, vt nō ſuperaret induſtriam. Nam etiam Gothos poſt ciuile bellum variè profligauit, pace his ad poſtremum data; ingentemq́; apud barbaras gentes memoriam gratiæ collocauit. Ciuilibus artibus, & liberalibus ſtudiis deditus: affectator iuſti amoris, quem omnino ſibi & liberalitate & docilitate quæſiuit. ſicut in nōnullos amicos dubi⁹, ita in reliquos egregius: nihil occaſionum prætermittens, quò opulentiores eos clarioresq́; præſtaret. Multas leges rogauit; quaſdam ex bono & æquo, pleraſque ſuperfluas, nonnullas ſeueras. primusq́; vrbem

nominis sui ad tantum fastigium euehere molitus est, vt Romæ æmulam faceret. Bellum aduersum Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant, vno & trigesimo anno imperij, ætatis sexto & sexagesimo, Nicomediæ in villa publica obiit. denũciata mors eius etiam per crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquandiu fulsit. eam Græci κομήτην vocant. atque inter diuos meruit referri. *Eutropius Breuiarij lib. 10.*

CONSTANTINUS, Constantij Imperatoris & Helenæ filius, imperauit annos triginta. Hic, dum iuuenculus à Galerio in vrbe Roma, religionis specie obses teneretur, fugam arripiẽs; atque ad frustrandos insequentes, publica iumenta, quaqua iter ageret, interficiens, ad patrem in Britanniam peruenit: & fortè eisdem diebus ibidem Constantium parentem fata vltima perurgebant. Quo mortuo, cunctis qui aderant annitentibus, sed pręcipuè Eroco Alamannorum rege, auxilij gratia Constantium comitato, imperium capit. Hic sororem suam Constantiam Licinio, Mediolanum accito, coniungit: filiumq; suum *Crispum* nomine, ex Mineruina concubina susceptum; item *Constantinum*, iisdem diebus natum oppido Arelatensi; *Licinianumq;* Licinij filium, mensium ferè viginti, Cæsares effecit. Verùm enimuerò, vt *imperia difficilè concordiam custodiunt*, dissidium inter Licinium Constantinumque exoritur: primumque apud Cibalas iuxta paludem *Hiulcam* nomine, Constantino nocte castra Licinij irrumpente, Licinius fugam petiit; Byzantiũque fuga volucri peruenit. Ibi *Martinianum*, officiorum

officiorum magiſtrum, Cæſarem creat. Dehinc Conſtantinus acie potior apud Bithyniã, adegit Licinium pacta ſalute indumentum regium offerre per vxorem. Inde Theſſalonicam miſſum, paulò pòſt, eum Martinianumque iugulari iubet. Hic Licinius annum dominationis ferè poſt quintumdecimum, vitæ proximè ſexageſimum, occiditur. auaritiæ cupidine omnium peſſimus; neque alienus à luxu venerio; aſper admodum, haud mediocriter impatiens: infeſtus literis; quas per inſcitiam immodicã, virus ac peſtem publicam nominabat; præcipuè forenſem induſtriam. agraribus planè, ac ruſticantibus, quia ab eo genere ortus altusq́; erat, ſatis vtilis: ac militiæ cuſtos ad veterum inſtituta ſeueriſſimus. Spadonum & aulicorũ omnium vehemens domitor; *tineas ſoricesq́, palatij* eos appellans.

At Conſtantinus, obtento totius Romani Imperij, mira bellorum felicitate, regimine, Fauſta coniuge, vt putant, ſuggerente, Criſpum filium necari iubet. Dehinc vxorem ſuam Fauſtam, in balneas ardentes coniectam, interemit; cùm eum mater Helena, ardore nimio nepotis, increparet. Fuit verò vltra quàm æſtimari poteſt, laudis auidus. Hic Traianum *herbam parietariam*, ob titulos multos ædibus inſcriptos, appellare ſolitus erat. Hic pontem in Danubio conſtruxit. Habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate: commodiſſimus tamen rebus multis fuit. *Calumnias* ſedare legibus ſeueriſſimis: nutrire artes bonas, præcipuè *ſtudia litterarum*: legere ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes &

querimonias prouinciarum. Cumque liberis, filioque fratris Dalmatio, Cæsaribus confirmatis, tres & sexaginta annos vixisset; ex quibus dimidios ita, vt tredecim solus imperaret; morbo consumptus est. Irrisor potiùs quàm blandus. vnde prouerbio vulgari; Trachala, decem annis præstantissimus; duodecim sequentibus, latro; decem nouissimis, pupillus, ob profusiones immodicas nominatus. Corpus sepultum in Byzantio, *Constantinopoli* dicta. *Sexti Aurelij Victoris excerpta de vita & moribus Imperatorum, seu Historiæ Augustæ lib.*

IGitur *Constantio Armentarioq́;* his succedentibus *Seuerus Maximinusq́;*, Illyricorum indigenæ Cæsares; prior, Italiam; posterior, in quæ *Iouius obtinuerat, destinatur. Quod tolerare nequiens *Constantinus*, cuius iam tum à puero ingens potensque animus ardore imperitandi agitabatur; fugæ commento, cùm ad frustrandos insequentes, publica iumẽta, quaqua iter egerat, interficeret; in Britanniã peruenit. nam is à Galerio, religionis specie, ad vicem obsidis tenebatur. & fortè iisdem diebus ibidem Constantium patrem vitæ vltima agebant. Quo mortuo, cunctis qui aderant, annitentibus, imperium capit. Interim Romæ vulgus, turmæque Prætoriæ, *Maxentium*, retractante diu patre Herculio, Imperatorẽ confirmant. Quod vbi Armentarius accepit; Seuerum Cæsarem, qui casu ad vrbem erat; arma in hostem ferre properè iubet. Is circum muros cùm ageret, desertus à suis, quos præmiorum illecebris Maxentius traduxerat, fugiens obsessusque Rauennæ obiit. Hoc acrior Galerius,

rius, adſcito in conſilium Iouio, *Licinium* vetere cognitum amicitia Cæſarem, creat Auguſtum: eoque ad munimentum Illyrici ac Thraciæ relicto, Romam contendit. Ibi cùm obſidione diſtineretur; militibus eâdem qua ſuperiores via attentatis; metu ne desereretur, Italia deceſſit: pauloque pòſt vulnere peſtilenti conſumptus eſt; cùm agrum ſatis Reipubl. commodantem, cæſis immanibus ſyluis, atq; emiſſo in Danubium lacu Pelſone, apud Pannonios feciſſet. cuius gratia prouinciam vxoris nomine *Valeriam* appellauit. Huic quinquennij imperium; Conſtantio annuum fuit: cùm ſanè vterque potentiam Cæſarum annos tredecim geſſiſſent: adeò miri naturæ officiis, vt ea, ſi à doctis pectoribus proficiſcerentur, neque inſulſitate offenderent; haud dubiè præcipua haberentur. Quare compertum eſt, *eruditionem*, *elegantiam*, comitatem præſertim, Principibus neceſſarias eſſe: cùm ſine his naturæ bona, quaſi incompta, aut etiam horrida, deſpectui ſint; contraque ea Perſarum regi Cyro æternam gloriam parauerint. At memoria mea Conſtantinum, quanquam cæteris promptum virtutibus, ad vſque aſtra votis omnium ſubuexere. Qui profectò ſi munificentiæ atque ambitioni modum, hiſque artibus ſtatuiſſet, quis præcipuè adulta ingenia, gloriæ ſtudio progreſſa longiùs, in contrarium labuntur; haud multum abeſſet Deo. Is vbi vaſtari vrbem atque Italiam comperit, pulſóſque ſeu redemptos exercitus, & Imperatores duos, compoſita pace per Gallias; Maxentium petit. Ea tempeſtate apud Pœnos *Alexander*

pro Præfecto gerens, dominatui stolidè incubuerat: cùm ipse debili ætate, agrestibus ac Pannonicis parentibus vecordior; milites, tumultuarieque quæsiti; armorum vix medium haberetur. denique eum à tyranno missi paucissimis cohortibus Rufus Volusianus Præfectus Prætorio, ac militares duces, leui certamine confecêre. Quo victo, Maxentius Carthaginem terrarum decus, simul Africæ pulchriora vastari, diripi, incendique iusserat, ferus, inhumanusque, ac libidine multò tetrior: adhuc, pauidus & imbellis, atque in desidiam fœdè pronus: vsque eò, vt flagrante per Italiam bello, fusisque apud Veronam suis; nihilo segniùs solita curaret; neque patris exitio moueretur. namque Herculius, natura impotentior, simul filij segnitiæ metuens, inconsultè imperium repetiuerat: cumque specie officij dolis compositis Constantinum generum tentaret acerbè, iure tandem interierat. Sed Maxentius, atrocior indies, tandem vrbe in Saxa rubra millia fermè nouem ægerrimè progressus, dum cæsa acie fugiens semet Romam reciperet, insidiis, quas hosti apud pontem Miluium locauerat, in transgressu *Tiberi interceptus est, tyrannidis anno sexto. Huius nece incredibile quantum lætitia gaudioque Senatus ac plebes exsultauerint: quos in tantum afflictauerat, vti Prætorianis cædem vulgi quondam annuerit: primusque instituto pessimo numinum specie Patres aratoresque pecuniam conferre prodigenti sibi cogeret: quorum odio Prætoriæ legiones, ac subsidia factionibus aptiora quàm vrbi Romæ; sublata penitus;

tus; ſimul arma atque vſus indumenti milita-ris: adhuc cuncta opera, quæ magnificè con-ſtruxerat, Vrbis fanum, atque Baſilicam, Fla-uij meritis Patres ſacrauere. à quo etiam pòſt Circus maximus excultus mirificè: atque ad lauandum inſtitutum opus cæteris haud mul-tò diſpar: ſtatuæ locis quàm celeberrimis; quarum plures ex auro, aut argenteæ ſunt: tum per Africam ſacerdotium decretum Fla-uiæ genti; Cirtæque oppido, quod obſidione Alexandri ceciderat, repoſito exornatoq;, no-men *Conſtantina* inditum. Adeo *acceptius præ-ſtantiusq;* tyrannorum depulſoribus nihil eſt: quorum gratia eò demum auctior erit, ſi mo-deſti ipſi atque abſtinentes ſint. Quippe *hu-manæ mentes*, fruſtratæ boni ſpe, aſperiùs offen-duntur, cùm mutato rectore flagitioſo, ærum-narum vis manet. Dum hæc in Italia gerun-tur, Maximinus ad Orientem, poſt biennij auguſtum imperium fuſus fugatusque à *Lici-nio*, apud Tarſum perit. Ita poteſtas orbis Ro-mani duobus quæſita. qui quamuis per Flauij ſororem, nuptam Licinio, connexi inter ſe e-rant; ob diuerſos mores tamen, anxiè trien-nium congruere quiuêre. Namque illi præter admodum magna cætera, huic parſimonia, & ea quidem agreſtis, tantummodo inerat. De-nique Conſtantinus cunctos hoſtes, honore ac fortunis manentibus, texit recepitque: eò pi-us, vt etiam vetus veterrimumque ſupplicium patibulorum & cruribus ſuffringendis, primus remouerit. Hinc pro conditore ſeu Deo habi-tus: Licinio ne inſontium quidem ac nobili-um Philoſophorum ſeruili more cruciatus ad-

hibiti, modum fecêre. Quo sanè variis præliis pulso, cùm eum prorsus opprimere arduum videretur; simul affinitatis gratia, recepti consortio, adsciti que Imperio Cæsarum communes liberi, *Crispus, Constantinusq;*, Flauio geniti: *Licinianus* ; Licinio. Quod equidem vix diuturnum; neque his qui assumebantur felix fore, defectu Solis fœdato iisdem mensibus die, patefactum. Itaque sexennio pòst rupta pace, apud Thracas Licinius pulsus, Chalcedona concessit. ibi ad auxilium sui Martiniano in Imperium cooptato, vnà oppressus est. Eo modo Respubl. vnius arbitrio geri cœpit, liberis Cæsarum nomina diuersa retentantibus: namque ea tempestate Imperatori nostro Constantio insigne Cæsaris datum. Quorum cùm natu grandior, incertum qua caussa, patris iudicio occidisset; repentè *Calocerus*, magister pecoris camelorum, Cyprum insulam specie regni demens capessiuerat: quo excruciato, vt fas erat, seruili aut latronum more, condenda vrbe formidandisque religionibus ingentem animum auocauit: simul nouandæ militiæ ordine. Et interea Gothorum Sarmatarumque stratæ gentes filiusque cunctorum minor, *Constans* nomine, Cæsar fit. cuius gratia Reipubl. permistionem fore, ostentorum mira prodidere: quippe ea nocte quæ commissi imperij diem sequebatur; igni continuo cœli facies cōflagrauit. Abhinc consumpto ferè biennio, fratris filium, cui ex patre *Dalmatio* nomen fuit, Cæsarē iussit, assistentibus validè militaribus. Ita anno imperij tricesimo secundoque, cùm totum orbem tredecim tenuisset: sexaginta natus, atq; amplius

amplius duo; in Persas tendens, à quîs bellum irrumpere acceperat; rure proximo Nicomediæ, Achyronam vocant, excessit: cùm ad id tetrum sidus regnis, quod crinitum vocant, portendisset. funus relatum in vrbem sui nominis. quod sanè P. R. ægerrimè tulit: quippe cuius armis, legibus, clementi imperio, quasi nouatam vrbem Romanam arbitraretur. Pons per Danubium ductus: castra castellaque pluribus locis commodè posita. Remotæ olei frumentiq; aduentitiæ præbitiones; quibus Tripolis ac Nicæa acerbiùs angebantur; quæ res superiores Seueri Imperio, gratantes ciui, obtulerant; verteratque gratiam muneribus in perniciem posterorū dissimulatio: alteros Marcus Boionius afflixerat mulcta, quod Hipparchum præstanti ingenio indigenā fuisse ignorauissent. fiscales molestiæ seueriùs pressæ: cunctaque diuino ritui paria viderentur, ni parum dignis ad publica aditum concessisset. Quæ quanquam sæpius accidêre; tamen *in summo ingenio* atque optimis Reipub. moribus, quamuis parua vitia, elucent magis; eoque notantur facilè: quin etiam acriùs sæpe officiunt; cùm ob auctoris decus in virtutes potissimum accipiuntur, atq; ad imitandum inuitamento sunt. *S. Aurel. Victor de Cæsaribus part. 2.*

CONstantinus Augusti dignitate cōtentus, cùm esset otiosus, anni ipsius adscribuntur filio eius Constantino, qui natus dicitur ex Helena concubina qui regnauit annis triginta, mensis decem, sub quo hi Consules fuere.

P.C. Diocletiani X. & Maximi VII.

II.P.C.Diocletiani X. & Maximi VII.
Maximus VIII. & Licinius.
Constantinus II. & Licinius II.
Constantinus III. & Licinius III.
Volusianus & Annianus.
Constantinus IIII. & Licinius IIII.
Sabinus & Rufinus.
Gallicanus & Bassus.
Licinius V & Crispus.
Constantinus V. & Licinius Cæs.
Constantinus VI. & Constantius Cæs.
Crispus II. & Constantius Cæs. II.
Probianus & Iulianus.
Seuerus & Rufinus.
Crispus III. & Constantius III.
Paulinus & Iulianus.
Constantius VII. & Constantius IIII.
Constantius V. & Maximus.
Ianuarius & Iustus. *His COSS. vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.*
Constantinus VIII. & Constantius VI.
Constantius VII. & Symmachus.
Bassus & Ablabius.
Pacatianus & Hilarianus. *His COSS. ciuitas quæ prius Byzantium dicta est, mutato nomine à Constantino CONSTANTINOPOLIS dicta.*
Dalmatius & Zenophilus.
Optatus & Paulinus.
Constantius & Albinus.
Nepotianus & Facundus.
Felicianus & Titianus.
Vrsus & Polemius.

Constan-

Constantius II. & Constans. *His COSS. Constantinus Imperator, dum bellum pararet in Persas, in Acyrone villa publica, iuxta Nicomediam moritur, ann. ætatis LXVI.* Cassiodor.

CONstantinus Magnus, Imperatori Constantio obscurè natus, & è signis quibusdam à patre agnitus: decreuit, relictis iis locis in quibus versabatur, ad patrem Constantium proficisci, apud Transalpinas gentes & in Britannia plerumque versantem. Quem pater cùm robusto esse corpore videret, præteritis Theodoræ filiis, Imperatorem designat. Nouam Romam Constantinus annis CCCLXII. ab Augusti Cæsaris monarchia condidit. ¶ De hoc nugas scribit Eunapius; quos ob reuerentiam viri prætereo. ¶ Maxentius, Imperator Romanorum, malè Romanos attriuit, tyrannico more potius quàm imperatorio. Nam & palàm stuprabat ingenuas matronas: & multos interficiebat, & his consentanea cætera faciebat. Quo Magnus Constantinus cognito, liberare illos dominatu eius studebat statimq; quo pacto illũ euerteret, cogitabat. Ei cogitationi intentus, sub meridiem vidit columnam ignis, forma crucis scribentem, *In hoc vince*: factusque est Christianus. *Licinius* verò, collega eius, frigidas Græcorum fouens opiniones, Christianos oderat: metu tamen Constantini persecutionem apertam instituere reformidabat. sed clam per insidias multos occidebat. Tandem etiam apertè grassatur, atque certo loco exsistit persecutio: quæ res Constantinũ non latebat. Edicto enim vetuerat Licinius ne inter sese conuenirent episcopi; ne res Christianorum incremẽti causam

haberent. Dirupta itaque ficta amicitia, odioque erumpente, tandem à Constantino interfectus est Licinius. ¶ Constantinopolis, tantò est aliis omnibus vrbibus maior, quantò Roma esse minor videtur: à qua secundam numerari, longè mihi quidem certè videtur esse melius, quàm cæterarum omnium primam existimari. Anni CCCLX. à Cæsaris Augusti Monarchia exierant, veteris Romæ rebus ad finem tendentibus, cùm Constantinus Constantij F. sceptris potitus, nouam Romam condit. A noua autem Roma condita vsque ad imperiũ Basilij & Constãtini Porphyrogenitorũ, anni sunt CCCVIII. ¶ *Crispus* autem, nomen filij Constantini Magni: quem indicta causa occidit, iam Cæsaris dignitate præditum, ob suspicionem consuetudinis cum Fausta nouerca; legis naturalis nulla habita ratione. quem tantum casum matrem Helenam ægrè ferentem, vt consolaretur scilicet Canstantinus, malùm malo maiore est medicatus. Balneo enim supra modum calefacto, Faustam in eo collocatam, eduxit mortuam. Quærendum autem, num post Baptismum hoc fecerit? Constantius, Constans, & Constantinus, filij Magni Constantini. *Suidas.*

Marcus Flauius Valerius Constantinus Maximus Pius Felix semper Augustus, Constantij Pij filius.

CONstantinus natus est in Britanniis, patre Constantio, matre Helena, quam vir coactus fuit repudiare, vt Theodoram priuignam Herculij duceret. Extremam pueritiam, quam parens literis, moribus, & re militari fouendam,

præbue-

præbuerat, egit ſub Galerio Maximiano in Oriente, ab quo iam adoleſcens miſſus eſt cum exercitu contra Sarmatas gentem ferociſſimã, cædibus hominum aſſuetam. In ea expeditione iuuenculus plus quàm promitterent anni, geſſit, & præter opinionem hoſtes profligauit, atq; cæcidit; Ducem Sarmatarum catenatum ad Galerium duxit, qui ea victoria minimè lætatus eſt. Quoniam adoleſcentem perdere quærebat, vt olim Euriſtheus Herculem. Propter eam cauſam hortatus, vt cum leone in theatro pugnaret. Conſtantinus auidus gloriæ in certamen deſcendit, feram pertinaciſſimè vicit. Spectatores miris laudibus efferebant, ſubridens Imperator cogitabat maioribus periculis obiicere. Cùm intellexiſſet Conſtantinus inſidiis ſe peti, cum fidiſſimis quibuſdam aufugit, & ad patrem rediit, qui iam antea de filij virtutibus certior factus erat, & ſpem haud vanam de illo conceperat. Mortuo patre, regnum Galliarum, Hiſpaniarumque & alpium Cottiarum teſtamento relictum accepit. Eum antea pater Cæſarem fecerat, cæleſti nuntio admonitus, cùm ægrotaret, vt primùm Conſtantinum ſucceſſorem faceret, qui eſſet ab tyrannis Romanum imperium liberaturus & militibus Dei opem laturus. Illud conſtat in initio ſanxiſſe, vt agri, villæ, oppida, quæ ad victum emeritorum contributa erant, ad hæredes tranſirent: vnde milites ſibi magis obnoxios ac deditos reddidit. Priùs ex vetere conſuetudine, tribunis, præfectis, comitibus ac ducibus, qui pro augendo imperio conſenuerant, dabantur agri, villæque vt neceſſaria ſuppete-

rent, quoad viuerent, parochias vocabant. Cú imperasset in Gallia annis tribus, in summa laude vbique erat. Interdum impellente Fausta vxore opinionibus veterum hæsit, & diis sacrificauit. Accersitus per litteras occultis ferentibus nuntiis ab senatu, Italiam cum parte copiarum petiit. Cum Maxentio conflixit, auspicio fulgidæ Crucis victor fuit, eademque felicitate sæpius Licinium superauit. Victo Maxentio, Senatus populusq; Romanus, quòd tyrannide liberatus esset, marmoreum arcum triumphis insignem, inter palatium & Cælium posuit, qui nunc mutilatus conspicitur, appellatusque est liberator vrbis, & fundator quietis: exceptusque est insigni & triumphali pompa. Hæc laurus Italiam dedit & Africam, fuissetq; his orbis partibus contentus, nisi Licinius vltimi belli ciuilis causam præbuisset. Verùm iam antea Christianis obesse destiterat, solusque in toto Imperio populi Romani cùm imperaret, cognomen induit Maximi. Quod antea duo inter tot duces ab rebus gestis non accepere: & Magni dicti, Alexander Macedo, & Cn. Pompeius. Alexander verò Antonij Pij sobrinus, ac filius allatum à militibus renuit. Alexandri verò sobrinus & pater Magnus Antoninus, Pius in monumentis, vt appellaretur, mandauit. Inditæq; sunt & appellationes aliæ, vtputa Constantinus restitutor humani generis, propagator imperij, ditionisque Romanæ, & fundator æternæ securitatis. Ex Fausta Herculij quinque liberos suscepit, Constantinum, Constantem, & Constantium, Helenamque & Constantiam. Et ex priore quæ fuit ab eo dilecta, susceperat Crispum.

Crispum. Ante Licinij cædem, cùm ille priuatus viueret, Cæsares treis fecit, Crispum, Constantinum, & Liciniũ iuniorem sororis filium. Post bella ciuilia militaris gloriæ semper appetens, multis præliis vicit Sarmatas, & Gotthos Thraciam diripientes, & omnem ferè Scythicam gẽtem, quibus & pacem dedit. Barbaræ nationes ob id Augusto deditissimæ fuere. Constantinus dum hostes habuit, optimis principibus æquandus: postquam ex omni bello laureã adeptus, insolens factus est, amplo indito Maximo cognomine; & certè non meruit cæde suorum, ac plurimorum nobilium. Ferunt Faustam Crispum priuignum, cuius amore capta erat, ad libidinem sæpius tentasse, & renuentem detulisse ad maritum, illum voluisse vim inferre, & virum præstitisse fidem, iussisseque interfici; cæsusque est Polæ oppido Istriæ. post aliquot annos comperta causa, occidisse vxorem. Illud fit verisimile, insidiis Faustæ circumuentum Crispum occubuisse, ne peritia in militando filiis obesset, & propterea pòst paulò sublatus est Licinius iunior. Non caruit ex eo quod factum est suspicione Cõstantinus, quòd aliquot quos nouerat cædis illorũ misereri, perdidit. Post quinquénalia quæ Nicomediæ edidit, & deinde data sunt Romæ, liber curis suspiciosis atque molestiis, decreuit animo vrbem sui nominis ædificare, & primùm in Asia in Sardico agro, pòst ad Sigæum Troadis, vbi fundamenta iecit. tertiò transtulit opus Chalcedonem, vbi iam muri erecti erant. Sed aquilæ funiculos regulares ter quaterq; architectis rapuere, & transmisso mari abiecerunt Byzantium. periti augurandi illò

tranferri vrbem iubent. Imperator v. luti diis monentibus mutauit mentem. Itaque translati Byzantium architecti, ductis rite fossis, vrbē in medio spatio condidere. Condi cœpta est ante V. iduum Maij: sed postquam immortali deo sacra rite persoluit, conditam vrbem Mariæ virgini, quæ sola est deipara, consecratam dedicauit. Valenti mathematico cura data, vt inspecto vrbis horoscopo nuntiaret de eius ætate. ille respondit opus duraturum annos sexcentos nonagintasex, intelligens quòd tamdiu futuri principes rebus imperij nihil essent detrecturi, & tamdiu consilio senatus respublica esset gubernanda: post quod tempus tyranni essent imperaturi, qui rempublicam dissiparent, & ad priuatos tyrannulorum vsus transferrent. Qui totum lac ex vberibus ouium emulserit, agnos fraudans cibo prædo est non pastor. Visumque est propter hoc Byzantium antiquum instaurari, quod ab Seuero Pertinace ferè totum euersum fuerat trienniali obsidione. causa fuit quòd Pescennius Niger ab Antiochenis appellatus Aug. Byzantium contra opes Seueri bene muniuerat, & firmis præsidiis occupauerat. deinde instauratam deleuere milites Gallieni, vt nullus ex antiquis permaneret incola. Vrbs est Thraciæ, Claustra pontica vocant, in angustissimo freto Propontidis posita, velut arx incursionibus Barbarorum propulsandis mœnia antiqua ex lapidibus quoquouersus quatuor pedum ab continente præalta, versus mare magis depressa, sed par vndique latitudo. duos habuit portus, vtrinq; clusos ferreis catenis, & in frontibus eorum eminentes turres. Constantinus

longè

longè firmiùs muniuit, & multis monumentis exornauit. pleraque ornaméta tota Asia & Europa & Africa ad eius dedicationem aduecta sunt. Ex vrbe Roma genitrice cochlidem columnam prophyriam transferri iussit, & locari in foro lapidibus strato, & variis signis circundato; & ex Troade æneam statuam Apollinis mirandæ magnitudinis, supposito eius titulo, numinisque sublato capite suum accommodauit, columnæque superposuit, necnon & clauũ tormenti Saluatoris. Statua post multos annos regnante Alexio, cognomento Comeno, cecidit violentia ventorum deiecta, quòd tanta moles in illa altitudine cõsistere non poterat, in ipso casu fracta, multos in foro spatiantes contriuit. Transtulit ex arce quæ fuerat Ilij, Palladium, vt credidit vana superstitio, olim cœlo lapsum, & Dardani manibus exceptum: scutum id fuisse quidam scribunt, vt Romæ ancilia. Aliter sentiunt Diodorus atque Dion: Palladium signum fuisse ligneũ & tricubitale cœlo lapsum, in Pessinũte vrbe Phrygiæ; dextra tenens hastam, læua colum & fusum, & ad eum locum duce boue deuenisse Dardanũ, deos rogasse vt signum darent; statimq; decidisse è cœlo palladiũ. Alij scribunt Chrysen Pallantis filiã in Arcadia nupsisse Dardano, & signũ Palladis, quod Palladiũ est, secũ tulisse ad domũ mariti, vnà cum signis magnorum deorũ, qui sunt penates: & hæc translata in Samothracen, & inde in Phrygiam. Nec mirum est in Arcadia contigisse, nam & ibi natus est Iupiter in oppido cui nomen erat Creta, è cuius vertice nata fuit Pallas. Stesichorus & Euphorion tradunt sublatũ Palladiũ ab Vlysse &

Diomede opera Antenoris, cuius vxor Theano Palladis sacerdos asseruabat. Veteres scribunt vrbeis omnes fuisse sub tutela Palladis, & eam esse præ cæteris numinibus vrbium custodem; & eius sacerdotem Nautium, comitem Aeneæ cùm in Latium nauigaret, eiusque deinde posteros quoad viguit Dea ceremoniis præfuisse. Silius Italicus asserit ab Diomede datum Aeneæ. Nostræ historiæ narrant seruatum fuisse Lauini, postea translatum Romam & asseruatum in templo Vestæ. Quid autem id fuerit cũ penatibus, multis verbis differunt, nemo tamẽ videre potuit. Itaq; in ambiguo est an Dardan⁹ an Ilus susceperit, fueritne ligneum an æneum, signum aut scutum; & remansisse Ilij, an aduectum Romam, nemo est qui affirmet: vbicunque fuerit, inde Constantinus ferri iussit Constantinopolim & locari in foro. Credibile est fuisse simulacrum vt vox indicat. Palladis enim statua vbicunque fuerit, Palladium dicitur. Hieronymus ait Constantinum nudasse vrbes, vt Constantinopolim ornaret; vt in foro Traiani ornando priores fecere principes; nec illic constitere ornamenta sæpius irruentibus Barbaris, præsertim Getis. Vrbem suam titulis honorificis Nearomam habendam censuit, & lege sanxit, illuc deductis multis antiquorum Rom. familiis, & liberam fecit, cùm antea lege Seueri sub iure Perinthiorum esset: XXX. imperij anno tricennalia dedit. In quibus mutata mente cùm pœniteret eius quod fecisset in affines, Dalmatiam Anaualliani fratris F. Cæsarem fecit, & vnà cum filiis hæredem statuit. Hic Dalmatius cùm imperasset annis III. factione Con-

Conſtantij in Oriente à militibus occiſus eſt, & eodem anno multi nobiles cæſi cum Alladio præfect. præt. Cùm libelli dati eſſent de erroribus quorundam epiſcoporum, manu accepit Conſtantinus & proiecit in ignem, aſſerens nolle de epiſcopis decernere, vt qui in ea autoritate & veneratione ſint, peccare non poſſunt. Helena Auguſti mater, quæ totam ſe dederat noſtræ religioni, octogenaria diem obiit. Filius in templo duodecim Apoſtolorum condidit: ibi enim commune ſepulcrum ſibi poſteriſque ſuis fecerat. Iam ſenex Perſis Meſopotamiam diripientibus bellum indixit: paratas ad hoc opus copias eduxit, claſſeque tranſuexit. Ipſe Sotiropolim vrbem petiit, quæ Pythia antè vocata eſt, vt aquis calidis ſenile corpus foueret, viribus pro ætate conſeruandis: priusquam ſe ablueret, medici pharmacon dedere. Miniſtri corrupti pretio (vt ſcribunt) ab affinibus nocua immiſcuere, ille intrepidus poculũ ebibit: pòſt paulò incidit in morbum, quo ingraueſcente ductus eſt in villam publicam prope Nicomediam. Interea Conſtantinus qui copias omnes Antiochiæ cogebat contra Parthos, cùm accepiſſet de patris aduerſa valetudine, Nicomediã aduolauit, vt pater diligentiùs curaretur. Medicorum fomenta nihil profuere; intrinſecus abſumente veneno mortuus eſt, & ab Nicomedia Cõſtantinopolim regale perductum eſt funus, comitante filio Conſtantino, & cum genitrice ſepultus. Iulianus in oratione de Cæſaribus ſcribit, Mercurium interrogatum à patruo Conſtantino, quis eſſet modus boni principis, reſpondiſſe: *Regem oportere multa poßidere, &*

multa impendere. Constantinus in initio bonis principibus similis: post bella ciuilia velut omni metu liber, contrarius æquitatis plerosq; occidit, minimè suis parcens & liberalitatis Augustorum immemor, cœpit esse parcus, & interdum nimis tenax, gloriæ tamen appetens militaris, rebus gerendis fortunatus & fœlix. quod prouenisse ex eo fertur, quoniam fidei Christianæ plurimum fauerat: mirumque est quòd cùm deditissimus fuerit, lauacrum renascentis vitæ in extremum vitæ suæ tempus distulerit, vt existimo, volens id in Iordane, iturus contra Persas, efficere. Baptizatusque est ab epi côpo Nicomediensi. Illud in eo principe laudabile memoratur, quòd si quos ex vulgo priuatus dilexit, opibus honestauit, non dignitate prætoria, aut consulari, vti priores principes, nulla habita honoris ratione, fecerunt. Cumq; fuerit armorum studiosissimus, eloquentiæ expers non fuit ac philosophiæ, & in disserendo satis accuratus. Dicere frequenter solebat, pro vtilitate reipublicæ, imperatorem non debere labores recusare; & partem corporis recidendam si remedium non admitteret: sin contrà, fouendã. ea similitudine notabat malos homines, qui emendari nequeunt. Vixit annis sexagintasex, imperauit XXXII. minus mensibus duobus. Quidam tradunt Constantinum orbem hæredibus testamento diuisisse, quidam filios sorte fecisse. *Pomp. Lætus.*

Fælicioribus auspiciis, ac meliore partiũ nostrarum euentu, rerum tandem Constantinus potitur ex Helena Constantij vxore susceptus: & cęteris fratribus ob egregiam indolem, cùm

cùm illi segnitiem præ se ferrent, patris etiam testamento prælatus. Hic sub Galerio rudimenta militiæ felicissimè auspicatus, parta ex Sarmatis egregia victoria, veritusque ex ea laude gliscentem inuidiam, ad patrem transfugit: eoq; mortuo, Gallias, Hispaniasque, & Cottias Alpes obtinuit: Constantio patre id multò antè somnio præsagiente, egregiū Imperatorem fore, qui Dei militibus opem primus ferret. Iam primùm igitur veteranis militibus agros assignatos, vt ad filios suos transirent, primus instituit. Tertio Imperij anno accersitus in Italiam ab iis, qui Maxentij tyrannidem ferre non poterant, biennio totam Italiam vrbemq; Romam pristinæ maiestati asseruit, Maxentio Tyberinis gurgitibus absorpto. Inde abnegato idolorum cultu, Christianam puritatem ita amplexus est, vt præter egregia dona diuorum nostrorum templis illata, CHRISTVM ab omnibus colendum præceperit, templaque illi, & aliis numinibus erexerit. nec alia magis causa acriùs in Licinium exarsit, quàm quòd ille aduersaretur nobis. Bella contra Barbaros multa felicissimè confecit: vnde primus Romanorum principum Magni cognomentū tulit. A bellis ad pacis studia conuersus, optimum principem primis annis egit. Leges sanctissimas tulit: literis & ipse impensè semper studuit, & eas fouit. Religionis adeò obseruans, vt Nicenam synodum CCC. & XXII. patrum multis diffidentibus indixerit: Byzantium instaurarit, Imperatoriamque vrbem & nouam Romam appellari voluit. moriens & Constantinopoli sepultus, treis liberos, & Dalmatium fratris filium

successores reliquit. XXX. & amplius annos imperans, tredecim verò ex his solus. De eo sic memoriæ proditum, decē primos annos vt præstantissimus diceretur: XII. sequentibus latro: decem nouissimis pupillus ob immodicas largitiones. De eius baptismate vti variant autores, sic constanti fide, quæ de Imperij donatione circumferuntur, vti minùs similia veri non probant. Sed alij hoc viderint. *Egnatius.*

De M. Iulio Licinio Liciniano.

LIcinius in Dacia natus, parentibus agricolis, & ab iis puer nutritus (vtinam inter rusticos cum aratro & sarculis consenuisset) extrema pueritia militauit, promotusque tribunus militum bello contra Narsen, qui primus Armeniam Romanis ablatam, Persarum iuri ascripserat, optimè se gessit. Vnde duci semper postea gratus fuit. Mortuo Seuero, Maximinus ab virtute rei militaris consortem imperij fecit, & Augustum appellauit. Prius Illyriis, pòst Orienti præfuit. Literarum acerrimus hostis, asserens venenū ac pestem reipublicæ esse philosophos & oratores, quos odio præcipuè habuit, & mirificè insectabatur. Literarum enim adeo expers, vt nomen decretis vix subscribere posset. Sectæ etiam simplicium Christianorum minimè parcens. Iure igitur Constantinus contra Liciniū vires Gallicanas & Italicas expertus est. nec affinitas prohibuit, & Licinij ingratitudo ferenda non erat. Nam Galerij liberos adfines iure sodalitatis & consortij interfecit. Sunt qui scribant Liciniū in nuptiis, vt Constantino gratificarentur, milites appellasse imperatorem, & ab Constantino missum contra Galerium. Sed veriſ-

verisimilius est imperatorem factum ab Galerio, vt simul & hostilitatis literarum, & ingratitudinis accusari posset. Primi congressus fuere in Pannonia, vbi victus concessit in Macedoniam: ibique reparantem vires, & magnas copias cogentem improuisus Constantinus adortus fudit, copias dissipauit in Thraciam, fugauit in Asiam. Conuenere duces, fœdere tamen incerto, modò pax, modò bellum erat. Culpa datur ab historicis Licinio qui sæpius tentauit fortunam, ac propterea infidus, tandem & naualibus & terrestribus præliis victus, deditionē Nicomediæ fecit: missusque est Thessalonicen, vbi homini maligno & musarum hosti, etiam cōtra sacramenti reuerentiā minimè fuit seruanda fides, vt deditus esset, & priuatus viueret. Occisus est à militibus, meritasque luit pœnas. Homo septuagenarius & vecors. Imperauit annis quatuordecim, & ne qua turpitudine careret, Christianis aduersabatur, sæpiusq; rogatus ab Constantino, non destitit. Hinc semina discordiæ fuisse memorant. Scribunt quidam ante deditionem Constantiam vxorem concessisse ad fratrem, & orasse pro imperio mariti, deinde pro titulo tantùm, & non impetrasse: cùm pro salute precaretur, flexisse animum fratris. Ita Licinius, qui annis sedecim præfuerat, iussus est sine purpura & insignibus ad Constantinū venire, missusque est Thessalonicen, vt illic priuatus cum vxore degeret. Imperator scripsit ad senatum, vt de Licinio quod agendum esset, cō suleret. Senatores rescripserunt, vt milites decernerent. Quod vbi nuntiatum est, proficiscentem Sertas Licinium interfecerunt. Opinio fuit

immorantem Theſſalonicæ Licinium iniſſe cõſilium de reſumendis armis, & ideo miſſos interfectores. Ab Chriſtianis hiſtoricis quod traditur, prætereundum non puto: Ad Hadrianopolim cùm pugnaret contra Licinium, fertur Conſtantinus vidiſſe duos equites cædentes legiones hoſtium, & in agro Byzantino vidiſſe lumē ſa-is coruſcans ſupra caſtra. Et antea cùm certamen fuiſſet ante oculos vrbis contra Maxentium, conſpexiſſe in aere crucem irradiantem ſuas legiones, quibus ſignis vbique cælitus victoria data eſt. Ea vera eſſe quis eſt, qui ambigat? Vetuſtas enim perſuaſit Caſtorē & Pollucē bis hoſtes imperij Romani profligaſſe bello Latino, & bello Macedonico. Vtinam qui pugnant, certa ſtarent erga deum fide. Sed præliandum eſſet contra hoſtes fidei. Tunc ſigna certæ victoriæ noſtris turmis & cohortibus diuinitus micarent. Sed quoniam ſemper bello ciuili occupantur Chriſtiani, & odio inteſtino pacem inuenire non poſſunt, & quamdiu hæc rabies erit, non ceſſabunt furta, rapinæ, raptus mulierum & puerorum, cædesq; ſine diſcrimine ætatis & ſacerdotij reuerentia, vaſtationes agrorum, direptiones vrbium atq; euerſiones, & temp is minimè parcunt, viri ſacrilegi quieſcentes mortuos turbant, auidi ſanguinis ciuilis ac prædæ. Mali dæmones ſic implicuêre noſtras mentes, vt relictis veris hoſtibus, quos longa pace frui permittimus, in nos noſtrorumque membra armatas & ſanguinolentas conuertamus manus. Baſſarides Bachi nomine concitatæ in furorem, ſe inuicem non trucidabant. Achaue, quæ non ſemi am bacchantem, ſed ir-
religio-

religiosum filium trucidauit, vbi ad se rediit, secessit in antrum, & locum pœnitentiæ dedit. At nos numquam cædis pœnitet. Imò existimamus ad laudem & gloriam accedere, quamplurimos interficere, ac si hostes non ciues essent. Culpandíne sint principes, qui ad tam perniciosum facinus stipendia soluunt, iudicent alij. Illud verò ausim dicere, Christianos omnes sub vno signo crucis militare, & nostram religionem vnicam esse Rempublicam, vnicam ipsius Dei vrbem, cuius nos ciues sumus, & bellum inter nos esse non posse, nisi ciuile. Iusta arma nostro seculo inter tot Reipublicæ Saluatoris nostri reges ac duces, vnus Ferdinandus rex Hispaniarum mouit, cuius ingenita virtus diuinitus adiuta, victis, fugatis, partim cæsis, & partim sub iugum actis hostibus, palmam diuinæ & immortalis gloriæ inuenit. Vt nam Deus felices proroget annos, vt sedatis motib⁹, quos omni via placare studet, ad laudabile & sanctissimum redeat opus, vnde plures coronas quas meretur, sibi atque vxori latiùs vindicet. Iam satis commodè digressi sumus. Licinius laude non caruit in eo, quòd appellare solebat eunuchos & secretiores aulicos, qui fumos venderent, tineas & mures palatij. *Pompon. Lætus.*

LIcinio Dacia natale solum fuit. Militaris disciplinæ ad veterem normam seuerissimus exactor. Rusticis & agrariis hominibus (ex eo enim genere fluxerat) æquus; auaritiæ & Veneris studio infamis, moribus planè barbaris: & literis adeò infestus, vt virus, ac pestem publicam eas appellaret: sed cur eas non odisset, quarum adeò expers erat, vt ne decretis

quidem, ſubſcribere poſſet? Illud in eo non reprehendas, quòd ſpadonum, aulicorumq; inſolentiam mirè compeſcuit, tineas, ſoricesq; palatinos appellans. Hunc Conſtantinus nouas res molientem, primùm in Pannoniæ campis fudit, mox reparantem vires incredibili celeritate ex Europa in Aſiam expulit: maleque reconciliata iterum gratia per Conſtantini ſororem Conſtantiam, quæ illi vxor erat, cùm rebelles animos homo vecors retineret, etiam contra ſacramenti fidem Theſſalonicæ interfici iuſſus eſt. Imperauit ann. XIIII. ſexagenario maior, Chriſtianis infeſtiſſimus. Vnde illi diſcordiarum ſemina aduerſus Conſtantinum acriora. *Egnatius.*

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS ET CONSTANS FF. *Conſtantini Magni.*


ONSTANTIVS in Perſas vario ac magis difficili pugnauit euentu. Præter enim leues excubantiū in limite congreſſiones, acriori Marte nouies decertatum eſt; per duces ſuos, ſepties; ipſe præſens bis affuit veris & grauibus pugnis. Verùm Singarena præſente Conſtantino, & iterum Singarena Conſtantinienſium & Amida capta eſt. Graue ſub eo principe Reſpublica vulnus accepit. Ter autem eſt à Perſis obſeſſa Niſibis: ſed maiore ſui detrimento, dum obſideret, hoſtis affectus eſt. Narſenſi autem bello, vbi Narſeus occiditur,

tur, superiores discessimus. Nocturna verò in agro Eleiensi prope Singaram pugna; vbi præsens Constantius affuit; omnium expeditionũ compensatus fuisset euentus, si locis ac nocte aduersantibus, percitos ferocia milites, ab intempestiuo pugnandi tempore, Imperator ipse ad alloquendum reuocare potuisset; qui tamẽ inuicti viribus, improuisi aduersus sitim aquarum subsidiis, incumbente iam vespere castra Persarum aggressi, ruptis munitionibus occuparunt. fugatoque rege, quum à prælio respirantes, prætentis luminibus repertæ inhiarent aquæ, nimbo sagittarum obruti sunt, cùm stolidè ad dirigẽdos certiùs in se ictus, lumina ipsi per noctem accensa præberent. *Sextus Rufus.*

SVccessores filios tres reliquit, atque vnum fratris filium. verùm *Dalmatius* Cæsar prosperrima indole, neque patruo absimilis, haud multò pòst oppressus est factione militari, & *Constantio* patruele suo sinẽte potiùs quàm iubente. *Constantinum* porrò, fratri bellum inferentem, & apud Aquileiam inconsultiùs prælium aggressum, *Constantis* duces interemerũt. ita Respubl. ad duos Augustos redacta est. Constantis imperium, strenuum aliquamdiu & iustum fuit: mox cùm & valetudine improspera, & amicis prauioribus vteretur, ad grauia vitia conuersus, cùm intolerabilis prouincialibus, militibus iniucundus esset, factione *Magnentij* occisus est. Obiit autem non longè ab Hispaniis, in castro cui Helenæ nomen est, anno imperij XVII. ætatis trigesimo: rebus tamen plurimis strenuè in militia gestis, exercituique per omne vitæ tempus sine graui crudelitate ter-

ribilis. Diuersa Constantij fortuna fuit, à Persis enim multa & grauia perpessus, sæpe captis oppidis, obsessis vrbibus, cæsis exercitibus; nullumq; ei contra Saporem prosperum prælium fuit: nisi quòd apud Singaram, haud dubiam victoriam ferocia militum amisit; qui pugnam seditiosè & stolidè contra rationem belli, die iam præcipiti poposcerunt. Post Constantis necem, Magnentio Italiam, Africam, Gallias, obtinente; etiam Illyricum res nouas habuit; *Veteranione* ad imperium consensu militum electo: quem grandæuum iam, & cunctis amabilem diuturnitate & felicitate militiæ, ad tuendum Illyricum principem creauerunt: virum probum, & morum veterum, ac iucundæ ciuilitatis: sed omnium liberalium artium expertem; adeo vt ne elementa quidem prima litterarum, nisi grandæuus, & iam Imperator, acceperit. Sed à Constantio, qui ad vltionem fraternæ necis, bellum ciuile commouerat, abrogatum est Veteranioni imperium: qui nouo, inusitatoque more, consensu militum deponere insigne compulsus est. Romæ quoque tumultus fuit; *Nepotiano* Constantini sororis filio, per gladiatoriam manum imperium inuadente: qui sæuis exordiis dignum exitum nactus est. vigesimo enim atque octauo die à Magnentianis ducibus oppressus, pœnas dedit: caputque eius pilo per vrbem circumlatum est: grauissimæ proscriptiones & nobilium cædes, fuerunt. *Eutrop.* 10.

NOn multò post Magnentius apud Mursam, profligatus acie est, ac penè captus; ingentes Romani imperij vires ea dimicatione consumptæ.

sumptę sunt, ad quælibet bella externa idoneę, quæ multum triumphorum possent securitatisque conferre. Orienti mox à Constantio Cæsar est datus, patrui filius *Gallus*. Magnentiusq; diuersis prælijs victus, vim vitæ suæ apud Lugdunum attulit, imperij anno tertio, mense septimo: frater quoque eius Senonis; quem ad tuendas Gallias Cæsarem miserat. *Eutrop*. 10.

PEr hæc tempora etiam à Constantio multis inciuilibus gestis, Gallus Cæsar occisus est: vir natura ferus, & ad tyrannidem pronior, si suo iure imperare licuisset *Syluanus* quoque in Gallia res nouas molitus, ante diem trigesimũ exstinctus est. Solus in imperio Romano eo tempore *Constantius* Princeps & Augustus fuit. Mox *Iulianum* Cæsarem ad Gallias misit, patruelem suum, Galli fratrem; tradita ei in matrimonium sorore; cùm multa oppida barbari expugnassent, alia obsiderent, vbique fœda vastitas esset, Romanumque imperium non dubia iam calamitate nutaret: à quo modicis copiis apud Argentoratum Galliæ vrbem, ingentes Alamanorum copiæ exstinctæ sunt, rex nobilissimus captus; Galliæ restitutæ; multa postea per eundem Iulianum egregiè aduersum barbaros gesta sunt; submotiq; vltra Rhenum Germani, & finibus suis Romanum imperium restitutum. Neque multò pòst, cùm Germanici iam exercitus à Galliarum præsidio tollerentur, consensu militum *Iulianus* factus Augustus est: interiectoque anno, ad Illyricum obtinendũ profectus est, Cõstantio Parthicis bellis occupato: quibus rebus cognitis, ad bellum ciuile conuersus, in itinere obiit, inter Ciliciam

Cappadociamque, anno imperij octauo & trigesimo, ætatis quinto & quadragesimo: meruitque inter diuos referri: vir egregiæ tranquillitatis, placidus, nimis amicis & familiaribus credens; mox etiam vxoribus deditior: qui tamen primis imperij annis ingenti se modestia egerit: familiarium etiam locupletator: neque inhonoros sinens, quorũ laboriosa expertus fuisset officia. ad seueritatem tamen propensior, si suspicio imperij moueretur; mitis aliàs; & cuius in ciuilib⁹ magis quàm in externis bellis sit laudanda fortuna. *Eutrop.* 10.

QVo mortuo, *Dalmatius* militum vi necatur. Ita ad tres orbis Romani dominatiò redacta est, *Constantinum*, & *Constantium*, ac *Constantem*, filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt: *Constantinus* iunior, cuncta trans Alpes: *Constantius*, à freto Propontidis, Asiam atque Orientem: *Constans*, Illyricum, Italiamque & Africam; Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque, & Achaiam: *Annibalianus*, Dalmatij Cæsaris cõsanguineus, Armeniam nationesq; circumsocias. *S. Aurel. Victor Histor. antiq.*

INterim ob Italiæ Africæq; ius dissentire statim Constantinus & Constans cœperunt. Cõstantinus, latrocinij specie, dum incautus fœdeque temulentus in aliena irruit, obtruncatus est, proiectusque in fluuium cui nomen *Alsa* est, non longe ab Aquileia. Constans verò, venandi cupidine ductus, dum per siluas saltusque erraret, cõspirauere aliquanti militares in eius necem, auctoribus Chrestio & Marcellino, simulque Magnentio: qui, vbi patrandi

negotij

negotij dies placuit, Marcellinus, natalem filij simulans, plerosque ad cœnam rogat. itaque in multam noctem conuiuio celebrato, *Magnentius*, quasi ad ventris secreta secedens, habitum venerabilem capit. Ea re cognita, Constans fugere conatus, apud Helenam oppidũ Pyrenæo proximum, à Gaisone cum lectissimis misso interficitur, anno tertiodecimo Augustę dominationis, (nam Cæsar triennio fuerat) æui septimo vicesimoque. Hic fuit debilis pedibus manibusque, articulorum dolore: fortunatus cæli temperie, fructuum prouentu, nulla à barbaris formidine: quæ profectò maiora fierent, si prouinciarum rectores non pretio, sed iudicio prouexisset. Huius morte cognita, *Vetranio* magister militum, Imperium in Pannonia apud Mursiam corripuit: quem Constantius non post multos dies regno exuit, grandæuæ ætati non vitã modò, sed etiam voluptarium otium concedens. Fuit autem prope ad stultitiam simplicissimus. *S. Aurel. Victor Histor. antiq.*

CONSTANTIUS *Gallum*, fratrem patruelem, Cæsarem pronuntiat, sororem Constantinam illi coniungens. *Magnentius* quoque *Decentium*, consanguineum suum, trans Alpes Cæsarem creauit. His diebus Romæ *Nepotianus*, Eutropiæ Constantini sororis filius, hortantibus perditis, Augusti nomen rapit; quẽ octauo die vicesimoque Magnentius oppressit. Hoc tempore Constantius cum Magnentio apud Mursiam dimicans, vicit. in quo bello pænè numquam amplius Romanæ consumptæ sunt vires, totiusque imperij fortunæ pessumdatæ. Dehinc cùm se Magnentius in Italiam recepisset,

apud Ticinum plures fudit; incautiùs & (vt in victoria solet) audaciùs persequentes. Nec multo post apud Lugdunum coangustatus, gladio occultè prouiso, ictum pulsu parietis iuuans, transfosso latere; vt erat vasti corporis, vulnere, naribusque & ore cruorem effundens; mense imperij quadragesimosecundo, ætatis anno prope quinquagesimo, expirauit. Ortus parentibus barbaris, qui Galliam inhabitant. legendi studio promptus, sermonis acer, animi tumidi, & immodicè timidus: artifex tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem. Eius morte audita, Decentius, laqueo fasciæ ad collum posito, vitam finiuit. *Sex. Aurelius Victor Historiæ antiquæ.*

HOc tempore Gallus Cæsar à Constantio occiditur. imperauit annos tres. *Siluanus*, Imperator effectus, die imperij vicesimooctauo perimitur. Fuit ingenio blandissimus quamquam barbaro patre genitus, tamen institutione Romana satis cultus & patiens. *S. Aurel. Victor Historiæ Antiquæ.*

C*Onstantius Claudium Iulianum*, fratrem Galli, honore Cæsaris assumit, annos natum ferè tres atque viginti. Iste in campis Argentoratensibus apud Gallias, cum paucis militibus, infinitas hostium copias deleuit. Stabant acerui montium similes: fluebat cruor fluminum modo: captus rex nobilis Chonodomarius: fusi omnes optimates: redditus limes Romanæ possessionis. ac postmodum cum Alamannis dimicans, potentissimum eorum regem Badomarium cepit. Hic à militibus Gallicanis Augustus pronuntiatur. Hunc Constantius

tius vrgere legationibus, vt in statum nomen q; pristinum reuertatur. *S. Aur. Vict. Hist. antiq.*

IGitur confestim Dalmatius, incertũ quo suasore, interficitur: statimq; triennio pòst minimũ maximumq;, fatali bello *Constantinus* cadit. Qua *Constans* victoria tumidior; simul per ætatem cautus parũ, atq; animi vehemens: adhuc ministrorũ prauitate exsecrabilis, atq; præcep: in auaritiam, despectumq; militariũ; anno post triumphũ decimo, Magnentij scelere circũuentus est: externarum sanè gentium cõpressis motibus quarũ obsides, pretio quęsitos pueros venustiores, quod cultius habuerat; libidine huiusmodi arsisse pro certo habetur. Quæ tamen vitia vtinam mansissent. namq; Magnentij, vtpote gentis barbaræ, diro atroq; ingenio; simul his quæ pòst accidêre, adeo exstincta omnia sunt; vt illud imperiũ haud iniuria desideraretur; tum quia *Vetranio*, litterarũ prorsus expers, & ingenio stolidior, idcircoq; agresti vecordia pessimus, cùm per Illyrios peditum magisterio milites curaret; domina ionem, ortus Mœsiæ superioris locis squalidioribus, improbè occupauerat.

Eum *Constantius* cis mensem decimum, miræ facundiæ vi deiectum imperio, in priuatum otium remouit: quæ gloria post natum imperium, soli processit eloquio clementiaque. Nam cùm magna parte vtrinique exercitus conuenissent; habita ad speciem iudicij concione: quod ferè vix aut multo sanguine obtinendum erat, eloquentia patrauit. Quæ res satis edocuit; *non modò domi*, verùm militiæ quoque dicendi copiam præstare: qua demum

vel ardua procliuius eò conficiuntur, si modestia atq; integritate superet. quod maximè cognitum è nostro Principe. quem tamen, quominus statim in hostes alios ad Italiam contenderet, hiems aspera, clausæque Alpes tardauere. Interim Romæ corrupto vulgo; simul Magnentij odio, *Potentianus*, materna stirpe Flauio propinquus, cæso Vrbi Præfecto, armataq; gladiatorum manu, Imperator fit. cuius stolidum ingenium adeo plebi Romanæ Patribusq; exitio fuit, vti passim domus, fora, viæ, templaque cruore ac cadaueribus opplerentur, bustorum modo: neque per eum tantùm, verùm etiam aduolantibus Magnentianis: qui tricesimo die, triduo minus, hostem perculerant. Sed iam antea, cùm externi motus suspectarentur; Magnentius fratri *Decentio* Gallias, Constantius *Gallo*, cuius nomen suo mutauerat, Orientem, Cæsaribus commiserant. Ipsi inter se acrioribus præliis per triennium congressi: ad extremum Constantius, fugientem in Galliam persequutus variè, ambos supplicio semet adegit interficere. Et interea Iudæorum seditio, qui Patriciũ nefariè in regni specie sustulerant, oppressa. Neque multò pòst, ob sæuitiam atque animum trucem, Gallus Augusti iussu interiit. Ita longo interuallo, annum ferè post septuagesimum, relata ad vnum cura Reipubl. quæ recens quieta à ciuili trepidatione, Siluano in imperium coacto, tentari rursus occœperat. Is namq; *Siluanus*, in Gallia ortus barbaris parentibus, ordine militiæ; simul à Magnentio ad Constantium transgressu, pedestre ad magisterium adolescentior meruerat. E quo dum altiùs per me-

tum

tum seu dementiam conscendisset; legionum, à quis præsidium sperauerat, tumultu octauum circa ac vicesimum diem trucidatus est. Qua causa, ne quid apud Gallos natura præcipites nouaretur, præsertim Germanis pleraq; earum partium populantibus. * *Sex Aurelius Vict. de Cæsarib. part. 2.*

POst Constantinum liberi eius Augusti, id est Constantinus Constantius & Constans: qui regnauerunt annis XXIIII. mensib. V. diebus XXIII. sub quibus hi consules fuerunt.

Acyndinus & Proculus.

Marcellinus & Probinus.

Constantius III. & Constans II. *His COSS. Constantinus bellum fratri Constantio inferens, iuxta Aquileiam Alsæ occiditur.*

Placidus & Romulus.

Leontius & Sallustius. *His COSS. Franci à Constante perdomiti, in pacem recepti sunt.*

Constantius IIII. & Constans III.

Amantius & Albinus.

P.C. Amantij & Albini.

Rufinus & Eusebius. *His COSS. magnis rei publ. expensis in Seleucia Syriæ portus efficitur.*

Philippus & Sallia. *His COSS. Solis facta defectio.*

Limenius & Catulinus.

Sergius & Nigredianus *His COSS. Constans haud longè ab Hispania, in castro cui Helenæ nomen est, interficitur, anno ætatis XXX. & Constantius remansit in regno.*

P.C. Sergij & Nigridiani.

Constantius V. & Constans Cæs.

Constantius VI. & Constans Cæs. II.

Constantius VII. & Constans Cæs. III.
Arbitrio & Lollianus. *His COSS. Victorinus rhetor & Donatus grammaticus Romæ insignes habentur.*
Constantius VIII. & Iulianus Cæs.
Constantius IX. & Iulianus Cæs. II. *His COSS. magnæ Alamannorum copiæ ad Argentoratum oppidum Galliarum à Cæs. Iuliano deletæ sunt.*
Titianus & Cerealis.
Eusebius & Hypatius.
Constantius X. & Iulianus Cæs. III. *His COSS. Honoratus nomine, primus Constantinopoli Præfectus vrbi esse cœpit.*
Taurus & Florentius.
Mamertinus & Neuitta. *His COSS. Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamq; moritur, an. ætatis* XLVI. Cassiodor.

Diuisio imperij Romani.

Constantino obuenere Galliæ, Hispaniæ, & alpes Cottiæ, Britanniæ, Orcades, Hybernia, Thyle: Constanti Italia & Africa cum insulis, Illyricum, Macedonia, Achaia, Peloponessus, Græcia: C. Constantio Oriens & Thracia, cuius caput Constantinopolis. & cum eo Dalmatius imperauit in omni actione, patruo quàm patri similior, sed virtus obfuit. Nam factione Constantij patruelis, vt diximus, seditione militari interfectus est, cùm imperasset annis. III. neque prohibente, neque iubente Constantio; sed credibilius est huius clandestino consilio facinus peractum fuisse: Constantinus qui in Gallia imperabat, minimè contentus, legatos misit ad fratres, petens vt fieret noua diuisio. & cùm

cùm non proficeret, post longas querimonias fisus opibus Gallicanis, & equitibus Hispanis, & alpino peditatu, bellum ciuile contra ius & fas mouit, & primum inuasit propinquas regiones. Constans tunc erat in Dacia pugnans contra Getas & Sarmatas. Constantinus ad Aquileiam peruenerat. Cuius in agro obuiam fiunt milites à fratre missi, qui conatum repellerent. & cùm ille longè viribus præstaret, quia per summum nefas arma ceperat, incautiùs congreditur, lapsusque est in insidias, quibus exercitus circumuentus in medio cæditur. Equus principis, vulnere ictus sessorem Constantinum deiecit. Cùm iaceret humi sine purpura incognitus, multis ictib. cõfossus est. Imperauit triẽnio nondũ finito. Vixit ann. xxv. *Pomp. Lætus.*

Constans post meritam cædem fratris omni conatu superatis alpibus, Galliam intrat, varioque euentu pugnans biennio partem fratris assecutus est. Præfuit aliquandiu vt bonus rector. pòst siue debilitate naturę, siue amicis suadentibus, animum ad delicias flexit: ex quo in leues articulorum incidit ægritudines, quæ hominem reddiderunt difficilem, morosum, austerum: vnde factus est prouincialibus grauis, & militibus illiberalis: ea causa seditionem peperit. Erat in exercitu Magnentius comes ordinum Augustæ: vrbs est Germaniæ. Conuiuium militibus exhibuit à mane ad vesperas more gentis: inde cubiculũ ingressus, statimq; egressus est indutus purpura, multis satellitib⁹ cinctus: qui conscij non erant, coacti sunt assentiri, abiitq; cũ omni turba in prætoriũ, & donatiuũ dedit, positis custodib. cauit ne quis rẽ ape

riret aut referret. Constans quærens mitigare tædia articularis morbi, vbicunq; fuisset, venatibus operam dabat, & ad syluas diuertebat, vbique cum formosis pusiunculis ludebat & bacchabatur, etiam fruens illorum tenera ætate. Ad eum missi percussores, qui insidiarentur, offenderunt Constantem venatione fessum quiescentem: ingressi tentorium nihil tale cogitantem interficiunt. Quidam dicunt eum vigilem cognouisse parricidas, & abiisse in propinquum templum, & insignia imperij deposuisse, & ab altaribus tractum cæsum fuisse. Scribunt eius horoscopum inspectum à mathematico, qui dixit periturum gremio genitricis. nam Helena auia, mortua Fausta matre Constantini, filios nutriuit, & vt parens. Constans occisus est in oppido haud longè ab Hispaniis, cui Helenæ nomen erat Constans si exemplo Ciceronis didicisset, non armasset in suam cædem Magnentium. Opilius Lænas reus capitis M. Tullio defensori caput abscidit. Magnentius seruatori suo mortem intulit. Nam cùm milites exorto tumultu in Illyriis occidere vellent, obiecto paludamento imperator texit ac seruauit. Discant igitur qui legerint, illorũ misereri, & illos tueri quorum virtutes cognitas habeant: aliter pœna quam illi propter flagitia meruere, in defensorum capita resilit. Pauci præterea reperiuntur qui norint gratificari. Vixit Constans annis paulò plus x x x. imperauit x i i i. Milites trucidarij & coniurati, Magnentium Imperatorem salutant. Cùm hæc nuntiata essent Romæ, Nepotianus Imperator à populo & Mirmillonibus factus. Heraclides Senator fautor Magnentia-

Pompon. Lætus. næ fa

ex factionis populum decepit,factaq; proditione Nepotianum Augustorum sororis filium, quem gladiatores cingebant,simulans velle cũ eo loqui, obtruncat. Caput pilo fixum per vrbis itinera deportatum est.Imperauit dies duodetriginta.*Pompon.Laetus.*

¶ *De Magnentio.*

MAgnentius comes duorum ordinum dolo imperator factus, Constantis nomine literas scripsit sub illius signo ad eos qui præerant vel cohortibus vel vrbibus,qui statim ad imperatorem venirent, quos in itinere cædi iussit,vt non esset qui motũ faceret. Iam & Roma cesserat: eius enim factio plurimũ valebat Constantius tunc in oriente aduersam fortunam contra Persas experiebatur. Igitur ingẽti agmine Italiam petit & Mediolani diu immoratus, fratrẽ suum Decentium Cæsarem fecit, misitque cum exercitu vti Gallias tueretur.iamq; tota Italia & Africa Magnentij erant. Factio Illyricorum duce Britannione cum nouo imperatore sentiebat; ad Constantium legatos misit cum literis, vti oriente & Thraciis contentus esset, qui nihil respondit. Constantius Gallum patruelem Cæsarem fecit, & reliquit in Oriente: ipse Hesperios petiit vlturus fratris cædem, sed ne sua Roma bello ciuili vexaretur, misit ad Magnentium,concedens Galliã si arma deponeret. Tyrannus sperans vincere, non paruit. Ideo ambo ad pugnam se parant. Magnentio priusquã congrederetur,maga consuluit,virginem iugulare, & cruorẽ vino miscere, potandumq; militibus præbere (mos est immaniũ barbarorũ cùm aliquid secretiùs agunt) ipsa interea carmina per-

agebat. Post hæc ꝓfana sacra fit pugna vtrinq; magnis copiarũ viribus ad Mursam: vicit Constantius magna hostium & suorũ strage: verùm hostes ad multam partẽ noctis cæsi. Tyrannus dimisso equo & insignib. in habitu equitis aufugit, equũ suũ reliquit, vt qui viderent, existimarent sessorẽ esse mortuũ. Victor Imperator die sequenti conscendit tumulum ex quo tota planities conspici poterat: quã cùm vidisset repletam cadaueribus, ingemuit. Cæsa fuere supra LIIII. millia pugnatorum: omnes cæsi iussu principis sepulti sunt, qui verò vulnerati non perierant, victoris beneficio curati & conseruati. Exercitus tyranni fuit ex XXX. millibus: Constantij vero LXX. millia pugnatorum habuit. Periere illinc XXIIII. hinc prope XXX. Ea pugna attritæ fuerunt Imperij Romani vires: nam ij qui cæsi, & numero & robore ad quæuis externa bella satis fuissent. Magnentius postquam in tutum locum se recepit, reliquias profligati exercitus collegit, & nouo milite suppleuit, cupidus rursus aleam dimicationis tentare: & priùsquam experiretur, misit vnũ è senatoribus grandem natu ad Constantiũ, quòd vellet omnibus, præterquam Galliæ. Constantius hominem reiecit, opinatus illum speculatorem venisse. Pòst misit episcopos, nihil prouinciarum quærens, sed tantùm vt liceret militare ducis titulo, quibus nihil responsum est. Quod cùm accepisset exercitus tyranni, plerique milites ad ierunt ad victorem. Tyrannus intelligens sibi dimicandum fore, exercitum ex copiis Gallicanis reparauit, misitque dum milites cogeret, assuetum parricidam multis pollicitationibus,

tionibus Antiochiam, qui Gallũ confoderet, vt illo cæso Constãtius, relictis rebus Hesperiæ cogeretur Orientem petere propter Persas. Cùm trucidarius Antiochiam peruenisset, domũ cuiusdam vetulæ diuertit appositã fluuio Oronti, qui labitur per eam vrbẽ. Orontes antea dictus Ophites, pòst ab filio Cambyse regis Persarum ibi submerso vocatus Orontes. Hic in cœna post vina rem cõmunicauit cum paucis, quos inuitauerat, minimè expauescens mulierẽ ætate confectã. Illa clam se proripuit, & quod audiuerat ad Gallum retulit, qui statim omnes comprehendi iussit atq; necari, vbi quæstionibus ordine suo negotium aperuerũt. Magnentius quia tale consiliũ irritum fuerat, rursus præliari statuit. Victusque est & aufugit Lugdunum. Comites vt victori grati essent, consilium ineunt tyrãnum capere & Augusto tradere. Ille vbi se custodiri cognouit, cùm fugæ locus deesset, furorẽ simulauit, & primùm fratri Desiderio vulnera intulit, quæ non fuêre lethalia, pòst interfecit quosdam amicos, tandem se confodit. hic exitus fuit ingrati hominis. Decentius Cæsar, qui Gallias tuebatur, audito fratris casu, sibi metuens, laqueo apud Senonas vsus est. Desiderius accessit ad Constantium, ab quo liberaliter exceptus est. Geruntium Magnentianæ factionis comitem, exilio victor mulctauit dum in Gallia esset. *Pompon, Lætus.*

¶ *De Britannione.*

BRITANNION ante tyranni pericula, quocum conuenerat, & imperator ab Illyriciano exercitu appellatus Mursæ, quo tempore & Nepotianus Romæ posita purpura &

 Pompon. Lætus.

Gallica veste indutus, Constantiũ adiit, & obuius veniẽti factus est in Thracia, obuolutis pedibus veniã petiit & impetrauit. Imperator senem ducem amplexus, patrem eum vocauit, & cœnæ adhibuit, ab quo multa de Magnẽtio intellexit. Deinde iussit abire Prusiada Bithyniæ caput, & propinqua oppida voluit vt ad victum senis cõtribuerent, qui plures ministros secum ducens, illic magna quiete vixit annis sex, pòst decessit. *Pompon. Lætus.*

¶ *De Siluano.*

SIluanus Bonitij F. in Gallia natus, quì bello Liciniano clarus sub Constantino, tribunus sub Magnentio fuit, pòst defecit ad Cõstantiũ, ab quo missus in Galliã est. Imperator verò qui calumniis aures facilè præbebat, successus eius suspectos habuit: quærebat igitur insidiis circunuenire. Siluanus vbi accepit, pro concione questus est: ita à militibus Cæsar appellatus. Ad hunc motũ opprimendũ mittitur Vrsicinus, qui pecunia tribunos Siluani corrupit vt occiderẽt. Agrippinæ igitur de industria facto tumultu cæsus est: cuius cæde tam magno gaudio exultauit Cõstantius, vt ferè insanus haberetur. præfuit paulò plus duobus mensibus. *Pomp. Lætus.*

¶ *De Gallo.*

GAllus natus est in Massa Veternensi, patre Constantio, fratre Magni Constantini, matre Galla, Rufini & Cerealis, qui consulares erãt, sorore: ac liberaliter educatus, feros mores vincere non pòtuit. Profectus ad Orientem consedit Antiochiæ, vbi stimulante vxore omne genus sæuiendi expertus est. Illud verò nefandum & abhorrendum: noctu cum satellitibus

inco-

incognitus errabat per lupanaria & tabernas, explorans submissa voce Græco sermone, quid de Cæsare sentirent, & notabat singulos qui oblocuti fuissent: pòst aliquo reperto figmento trucidabat, quod antea in vrbe Roma fecisse Gallienum memoriæ proditum est. vtrunq; vxoris stimuli exagitabant. missus est ad eum Domitianus pręfectus pręt. ab Imperatore, qui de sceleribus Cæsaris iam senserat, vti cū Gallo secretius ageret, & persuaderet venire ad principem, quod cùm parū proficeret, addidit mandata & minas: indignatus Gallus, hominē comprehendi iussit, & custodiæ tradidit. Montium etiam quæstorem, qui tale facinus non probabat, coniecit in vincula, suadente vxore ambos per forum tractos & verberatos in fluuiū proiici mandauit. Quod vbi accepit Imperator, misit qui Gallum adducerent. Ille vxorem Constantiam ire ad fratrem iubet, placaturam eius indignationem, & hæc in itinere decessit. Cuius morte audita Constantius edicto Gallum dignitate priuauit, exilio damnat: & ne longiùs rem protrahat (omnem autem eius securitatē in morte Galli posuerat) percussoribus mandat iuuenem obtruncare. Hi fuere Seruianus reus maiestatis, paulò antè absolutus, & Pentadius notarius, & Apodemius, qui prenso Gallo & vti noxio manus post terga reuincto, ceruicem absciderunt. In foro truncus relictus est. pòst paulo quàm illi missi sunt, pœnituit Imperatorem, & destinauit citissimos qui prohiberēt, & ij retenti fuerunt ab Eusebio eunucho. Is enim erat præpositus cubiculi, cuius cōsilio princeps ferè omnia agebat, quamuis Gallus me-

ruerit pœnas dare. Imperauit annis IIII. Vixit vndetriginta Cõstantiæ corpus delatum ad vrbem, & in suburbano viæ Nomentanæ post primum lapidem sepulchro maiorum illatum est. Constãtius in Oriente aduersa fortuna res gessit, hostis enim semper superior fuit. Anno XI. imperij Persica palma præcepta semel est temeritate militum ad Singaram. nam octies cũ hoste congressus, & in hoc prælio cũ victoria pro eo staret ad hostes transit non sine graui vulnere. Amissa est Singara & Bizabda & Amida. Cũ accepisset de fratris cæde, dubius agebatur p manceretne contra acerrimos Persas, an ad vindicandam Europam remearet. Sapores Armenias vexabat. Iamq; Nisibin obsedit, quam vrbem Luculli arma iuris Rom. fecerãt, quo tempore Mithridates Ponticus ad opem Tigranis soceris confugerat. Nisibis vrbs est Mygdonię, sic appellauere proxima Syriæ Macedones, à nostris dicta Antiochia. Huic cùm capta fuit à Lucullo, præerat Guras Tigranis frater, quem Romanus dux apud se honorificè tenuit. Barbari Nisibin, Antiochus Antiochiam nominauit. Expugnandæ vrbi intentus Sapores, bellica tormenta admouit. Alueum fluuij qui mediam secat vrbem aliò ductis fossis deduxit, sed ex hoc non obfuit, propter frequentes illic fontes puteosq;, qui satis suppetebãt. Cumq; hoc nõ procederet, occlusit meatum fluminis, deinde emisit, vnde impetus aquarum subuertit partem mœnium. Nisibenses noctu citissimè obstruxerunt tabulis, trabibus & terra. Cùm illuxit dies rex vetitus ab expugnatione re infecta mœstus abiit. Nisibẽses muros instaurauere

re. In hac expeditione rerum amisit XX. millia hominũ. Massagetæ absentia regis ex superiore parte Persida inuaserant abigentes prædam. Rex regno tuendo properauit. Constãtius subsidiarios milites misit, Nisibin & mœnia firmari iussit, inducias cum Sapore fecit & priusquam Europam peteret, Gallum patruelem Cæsarem pronunciauit, iunxitq; ei matrimonio vxorem Constãtiam sororem suam, præfecitq; copiis Orientis. Ipse contra Tyrannos properauit & pacem vbiq; fecit, & cum vndiq; in Europa latè victor esset, sedatis bellis ciuilibus, ludos Arelatæ dedit ante VI. Iduum Octob. Quo die imperiũ sumpserat Italiam venit, Mediolani constitit, & inde vt Galliis subueniret, Iulianum patruelem adoptauit, misitq; in Gallias cum paucis militibus; ipse petiit vrbem comite Ormisda regis Persarum filio; nobilitatẽ vrbis & maiestatem admiratus est. Nobilitatẽ stans audiuit, vulgus sella curuli sedens in foro, & quũ hostes præter Persas deerant, suis manibus scripsit *Constantius totius orbis dominus*; insanior Domitiano, qui inscripsit, *Dominus & Deus vester Domitianus* Huius æmulus cœpit odio habere viros claros. cùm opera vrbis intueretur, ardor incessit statuam equestrem erigere similem illi quę Traiani erat in eius atrio: & Ormisdæ qui ponè sequebatur mentem aperuit. At ille subridens respondit prius oportere stabulum fieri molis equi capax. Imperator conticuit Locus admonet de Ormisda inspicere. Narses plures habuit more Persico vxores, ex illustribus suscepit Adarnassem, Ormisdam & Narsen. Ex humili generis vxore, verũ

supra cæteras formosa, genuit Saporem. Adarnasses successurus erat, quia maior natu, sed coronam non assecutus est ob ingenitam sæuitiā. Mesopotamij tentorium ex corio camelorum intexto auro arte Babylonica, dono miserunt ad Narsen. filio dedit Narses, & interrogauit an placeret. Respondit Adarnasses, magis ei placere si imperaret, quòd ex hominum coriis longè pulcrius facturus esset. Huius vocis memoria, & alia crudelissima quæ in initio regni fecit, regnum abstulit. Itaq; omnibus præpositus communi cōsensu Persarum Sapores, qui, cæso illo, Narsen fratrem luminibus priuauit, Ormisdam in vincula cōpegit. Huius verò mater & soror, & vxor, corruptis pecunia custodibus, carcerem ingressæ limam iuueni dederūt, quam secum tulerant: quo instrumento fibula compedum dissoluta est: Vbi opus peregit, illæ pingue conuiuium custodibus exhibuere: qui dum cibo & potu graues quiescunt, Ormisda aufugit, & in castra Romanorum venit vltimis Constantini Magni annis. Sapores re intellecta vxorem sequi maritum iussit. Ormisda bello ciuili à Constantio præpositus est turmis equitū. Fuit enim vir fortis ac certus iaculator, nunquam iaculum frustra emittens, antè designās quò esset iaculaturus. Bellis Europæis eius claritudo omnibus nota fuit, & magnam sibi laudem propagauit. Constātio redeunti ad Orientem, legati Saporis occurrunt ad Sirmium, petentes restitui Mesopotamiam & Armenias, aliter pax non esset. Constantius Augustus ad hæc rescripsit, Persas seruisse Macedonibus, & Macedonas seruire Romanis; hac ratione iniuria

ria petis. Mesopotamiam maiores nostros cœpisse, Persas irrupisse latronum occupantium more, Armenias cessisse Romano imperio victo Tigrane, contra quem iustum bellum gessit L. Lucullus, qui Mithridatem hostem populi Romani hospitio, & affinitate fouendum exceperat; & ipsum Mithridatem nulla contumelia lacessitum, sponte iniuriis ac cædibus affecisse Romanos; & Persas irrupisse sæpiùs in Armenias, & à patre tuo Narse non bello occupatas, sed insidiis interceptas. Qua de re desine hæc petere quæ nostro iure tuemur: pacem quã petis, minimè, sed cõditiones eius recusamus. Sapores lectis literis bellũ mouit, Nisibin frustra obsidione tentauit: nam inde repulsus est. Pòst in alias vrbeis profectus, tantum Amida potitus est, quæ non satis firmo præsidio tenebatur, eam solo æquauit. Ea res coegit Constantium consortem eligere, censuitq; accersiri Iulianum patruelem, Galli fratrem, quem adoptauit pro concione ad milites, & Cæsarem fecit. Non me præterit qui sub Constantio militarunt, scribere Iulianum adoptatum fuisse in Gallia Cisalpina propter irruptionem Germanorum, qui Gallias vastabant, vt ab rapinis hostilibus Gallias, quas præcipuè amabat, liberaret. Alij scribunt Athenis adoptatum. vbicunque fuerit, assensu militari purpurã induit ante diem VIII. Iduum Nouemb. Arbitione & Lolliano COSS. & Galliam missus, priusquã proficisceretur, Helena Constãtij soror ei iuncta matrimonio est. & quia periculũ imminebat, Calend. Decemb. egressus cum exiguo supplemento, deductusq; est per aliquot millia passuũ ab

Aug. maturauitq; iter Taurinos versus. Ferunt consilio Eusebij quærentis perdere totum genus Cōstantini, paucos milites fuisse datos Iuliano, vt ab hostibus occideretur: quod illud præcipuè indicat, quoniam obsesso apud Senonas, auxilium nō misit. Secus euenit: re enim bene gesta in Galliis sæpiùs hostes profligauit, vltra Rhenum coegit, multos captiuos abduxit, X L. ferè millia nostrorū, qui belli iure seruiebant, ab Alemannis recepit, & propè Argentoratum vrbem Galliæ totum ferè Alemannorum exercitū perdidit. Iam inde Barbaricæ cladis monimentum habuit, quod nisi cōtigisset, vrbs minimè nota in obscuro esset. & præter omnium opinionem, in solo hostili multa præclara gessit. Cumq; eius successus felix haberetur, non caruit calumniis apud Augustum. & erant qui appellabant eum loquacem talpam, ali purpuratam simiam, alij græcanicum literionem: & erant, qui mollem Asianum, Græculumq; fallacem & sub specie sapientię stolidum. Constantij enim aures ad fidem præstandam faciles pronæq; erant. quod cùm sciret Iulianus, ægrè tulit, & metuit ne idem sibi, quod Gallo fratri, eueniret. ideo iam tunc cœpit cautior esse; & post victoriam ingentis pugnę cùm hostium peremptorum magni acerui essent, ca daucra in fluuium proiecta concordi assensu victoris exercitus vocatus est Imperator, & inde Augustus. nomen Augusti pertinacissimè renuit: hinc tumultus militum fuit, nudatis ensibus cogentium meritum cognomen accipere. Itaq; vt illi quiescerent annuit. non reperiebatur diadema, faceie tentauerunt ex mun-

do muliebri. Iulianus vetuit, asserens non esse boni euentus augurium. Tribunus coronā attulit non longe differentem ab corona, quæ solet in xysto victoribus dari. Marcellinus scribit Maurum comitem ordinis detraxisse sibi torquem (draconarius enim erat) & capiti principis aptasse. Pòst verò vsus est diademate micantibus gemmis exornato. Fœdus cum Alemannis percussit, illis restituentibus ablata. Deinde misit, ad Constantium Pentadium quendā magistrum copiarum cum literis, in quibus erat tantummodo Cæsaris titulus Summa literarum hæc fuit: Milites sæpiùs victores, & qui diu pro Republica pugnauerunt, vt præmia laborum & diuturni sudoris petere possent, mé licet repugnantem, Imperatorem appellauere. Non ignoras antiquæ consuetudinis esse, qui sub ducibus ac Cæsaribus militant, non licere præmia Romano iure poscere; quia ea causa iusta censeri debet, te exoro qui communis es parens, vt æquo animo ad communionem imperij me patiaris, ne miseri milites frustra effudisse sanguinem videantur. Addebat in fine se polliceri missurum certatores equos ex Hispaniis, & promptos milites ex Galliis. id quidem erat annuum tributum Erat Constantius cùm accepit epistolam Iuliani, Cæsareæ in Cappadocia; vltra solitum excanduit. Cæsarea antè dicta Mazaca, est posita in radicibus Argei montis. & nihil rescribens edixit expeditionē contra Persas, pro qua Orientem petierat, ita suadentibus qui vtilitatem Reipub. quærebant. Eius animus cùm legit literas, præceps fuit vertere copias contra Iulianum. pòst paulò lega-

tos placidè abire iussit, quibuscum misit Leonam quæstorem cum mandatis, cui & literas dedit: in quibus admonebat iuuenem vt Cæsaris nomine contentus, Augusti maiestatem poneret. Leonas Parrhisiis exceptus honorificè est. Et postquam in campum cum armata multitudine stans pro tribunali velut concionaturus, literas Imperatoris legit, cùm ventum est ad Cæsaris nomen, omnis turba clamitare cœpit. *Iuliane Auguste salue, Iuliane Auguste, dij te seruent, Iuliane Auguste, dij te sospitent.* Postea vnum ex his quæ mandauerat Constantius, actum est, hoc est, Nebridium præfectum prætorio factum, submoto Florentio: & hoc minimè processisset, nisi Iulianus ex sua sententia prouenire diceret. Iulianus, ne ardor militum frigesceret, legatos rursus ad Constantium mittit, ipse profectus est ad limites Germaniæ. Imperator interea accersiuit Arsacem regem Armeniæ, vti fidus cum Romanis perseueraret, neu fallaciis Persarum animaduerteret. Pòst misit ad reges Transtigritanos, vt in fide permanerent, ne deficerent ad Persas. Iulianus in Germania ordinatis rebus, statuit Viennæ hyemare. Non desunt qui scribunt mandatum fuisse Leonæ, vt obiiceret beneficia Imperatoris Iuliano, vt homini ingrato: & illum questum etiã de Constantio, de cæde parentum ac fratris, & inuocasse vltores deos, deinde iussisse abire omnes ab exercitu, qui dicta Constantij probarent. At vxor Constantij Augusti moritur, & ducta est Faustina, vtraq; forma pulcherrima: sed illa mœstitia ac dolore interiit impotentia genialis thori. Cùm ad bellum ciuile Iulianus

se

se pararet, existimans Constantium nunquam ad concordiam venturũ, vxor eius Helena moritur. Iussit corpus Romam perferri, & sepeliri in suburbano Nomentanæ viæ, vbi antea Constantia soror sepulta erat. Falsum est quòd iam pridem sororem expulerit, quæ castissima erat. Iulianus fertur dixisse militibus, vt se pararent contra Constantium, priusquam ille aduersus se moueret impetum. In ipsa expeditione, quia multi erãt in exercitu Christiani, iussit vti quisque coleret, quos vellet deos. Ipse verò ne ab fide abhorrens animos militum alienaret, ingressus templum in natali Saluatoris: vt alij dicunt, in solenni Epiphaniæ, & vnà cum cæteris adorauit, & diuinis rebus interfuit. Pòst vt se corrigeret, dicebat se properare vt coniungeret exercitus, & præsciret quo die esset Imperator moriturus, vt per nocturnam quietem præmonitus erat, quando vocem audierat: *Cùm Iuppiter erit in fine Aquarÿ & Saturnus in XXV. parte Virginis, Constantius dominus Asiæ morietur.* Cùm ex Antiochia veniret Tarsum Imperator Aug. vt Iuliano obuiam iret, incidit in febriculam semper æqualem, ratusq; est gestatione aboleri. Vectus lectica est per inuia itinera vsq; ad radices Tauri montis Ibi in statione quadã quæ appellatur fons Mopsi, Græcè Mopsocrenis, intrinsecus exurente calore, aucta febris est, adeo vt corpus tangi non possit. Hic cùm deficeret, successorem statuit Iulianum, pòst paulò mortuus est ante III. Non. Octob. Vixit annos XL. & paucos menses; Imperauit an. XXIIII. Iulianus vbi accepit de morte Constantij, citissimè petiit Constãtinopolim. Corpus principis con

^a *Pompon. Lætus.*

ditum in loculo, Iouinianus qui pòst imperauit, domesticorum protector, cum regia pompa Constantinopolim perduxit, & sepulcro maiorum intulit, interq; diuos relatus est. Prope finē vitæ se palā accusare solebat, ꝙ occisor suorum fuerit, quòd Iulianum Cæsarem fecisset, & quòd in noua credulitate numinū esset. Natura debilis ad coitum fuisse traditur. in victu parcissimus. Lata lege, vetuit phasianum & sumen cōuiuiis inferri. nunquam spuisse memoratur. In iudiciis iustus & moderatus, si secretiores consultores non habuisset: ad iram tardus, bellis ciuilibus fortunatus, Persicis semper infelix: Sarmaticis varius: bis Sarmatici cognomen inscripsit. Nam cùm Sarmatis, Dacis, & Quadis fœdera feriret, & in suggestu orationem haberet, barbaris malè audientibus quòd ad hoc opus assueti non erant, vnus è Quadis secessit, & stercore alterū è calceis repleuit, sub veste tulit, & propiùs accedens in vultum concionantis proiecit. Id dedecus mereri puto, qui inter rusticos aut philosophari aut rhetorice loqui volunt. In fide semper fauit Arrianis, quorum causa synodum habendā præcepit. Statuta est conuentus dies. Imperator indignatus erat, quòd mandauerat Alexandro Episcopo nouæ Romæ, vt in communionē exciperet Arrium cum tota factione, & Alexander negauerat, qui prostratus orabat ne sineret Deus à pernicioso lupo suum ouile corrumpi. Tempus appetit. Arrius cum argumentosis syllogismis ingressus est, fauente Eusebio Eunucho. & in initio priusquam pudendum os solueret, correptus cœliaco dolore, secessit vt o-

nus ventris deponeret: & cùm niteretur vi expellere, vnà cum ſtercore animam emiſit. Hunc finem meruit homo perfidus ac malignus, qui venenum in vrbe Dei latiùs ſeuit aconito vehementius: vnde geniti in fide Saluatoris ignes inextinguibiles, quibus Aſia, Africa, & bona pars Europæ fidelibus & iuxtà credētibus ereptæ ſunt. Præfuit Alexander annis XXIII. Succeſſit Paulus homo iuſtus, quem Conſtantius conſilio Euſebij Eunuchi ſubmouit, & in eius locum ſubrogauit Euſebium Epiſcopum Nicomedienſem militem Arrij. Paulus ad vrbem Rom. ſe contulit, petiitq; ab Epiſcopi Rom. au ctoritate reſtitui in ſuam dignitatem: & quoniam vitæ ſanctitas merebatur, ab Iulio pont. in ſedem reſtitutus eſt. Conſtantius indignatus, hominem exilio priùs mulctauit: deinde minimè cōtentus interfici iuſſit. Qua de re hæretico Arriano ſucceſſit Macedonius Arrius. Hoc in loco digredi non ineptum putemus, vt ſcilicet oſtendamus Epiſcopum Rom. caput catholicæ fidei ſemper fuiſſe. Roma ipſa terrarū dea, & gentium regina poſcere videtur Dei ſedes & imperij generis humani. Sed vbi noua Roma præſentibus Auguſtis lacertos extulit, abſentia principum, noſtra Roma paululū imminuta: vtraq; tamen vrbe principatū ſibi vindicante, neſcio quo fato præfectis obtemperauimus, & aliquando Auguſtulis, & ſæpenumero regibus Gothorum. Itaq; per ea tempora Epiſcopalem maieſtatem, nutibus Imperatorū Conſtantinopolis ſibi vſurpauit. Nos verò non ceſſimus, ſed paſſi fuimus ne ira principū obeſſet, qui vrbis ſacratiſſimæ dignitatem Barbaro-

Pompon. Laetus.

rum prædæ reliquerant. res non potuit diu differri. Phocas Imperator totius maiestatis decus iniuria ablatum restituit, & publico decreto sanxit: nam pleriq; Episcopi Constantinopolitani malè vsi auctoritate, prauis opinionibus fidei simplicitatem turbauerant. Romani verò pont. semper habiti orthodoxi & iustissimi, vt ipsi Græci in historiis tradiderunt. Episcopus igitur Rom. & diuino iussu, & humanæ rationis vinculo, generis humani parēs & princeps est. Nam illud perpetuo mansurum quis dubitat? *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Constantius eques optimus & certus iaculator, eloquens, & carminib componendis aptus: quòd fuit in suos ferus, non caruit exemplis, quòd sic fecisset Caligula, Domitianus, & Commodus, & F. Seueri Antoninus: in cæteros vt Gallienus, qui tormentis adigebat homines fateri quod vellet. In Galliis & Pannoniis triumphales arcus erexit, magno prouincialium dispendio. *Pomponius Lætus.*

HI tres Imperium, quod per manus à patre acceperunt, ita partiti sunt, vt Constantinus maximus natu Gallias, Hispanias, Britanniamq; insulam obtineret: Constanti Italia cũ Illyrico, & Græcia cederet: Byzantium & Oriēs Constantij esset, qui Dalmatium socium Imperij haberet: quem haud multò pòst dolo exceptum militari factione oppressit, cùm annos treis imperasset. Nec durauit diu fratrum concordia: siquidem in nefarium bellum rapti fratres: nam Constãtinus Gallico exercitu fretus, Constanti fratri bellum intulit: quod dum cupidiùs, quàm cautiùs gerit, ad Aquileiam exce-

gtus insidiis, nondum triennio finito, vulneribus confectus periit. Inde Cōstans victor cùm non sine labore prouincias transalpinas in potestatem redegisset, egit primùm optimū principem: mox aduersa valetudine, siue rerum felicitate mutatus, ingratus omnibus esse cœpit, donec & ipse Magnentij dolo dormiens intra tentorium, ad Helenam oppidū oppressus est, cùm imperasset annos XIII: vixisset paulò plus XXX.

Constantius cædem fratris vlturus, ingenti exercitu aduersus Magnentium comparato, ingenti illum prælio & memorabili, ad Murtium fudit: quo Romani vires Imperij penè concidere, LIII. millibus vtrinq; desideratis. Mox cùm Magnentius bellum reparasset, & ad Lugdunum iterum victus esset, gladio sibi latus aperuit: sed & Decentius frater, qui Cæsar ab eo dictus fuerat, laquei morte præpostera vitam finiit. Nam Britannioni antea Constantius veniam petenti facilè dederat. Is Britannion adeò expers literarū est habitus, vt ne prima quidem elementa calleret. Cæterùm Constantius Gallum à se antea dictum Cæsarem ferocientem, & insolescentem supra Cæsaris nomē interfecit: & contra Persas infeliciter conflixit militum suorum stultitia. Quibus ad sua abeuntibus, quæ Massagetæ vastabant, dum Romā inuisit, Iulianum Galli fratrem, treis & viginti annos ætatis agentem, Cæsarem à se fāctum, in Gallias aduersus Alemannos eas vastantes misit: ipse in Persas iterum contendens, dum ægrè ferret Iulianum à militibus Augustū esse dictum, apud Mopsocrenem iuxta Tauri mon-

tis radices æstuantissima febre decessit. Vixit annos XL. Imperauit XXIIII. *Egnatius*.

IVLIANVS APOSTATA.

IVLIANO in externos hostes expertę felicitatis principi, aduersus Persas modus defuit. Is enim ingēti apparatu, vtpote totius orbis regnator, infesta in Persas signa commouit: instructam commeatibus classem per Euphratē inuexit, Strenuus in ingressu, multa Persarū oppida ac castella, aut suscepit dedita, aut manu cepit. Cùm contra Ctesiphontē, in Tigridis & Euphratis ripa iam mixti castra haberet, ludosq; campestres, vt hostis sollicitudinem demeret, per diem agitasset, noctis medio impositos nauibus milites, in vlteriorem ripam repente transuexit. qui per ardua nitentes, quà difficilis etiam per diem & nullo prohibente fuisset ascensus, Persas terrore subitò miscuerunt: versisq; agminibus totius gentis, apertas Ctesiphōtis portas victor miles intrasset, ni maior prædarū occasio fuisset, quàm cura victoriæ. Tantam adeptus gloriam, cùm de reditu à comitibus admoneretur, intentioni suæ magis credidit: & exustis nauibus, quū à transfuga, qui se ad fallendum obiecerat, inductus in Madenam, viæ compēdia sectaretur, dextrum aduersa Tigridis ripa nudato militū latere, iter relegens, dum incautiùs per agmen errat, excito puluere, ereptus è suorum conspectu, ab hostiū obuio equite, conto per ilia ictus,

ingui-

inguinum tenus vulneratus est. Inter effusionẽ nimij sanguinis, cùm suorum ordines licet saucius instaurasset, cunctante m animam, multis suos alloquutus, efflauit. *S. Rufus.*

HInc *Iulianus* rerum potitus est; ingentique apparatu Parthis intulit bellum; cui expeditioni ego quoq; interfui. Aliquot oppida & castella Persarum in deditionem accepit, vel vi oppugnauit. Assyriãmq; populatus, castra apud Ctesiphontem statiua aliquandiu habuit: remeansq; victor, dum se inconsultiùs præliis inserit, hostili manu interfectus est, VI. Cal. Iulias, imperij anno septimo, ætatis altero & trigesimo: atq; inter diuos relatus est: vir egregius, & Rempubl. insigniter moderaturus, si per fata licuisset: liberalibus disciplinis apprimè eruditus, Græcis doctior; atq; adeo, vt Latina eruditione nequaquam cum Græca scientia conueniret. facundia ingenti; promptæ memoriæ & tenacissimæ; in quibusdam philosopho propior: in amicos liberalis: sed minùs diligens quàm tantum principem decuit: fuerũt enim nonnulli, qui vulnera gloriæ eius inferrent. in prouinciales iustissimus: & tributorum, quatenus fieri posset, oppressor. ciuilis in cunctos: mediocrem habens ærarij curam: gloriæ auidus ac per eam animi plerumq; immodici, nimius religionis Christianæ insectator; perinde tamẽ, vt cruore abstineret. Marco Antonino non absimilis: quem etiam æmulari studebat. *Eutrop. lib. 10.*

IVlianus mandatis mollioribus refert, se sub nomine celsi imperij multò officiosius, pariturum. Hinc Constantius magis magisq; ardẽs,

dolore, atq;, vt erat taliũ impatiẽs, in radicibus Tauri montis apud Mopsocrenen febri acerrima, quam indignatio nimia vigiliis augebat, interiit anno æui quarto & quadragesimo, imperij nono atq; tricesimo; verũ Augustus quarto vicesimoque; octo solus; cum fratribus atq; Magnentio sedecim, quindecim Cæsar. Felix bellis ciuilibus, externis lacrymabilis: mirus artifex in sagittis: à cibo vinoq; & somno multũ temperans: patiens laboris: facundiæ cupidus; quam cùm assequi tarditate ingenij non posset, aliis inuidebat. Spadonum aulicorumque amori deditus, & vxorum: quibus contentus, nulla libidine transuersa aut iniusta polluebatur. Sed ex coniugibus, quas plurimas sortitus est, præcipuè Eusebiam dilexit; decoram quidem, verùm per Adamantias, & Gorgonias, & alia importuna ministeria, vexantem famam viri, contra quàm *fœminis modestioribus* mos est; quarum sæpè præcepta maritos iuuant: Namq;, vt cæteras omittam, Pompeia Plotina, incredibile dictu est quanto auxerit gloriam Traiani: cuius procuratores cùm prouincias calumniis agitarent, adeo vt vnus ex iis diceretur locupletium quemq; ita conuenire; *Quæ habes ad mensam?* alter, *Vnde habes?* tertius, *Pone quæ habes?* illa coniugem corripuit: atque increpans, quòd laudis suæ esset incuriosus; talem reddidit, vt postea exactiones improbans & detestans *fiscũ lienem* vocaret, quòd eo crescente, artus reliqui tabescant. Igitur Iulianus, redacta ad vnũ se orbis Romani curatione, gloriæ nimis cupidus, in Persas proficiscitur. Illic à transfuga quodam in insidias deductus, cùm eum hinc inde

inde Parthi vrgerent, è castris iam positis, arrepto tantùm clypeo procurrit. cumq; inconsulto ardore nititur ordines ad prælium componere, ab vno ex hostibus, & quidem fugiente, conto percutitur. relatusque in tabernaculum, rursusq; ad hortandos suos egressus, paulatim sanguine vacuatus, circa noctis ferè mediū defecit; præfatus, consultò sese de imperio nihil mandare; ne, vti solet, in multitudine discrepātibus studiis amicorum, ex inuidia, Reipublicæ, *discordia exercitus* periculum pararet. Fuerat in eo literarum ac negotiorum ingens sciētia: æquauerat philosophos, & Græcorum sapientissimos. Vsu promptior corporis, quàm validior quidē; sed breuis fuit. Hæc minuebat quarundam rerū neglectus modus: cupido laudis immodica: cultus numinum superstitiosus: audax plus quàm *Imperatorem* decet: cui salus propria, cùm semper ad securitatem omnium, tum maximè in bello conseruanda est. Ita illum cupido gloriæ flagrantior peruicerat; vt neq; terræmotu, neq; plerisq; præsagiis, quibus vetabatur petere Persidem, adductus sit finem ponere ardori; ac ne noctu quidem visus ingēs globus cœlo labi, diem belli cantum præstiterit. *S. Aurel. Victor Histor. antiq.*

IVlianum Cæsarem; cognatione acceptum sibi, Transalpinis præfecit: isq; nationes feras breui subegit, captis famosis regib. Quæ quanquam in eius fortuna, Principis tamen & consilio accidère, quod adeo præstat, vt Tiberius Galeriusq;, subiecti aliis, egregia pleraq; suo autem ductu eorq; auspicio minus paria, experti sint. At Iulius Constantius, annos tres atque

viginti Augustum imperium regens, cum exter nis motibus, modo ciuilibus exercetur, ægrè ab armis abest: quis tyrannide tantorum depulsa, sustentoq; interim Persarum impetu, genti Sarmatarum, magno decore, confidens apud eos, regem dedit: quod Cnæum Pompeium in Tigrane restituisse, vixq; paucos maiorum fecisse comperimus. Placidus clemensq; pro negotio: literarum ad elegantiam prudens: atq; orandi genere leni iucundoq;: laboris patiens, ac destinādi sagittas mirè promptus: cibi, omnis libidinis, atq; omnium cupidinum victor; cultu genitoris satis pius, suiq; nimis custos: gnarus, *vita bonorum Principum*, Reipubl quietem regi. Hæc tanta, tamque inclyta tenue studium probandis prouinciarum ac militiæ rectoribus; simul ministrorum parte maxima absurdi mores; adhuc neglectus boni cuiusque, fœdauere. atq; vti verum absoluam breui, vt Imperatore ipso clarius; ita Apparitorum plerisq; magis atrox nihil. *Sextus Aurel. Victor de Cæsarib. par. 2.*

Constantio successit Iulianus, qui regnauit anno vno, sub quo hi Consules fuerunt. Iulianus IIII. & Sallustius. *His COSS. Iulianus post victoriam apud Persas occiditur, anno ætatis XXXII.* Cassiodorus.

Iulianus Tarabata & Apostata (id est, perduellis, siue transgressor & desertor) Romanorū Imperator, Constātini Magni Imperatoris nepos ex fratre Dalmatia & matre Galla. Scripsit de Cęsaribus seu Imperatoribus Romanorum, ab Augusto exorsus: alium librum de tribus figuris; & quæ Saturnalia vocantur: Misopogoncn, (id est, osorem barbæ) seu Antiochicum:
Vnde

Vnde mala sint secũdùm indoctos: Ad Canem (seu Cynicum) Heraclitum, quo pacto secta Cynica tractanda sit: Epistolas omnis generis, & alia. Ad Iulianum multæ causæ deferebantur, cùm homines affatim fruerentur æquitate iudicis. Neq; enim dilationes erant earum; quę lege sancitam, è receptis scriptis haberent iniquitatem, & hominibus iniustis alienaq́; detinentibus auxiliarentur: sed aut statim æquitas naturæ consentanea demonstrãda erat, aut mora & pcrastinatio suspecta habebatur. Grauis igitur & molestus erat. atque ob hæc etiam improborum & iniustorum natio excitabatur. Neque enim iniustè agere, neque celare iniurias licebat. Ac faciles ad eum aditus, infestiorem etiam eum reddebant improbis. Nam quia sæpe in publicum propter sacra & victimas prodibat, naturaque mitis erat in omni congressu, nemini colloquium negabatur. Ac ille quidem maledicta & iras improborum dissimulabat, minimeque curabat. De obitu Iuliani Parabatæ & impij oraculum huiusmodi exstabat: *Sed quando sceptru tuis Persicum sanguinem, vsque ad Seleuciam agitans gladiis domueris; Tum sanè te ad Olympum ducet igni fulgens currus, cum procellis permistum in vertiginibus, abiecta mortalium morum ærumnosa molestia. Venies autem in ætherij luminis paternam aulam: Vndè cùm aberrasses, humanum in corpus venisti.* Exstat & oraculum ei datum, cùm iuxta Ctesiphontem versaretur: *Terrigenarum quondam genus deleuit consilio pollens Iupiter, inimicissimum beatis Olympias ædes tenentibus.* Romanorum Imperator Iulianus Deo similis, pugnans Persarum vrbes & mœnia lon-

ga, cominus pugnantium, deuastauit igni validoque ferro: Assidueque domuit & vrbes & gentes multas. Quin & occidentalium virorũ, Alamanico solo præliis crebris capto, vastauit arua. ¶ Libanius. Iulianus autem Parabates, quamuis tanta mole negotiorum suscepta, tamen dicendi gloriam expetebat: & Antiochenum sophistam, cui Libanio nomen erat, supra modum admirabatur: partim quidem forsan, quòd eum probaret; partim etiam vt magnum sophistam Proæresium dolore afficeret, alterũ illi præferendo. Acacius quidem certè, homo dicendi peritus, & Phryx Tuscianus, semper illum propter hæc accusabant, eiusque iudicia reprehendebant. ¶ Ἑ`ταῖρε] Plato & cæteri philosophi germanos eruditionis amatores, sodales vocabant: quos & Iulianus imitabatur, in congressibus eruditorum omnes sodales appellans, non elatus imperio. *Suidas.*

FL. Cl. Iul. Iulianus natus est Constantinopoli, patre Constantio Constantini fratre, matre Basilina nobilissima fœmina: forma liberali, ingenioque ad literas & ad arma satis accommodato. Mater grauida somniauit se parituram Achillem: excitata, marito narrauit. peperit antequam pariendi tempus sentiret. hinc parentibus bona spes de filio fuit, datúsque est & initiandus & erudiendus Eusebio Episcopo Nicomediæ. Primò bonæ indolis puer apparuit. vtinam non habuisset rhetorem Libanium, ab quo ita institutus est, vt prætermissa veritatis cognitione, puerilem animum ad antiquorum credulitatem flexerit. Itaque subito immutatus est, Mercurium præponens cun-

ctis non caruit tamen in cæteris laude. Similis existimatus Tito, vt frater Gallus Domitiano, bellorum successibus comparatus Traiano: res ei fuit cum ferocibus Germanorum populis, vt Traiano contigit nondum principi: clemētia Antonino, moderatione M. Aurelio, litterarum studio magnis philosophis. Cumq; his assuetus, soporiferæ quieti multum detrahēs, insomnes noctes aliquando, cùm vtilitas Reipublicæ posceret ducebat: & musis vigilias impendebat: nulloque adhibito remedio, minimo strepitu excitabatur. Philosopho venienti statim occurrebat, ne ab literatis rusticitatis reus citaretur. memoria plurimum valuit: in rebus gerendis optimos imitabatur principes: in re venerea citra omnem suspicionem vixit: modesta liberalitate semper vsus: eunuchis & pantomimis & morionibus nihil vnquam largitus. Illud incredibile dictu, postquam solus imperauit, hostes populi Romani intra suos terminos se continuerunt, & in laudes noui principis accendebantur. Restabant profligandi & domandi Persæ. Itaque cum ingenti apparatu egressus Constantinopoli, transmisso Bosphoro, à Chalcedone Nicomediam processit, quæ olim regia, & ampla vrbs ædificiorum sumptibus, terræ motu corruerat: memor quòd illic educatus erat, ingemuit: per Bithynos Gallogræciam venit, & inde Antiochiam Orontis petiit, Orientis apicem: & cùm loci situs omnes ad voluptatem inuitet, princeps ibi suapte natura continentissimus fuit. Ex eius imperandi ordine iustitia è cœlo ad mortales rediit. Iulianus quartum iniit consula-

tum, adſcito Salluſtio collega, quem præfecerat Galliis præfectum. Quum ver appeteret, Hieropolim venit, hinc in Meſopotamiã ſigna commouit, pòſt peruenit Cercuſium (ferè inſtar Inſulæ inter Euphraten & Xaborectoram amnes poſitum eſt) quod Diocletianus mœnibus amplificatum, excelſis turribus circundedit. Hic moranti allatæ ſunt ab Salluſtio literæ, vt expeditionem in Perſas differret, & diis vetantibus cederet. Sed quis fato repugnat? tranſgreſſus flumen, pontem auelli iubet, Zaitamque ventum eſt, vbi Gordianum Imperatorem exercitus tumulo intulit: quem Licinius hoſtis bonorum euertit. Iulianus vbi hoſtes properè adeſſe intellexit, concionem habuit, afferens maiorum noſtrorum exempla, initium faciens à Ventidio vſque ad Maximianum, quòd ferè omnes rediere laureati, præter Gordianum & Carum, ille inſidiis mortalium, hic ira Deorum ſublatus. Hoſtes à prælio abſtinuerunt. Ipſe Aſſyriam depopulatus, vrbes, oppida partim vi cepit, pleræque deditionem fecère, victorque cum ingenti gloria profligato exercitu hoſtili, vſque Cteſiphontem peruenit. Caſtra aliquandiu illic habuit, cum exercitu ſatis lecto. Dum remeat, facem ſereno vidit cœlo. Aruſpices Hetruſci vetabant quicquam tentandum, quia ſignum erat infelix: Iulianus & hoc contempſit, vt antè Salluſtij monitus: poſtquam illuxit, caſtra mouit. Perſæ ſæpiùs afflicti terga inuadunt, & priuſquam laborantibus ſubueniretur, hoſtilis ex improuiſo globus in cataphractos irruit. Sic mos Parthorum vt confuſos cedant. Dumque

Impera-

Imperator incautiùs ſeſe infert, vulnus excepit: emiſſa haſta incerti militis, tranſmiſſo brachio & coſtis, hæſit fibræ iecinoris: dum auellere conaretur, ſcidit digitorum neruulos: prolapſus in ceruicem equi, veloci curſu in caſtra relatus eſt: adhibita fomenta paululum dolorem leniuere: poſcit equum & arma vt prælium reuiſat: cùm ſpiritus deficeret, concionem habuit, diſſeruitque mortem eſſe ſummum præmium. Petiit inde quid ageret Anatolius. Salluſtius reſpondit, Beate degere. ingemuit amici caſum quòd interfectus eſſet: circumſtantes qui dolore conciti deflebant, ſua auctoritate caſtigauit, turpe quidem principe ſideribus conciliatum lugere: inde cum philoſophis ei ſermo fuit de immortalitate animæ. Epotaq; frigida aqua vita ſolutus eſt, annum agens alterum & X X X. ante VI. Calend. Iulij. In ſuburbana villa agri Tarſenſis Iulianus ſepultus eſt & in diuos relatus. Succeſſor, ſi vixiſſet, decreuerat nobile ſepulchrum. Homo ſtatura exigua & gracili, maieſtate conſpicuus, inter veteres heroas connumerandus: amplia*n*do imperio & Reipubl. gubernandæ ſatis idoneus, ſi fata commiſiſſent: ore & manu (vt inquit ille) conſultor patriæ: imperauit ſolus annum vnum, menſes V I I. ab eo quod Cæſar fuit annos V I I. Corpus Procopius Tarſum vſque perduxit, & tumulo dedit; inde abiit, & nuſquam niſi ex improuiſo Conſtantinopoli purpuratus apparuit. Mirum creditu, barbaræ nationes eum plurimum diligebant, à militibus adeo obſeruatus, vt in creando nouo principe Iuuianum legerint, ab vocis ſimilitudine

vna litera immutata. Memoria & liberalitate clarus, tributa parciùs exigenda mandauit, licet ſint qui nolint, gloriæ cupidiùs appetens, & cùm Christianos nimis inſectaretur, ſanguine tamen abſtinuit. Hoſtes morte noſtri principis elati & circunfuſi; caſtra quæ ſpatium trium millium paſſuum complebant, diſperdere quærebant. Romanis verò controuerſia fuit in eligendo. Conſtantiani Abilum præponebant, proceres Gallorum Salluſtium, qui propterea quòd ſenex & valetudinarius eſſet, recuſauit. Dumq; mora fieret ob certamen, clamantibus militibus maturandum eſſe, Iuuianus eligitur domeſticorum primus. *Pomponius Lætus.*

CONſtantio extincto, Iuliano facilè cunćta ceſſère. Puer hic ingenio ſublimi, callido, & literarum ardentiſſimo; Gallias ſub primum acceſſum præter omnium ſpem, Alemānorum incurſu vaſtatas aſſeruit, regemq; eorum cœpit: inde Auguſtus à militibus ſalutatus Pariſiis, mortuo (vt dixi) Conſtantio, aduerſus quē bellum ciuile parabat, Perſis adepto Imperio bellum indixit: vbi dum inconſultiùs agit, Perſę viri dolo in deſerta cum exercitu ductus, conto traiectus periit. Sunt qui ſagitta è cœlo miſſa vulneratum dicāt. Vnde in nefariam vocem erumpens, *Viciſti Galilæe* (ſic enim Chriſtum appellabat) occubuerit. Chriſtianos impio quodam odio adeò inſectatus, vt ſtudia, & militiam hiſce interdixerit: pleroſq; præmiis, & illecebris, quaſi machinis à vera pietate auerterit. Quinetiam Imperator (ita Deo viſum) aduerſus nos libros edidit: ille verò ſi ingenium, indolemq; egregiam ad veram pietatem,
quam

quam puer imbiberat, conuertisset, inter egregios principes adnumerari potuit: decessit annos agens alterum & trigesimum. Solus annũ vnum, menses treis imperauit. *Eutatius.*

IVVIANVS SEV IOVIANVS.

IOVIANVS prœliis superiore, sed confusum subita morte amissi Imperatoris, suscepit exercitũ. Quum commeatus deficerent, & via in reditu prolixior imminerer, & Persæ crebris excursibus nunc à fronte nunc à tergo, mediorum quoque latera incursantes, iter agminis morarentur, consumptis aliquot diebus: tanta reuerentia Romani nominis fuit, vt à Persis primus de pace sermo haberetur, ac reduci confectus inedia exercitus sineretur; conditionibus (quod nunquam antea accidit) dispendiosis Romanæ Reipubl. impositis, vt Nisibis & pars Mesopotamiæ traderetur: quibus, cupidior regni quàm gloriæ, Iouianus imperio rudis acquieuit. Quàm magno deinceps ore tua ô Princeps inuicte facta inclyta sunt personanda? Quibus me licet imparem dicendi nisu, & æuo grauior præparabo: maneat modò concessa Dei nutu cui credis, & ab amico cui creditus es numine indulta felicitas, vt post hanc ingentem de Gothis, etiam Babyloniæ tibi palma pacis accedat. *Sextus Rufus ad Valentinianum.*

POst hunc *Iouianus*, qui tunc domesticus militabat, ad obtinendum imperium consensu exercitus electus est. commendatione patris quàm sua militibus notior. qui iam turbatis rebus, exercitu quoq; inopia laborante, vno à Persis atq; altero prælio victus, pacem cum Sapore necessariám quidem, sed ignobilem fecit, mulctatus finibus, ac nonnulla imperij Romani parte tradita: quod ante eũ annis mille centum & duobus de viginti ferè, ex quo Romanum imperium conditum erat, nunquam accidit. Quinetiã legiones nostræ, ita & apud Caudium per Pontium Telesinum, ita & in Hispania apud Numantiam, & in Numidia sub iugum missæ sunt, vt nihil tamen finium traderetur. Ea pacis cõditio non penitus reprehendenda foret, si fœderis necessitatem, cùm integrũ fuit, mutare voluisset: sicut à Romanis omnibus his bellis quæ commemoraui, factum est. Nam & Samnitibus & Numantinis & Numidis confestim bella illata sunt: neq; pax rata fuit. Sed dum æmulum imperij veretur intra Orientem residens, gloriæ parum consuluit. Itaque iter ingressus, atque Illyricum petens, in Galatiæ finibus repentina morte obiit: vir aliâs neque iners, neque imprudẽs. multi exanimatum opinantur nimia cruditate: inter cœnandum enim epulis indulserat: alij odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis, graue quiescentibus erat: quidam nimietate prunarum, quas graui frigore adoleri multas iusserat. Decessit imperij mense septimo, quartodecimo Calend. Martias: ætatis, vt qui plurimum ac minimum tradunt, tertio & trigesimo anno: ac benignita-

nignitate principum qui ei successerunt, inter diuos relatus est. nam & ciuilitati propior, & natura admodum liberalis fuit. Is status erat Romanæ rei, Iouiano eodem & Varroniano Coss. anno vrbis conditę millesimo centesimo & nonodecimo. Quia autem ad inclytos principes venerandosque peruentum est, interim operi modum dabimus. Nam reliqua stylo maiore dicenda sunt: quæ nunc non tam prætermittimus, quàm ad maiorem scribendi diligentiam reseruamus. *Hîc finit Historia Eutropij, à cuius fine Pauli Diaconi Historia incipiet.*

IOuianus, genitus patre Varroniano, incola agri Singidonensis prouinciæ Pannoniæ, imperauit menses octo. Eius patri, cùm liberos crebros amitteret, præceptum somnio est, eum qui iam instante vxoris partu edendus foret, diceret *Iouianum*. Hic fuit insignis corpore, lætus ingenio, literarum studiosus. Hic, dum à Perside hieme aspera mediaq; Constantinopolim accelerans, cruditate stomachi, tectorio noui operis grauatus esset, repentè interiit, annos gerens proximè quadraginta. *Sex. Aurel. Victor Histor. antiq.*

POst Iulianum, sequenti die Iouianus ex Primicerio domesticorum factus est Imperator: qui regnauit mensibus VIII. sub quo hi Consules fuerunt.

Iouianus & Varronianus. *His COSS. Iouianus Imperator moritur anno ætatis XXXIIII.* Cassiodorus.

IOuianus Imperator Romanorum orthodoxus, magna cura & sollicitudine complexus est ecclesias, & exulantes episcopos reuocauit.

& ad S. Athanasium misit, vt sinceræ fidei certitudinem scripto sibi declararet: isque illi misit epistolam rectis sententiis refertam. Imperauit post Iulianum: qui, cùm optionem dedisset militibus, vt aut sacrificarent, aut exauctorarentur: hic zonam deponere maluit. Nisibin profectus vrbem populosam; ac duos menses ibi commoratus, quidquid pecuniæ habuit consumpsit: incolas nullo benigno sermone aut beneficio prosecutus; homo non suapte virtute, sed propter paternam gloriam ad tantum fastigium euectus. Fuit etenim non quidem prorsus infirmo corpore, nec bellicarum rerum rudis; sed rudis & expers doctrinæ, etiam quod habebat ingenij, per ignauiam obscurabat ac delebat. Hic post Iulianum, vt dictum est, imperio Romanorum potitus, omnibus rebus despectis, dignitate, quam consecutus erat, frui studebat: atque è Perside fugiens, in fines Romanorum, ad ostentandam fortunam suam properabat: ac Nisibim, vrbem Romanæ olim ditionis, Persis dedit. Deridebatur igitur cantilenis & versibus, aliò detortis, & famosis libellis, ob Nisibidis proditionem. Idem Iouianus, ab vxore sua incitatus, ædem elegantissimam, ab Adriano Imperatore ad consecrationem Traiani patris, conditam, & à Iuliano bibliothecam designatam eunucho cuidã Theophilo, cum omnibus libris cremauit, ipsis concubinis cum risu pyram incendentibus. Antiocheni autem Imperatori irati, famosos libellos partim humi abiiciebant, vt quiuis tolleret ac legeret, partim parietibus affigebant. Erant autem huiusmodi; *Venisti è bello, vtinam*

ibi

sibi perisses. &, *Dysspari, forma præstantissime*; & reliqua. &, *Nisi ego te captum, & caris vestibus exutum, læna & tunica, quæq; pudenda obtegunt, ipsum plorantem ilico in Persas remisero.* Anus autem quædam pulchritudinem, & magnitudinem eius conspicata, cùm amentem esse didicisset; *Quanta,* inquit, *est longitudo & profunditas, tanta est stultitia.* Et alius quidam homo priuatus, magna voce in circo equestri clamare ausus, risum præbuit omnibus, cùm inania quædam & frigida de statura illius dixisset. Ac grauius aliquid commissum esset; ni Salustius quidam seditionem compescuisset. Iouianus verò hyeme Ciliciam & Galatiam petens, Dadastanis obiit, fungo venenato deuorato. In principatu autem humanum & liberalem se præbuit. Sub Iouiano fuit Acacius Cæsareæ Palæstinæ episcopus: qui libellum de orthodoxa fide scripsit; synodum Nicænam comprobans. *Suidas.*

VArronianus comes ordinum agri Indigonensis incola in Pannonia, liberos vtriusque sexus cùm plures extulisset, mœrore anxius, vt qui sine prole esset, admonitus est per nocturnam quietem, vti filium, qui nasceretur, Iuuianum vocaret, fore vt viueret, & ad purpuram venturus esset. Itaque editum filium Iuuianum appellauit. præceptoribus, cùm ætas posceret, erudiendum dedit. non parum liberalibus artibus profecit, ingenio valde ad omnes disciplinas prompto. Pater militia clarus, notissimus erat: & iam emeritus secesserat in auitos agros vt quiesceret, & agricolationi incumberet.

Iouianus electus est princeps, & statim antesignani Iouianum clamauerunt, qui in medio, quiq; postremi erant, opinati Iulianum reuixisse, ingenti lætitia effusi choreas ducebant. cùm nouus Imperator purpuratus, castra comitantibus primoribus circumiret, & conspectus esset ab ignaris homo incuruus, statura procera, statim lacrymæ obortæ sunt. auspiciũ haud felix præsentis imperij. reductus in tentorium de imminenti periculo sermonem fecit, adhibitis tribunis & comitibus. Instabat totus exercitus deduci in Mesopotamiam. hostes à tergo territabant, quamuis semper victi. fames in castris erat, & rerum penuria. & quamuis noster exercitus victor esset, rerum difficultatibus, & recenti cæde ducis timebat, adeo vt si hostis irruisset, magnam intulisset cladem. cœptũ est consilio iter. Institere hostes cum elephantis, qui graui nidore terruere equos. opem ferentibus Iouiis & Herculiis Gallis, restiterunt beluis. Vbi Carras ventũ est, infelicitate Crassi nobis tanta trepidatio non fuit. hinc Duram oppidum hoc in loco quatriduum consumptũ est. hinc miles cùm abiret, peruenit ad Tigridẽ iam auctum cœlestibus aquis. metus erat trãsire. Galli assueti fluenta perfringere, ingenti animo ingressi, ad alteram ripam perueniunt, ibique hostes obseruantes ripas, obtruncant. illos secuta est cætera turba. Ad hæc venere oratores à Persis Surenas (nomẽ est dignitatis post regiam) & alij proceres offerentes conditiones pacis, si non æquas, attamen necessarias. Consultauerũt cum Imperatore primates, ictumq; est fœdus non sine calamitate Rom. imperij.

Prouin-

Prouinciæ quinq; Transtigritanæ, quas victor Galerius Maximianus acceperat, restitutę sunt, Asarzamena, Mozena, Zabdizena, Rheumena, Carduena: tradita & Singarena, & Nisibis, & pars Mesopotamiæ: non tradita tamen est Ctesiphon. & ita fines veteres innouati non sine magno imperij dispendio. Accessit maior ignominia: vetitus est pop. Rom. Arsaci regi Armeniæ amico ac fido auxilium contra Persas ferre, quod nunquã antea ad hoc coactus est. visaque est libertas victricium armorum corruisse. Ictũ est ignobile fœdus ad annos XXX. & religioso ritu vtriusq; gentis confirmatum exercitus inde in tutum perductus est. Iuuianus cùm peruenit ad locum, Dadastana vocant, qui diuidit Bithynos à Galatis, assiduo labore longi itineris, aut recenti tectorio, positis ibi prunis, mortuus est. Sunt qui scribunt incidisse in morbũ ex varietate ferculorum, quibus repletum corpus, quod auidissimè illic sumebat, concoquere nõ potuit, & cruditate periisse. Vixit ãnis XXXIII. Imperauit menseis septem, à Valentiniano in diuos relatus est. *Tompon. Lætus.*

HVic Varronianus pater, Pannonia patria, staturæ proceræ, ingenij amœni, nec à literis abhorrentis: qui à militibus primò Imperator salutatus, deceptis similitudine nominis, quasi Iulianus reuixisset, cùm Persis pacẽ magis necessariã, quàm honestam, Transtigritanis prouinciis quinq; amissis, iniit. Accessit noxæ ignominiæ, dedecus grauius: vetitus Imperator Rom. Arsaci socio opem ferre. Periit octauo Imperij mense Dadastanis oppido, dũ cubiculũ ingreditur noui tectorij, prunis etiã arden

tibus, siue, vt alij, stomachi cruditate, XXXIII. ætatis anno. *Egnatius.*

VALENTINIANVS I. ET VALENS.



ALENTINIANVS, imperauit annos duodecim, minùs diebus centum. Huius pater Gratianus, mediocri stirpe ortus apud Cibalas, *Funarius* appellatus est; eò quòd venalitium funem portanti, quinque milites nequirent extorquere. eo merito adscitus in militiam, vsq; ad præfecturæ prætorianę potentiam conscendit. ob cuius apud milites commendationem, Valentiniano imperiũ resistenti aggeritur. Hic Valentem consanguineũ suum sibi socium in imperio adsciuit. ac demũ Gratianum filium, necdum plenè puberẽ, hortatu socrus & vxoris Augustum creauit. Hic Valentinianus fuit vultu decens, solers ingenio, animo grauis, sermone cultissimus. quanquã enim ad loquẽdum parcus, seuerus, vehemẽs; infestus tamen vitiis, maximeq; auaritiæ: cuius punitor ipse fuit acer: & in iis quæ memoraturus sum, Hadriano proximus: Genera vetustissimorum meminisse, noua arma meditari: fingere terra seu limo simulacra: prudenter vti locis, temporibus, sermonibus: atque, vt breuiter concludam, si ei infidis hominibus, quibus sese quasi fidissimis prudentissimisq; dederat, carere; aut probatis eruditisq; monitoribus vti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituisset.

Huius

Huius tempore *Firmus* apud Mauritaniam regnum inuadens, exstinguitur. Valentinianus apud Bergentionem legationi Quadorum respondens, anno æui quinto & quinquagesimo, impetu sanguinis, voce amissa, sensu integer expirauit. quod quidem intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse plures retulere. Itaque eo mortuo, *Valentinianus*, adhuc quadriennis, auctore Equitio, ac Merobaude propinquo, vbi cũ matre fuerat allatus, creatus est Imperator. *S. Aur. Vict. Hist. antiq.*

POst Iuuianũ Valentinianus Tribunus scutariorum apud Nicæam Augustus appellatus fratrem Valentem Constantinopoli in com munionẽ adsumit imperij, qui regnauit annis XIIII. mensib. V. sub quo hi Consules fuerunt.

Valentinianus & Valens.

Gratianus & Dagalaiphus.

Lupicinus & Iouinus. *His COSS. Gratianus, Valentiniani filius, Ambianis Imperator factus est. Apud Atrebatas lana cœlo pluuiæ mixta defluxit.*

Valentinianus II. & Valens II.

Valentinianus N.P. & Victor.

Valentinianus III. & Valens III.

Gratianus II & Probus.

Modestus & Arintheus.

Valentinianus IIII. & Valens IIII. *His COSS. Saxones cæsi Deusione in regione Francorum. Burgundionũ LXXX. fere milia, quot numquam antè ad Rhenum descenderunt. Clearchus præfectus vrbi Constantinopoli necessariam aquã, & quamdiu ciuitas optabat, induxit.*

Gratianus III. & Equitius.

P.C. Gratiani III. & Equitij.

Valens v. & Valentinianus. *His COSS. Valentinianus apoplexia Brigitione moritur.* Cassiod.

Anno ab vrbe condita M.C.XIX. Valentinianus XXXVIII. è Pannonia Cibaliensi editus, cùm esset tribunus scutariorum apud Niceam, Augustus appellatus, fratrem Valentem Constantinopoli in communionem regni assumpsit. Huius pater Gratianus mediocri stirpe ortus apud Cibalas, funarius appellatus est, eo quòd venalitium funem portanti quinque milites nequiuerint extorquere. Eo merito adscitus in militiam, vsque ad præfecturæ prætorianæ potentiam conscendit. Ob cuius apud milites commendationem, Valentiniano imperium resistenti illatum est. Qui cùm sub Iuliano Augusto Christianitatis integram fidem gereret, cùm, vt dictum est, scutariorum tribunus esset, iussus ab Imperatore sacrilego aut immolare idolis, aut militia excedere, sponte discessit: nec mora Iuliano interfecto, Iouinianoq; mortuo, Valentinianus, qui pro nomine Christi amiserat tribunatum, in locum persecutoris sui accepit imperium. Qui cùm iam anno tertio imperij cum Valente fratre ageret, Gratianum filium necdum bene puberem hortatu socrus & vxoris Augustum creauit. Eodem anno apud Atrebatas vera lana de nubibus pluuiæ mista defluxit. Constantinopoli grando miræ magnitudinis decidens nonnullos hominum extinxit. Procopius apud Constantinopolim his diebus tyrãnidem inuadens, apud Phrygiam salutarem extinctus est. Plurimique eius partis cæsi, atque proscripti sunt. Per hæc tempora terræmotus per totum orbem

factus

factus est. Ita mare littus egressum est, vt Siciliæ, multarumque insularum vrbes concussæ, & subrutæ, innumerabiles fermè populos ruinis oppresserint. Valens interea ab Eudoxio arrianæ hæreseos episcopo baptizatus, in sæuissimam hæresim delapsus est, conatusque catholicos persequi: sed fratris authoritate compressus est. Ea tempestate Athanaricus rex Gothorum Christianos in gente sua crudelissimè persequitur, & ad coronam martyrij sublimauit. Valentinianus *Saxones* gentem in oceani littoribus & paludibus inuiis sitam, virtute atque agilitate terribilem, in Romanos fines eruptionem meditantem, in Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoque plus quàm LXXX. millia armatorum ripæ Rheni fluminis insederant. Qui tamen non multo pòst tempore Christiani effecti sunt. Valentinus inter hæc in Britannia, antequam tyrannidem inuaderet, oppressus est. Valentinianus anno imperij sui vndecimo, cùm Sarmatæ sese per Pannonias diffudissent, easque vastarent, bellum in eos parans, dum apud Brigionem oppidum, Quadorum legationi responderet; anno eius quinto & quinquagesimo subita effusione sanguinis, quæ græcè ἀπόπληξις vocatur, voce amissa, sensu integer expirauit, quod quidem intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse plures detulerunt. Fuit autem imperator egregius, vultu decens, solerti ingenio, animo grauis, moribus Aureliano similis, sermone cultissimus, quanquam esset ad loquendum parcus, seuerus, vehemens, infestus vitiis, maximè auaritiæ. seueritatem tamen a

eius nimiam, & parcitatem, quidam crudelitatem & auaritiam interpretabantur. Acer in iis quæ memoraturus sum, Adrianoque proximus probatur, pingere venustissimè pronus, multa meminisse, arma noua meditari, fingere cera seu limo simulacra, prudenter vti locis, temporibus, sermone. Atque, vt breuiter concludam, si ei infidis hominibus, quibus sese quasi fidissimis & prudentissimis dederat, carere, aut probatis vti licuisset, perfectus haud dubiè princeps enituisset. *Pauli Diaconi de gestis Romanorũ liber primus, ad Historiam Eutropii additus.*

VAlentinianus Romanorũ Imperator, Christianus; cùm eiusdẽ cum Patre naturę Christum esse sentiret, nulla in re aduersarios lædebat. Fuit & ad leges ferendas promptissimus; in id quoq; intentus, vt thesauri iuste acciperentur: (id est, ne per iniuriam fiscus augeretur, aut per iniuriã exhauriretur) in deligẽdis magistratibus accuratus, & inexorabilis contumacium vltor, in bellis fortissimus. Valens aũt Arij opinioni addictus, multos in exilium misit, quo tẽpore Romanæ ecclesiæ Liberius præfuit, Alexãdrinæ verò Athanasius, & Cõstantinopolitanæ Eudoxius, Arianæ sectæ magister ¶ Salustius præfectus prætorio, Valentinianũ suo suffragio designauit Imperatorẽ. Qui cùm imperium susceptisset, edicta proposuit, vt si quis à se affectus esset iniuria, Imperatorem adiret. Verum nemo questus est. fuit enim integerrimus Salustius. Hic Valentinianus præpositũ Rhodanum, qui Berenicen viduam iniuriis affecerat, mulieri de illo conquestæ iudicẽ dedit Salustium: à quo cõdemnatus præpositus, cùm iudiciũ illius nihili

facerent,

faceret, ab Imperatore in Hippico crematus est, omnibus archieunuchi bonis viduæ assignatis. Quo exēplo territi mortales, omni iniuria abstinuerunt. ¶ λείας, pecora, prædas] Cùm Scythæ incursionem in fines Romanorū fecissent, magnamq; prædam abegissent, Imperator Valentinianus iratus, & vehementiùs vociferatus, vocis instrumentis ruptis obiit. *Suidas.*

POst Iouiani mortem exercitus Niceæ, quæ vrbs caput est Bithyniæ, Valentinianū Gratiani filium imperatorem elegit. Nam L. Equitius, qui Illyrico præerat, quoniā absens, præteritus est. Augustus Cæs. Valentem fratrem tribunum stabuli fecit. pòst paulò Cōstantinopolim cùm venisset, & in suburbanum concessisset, consensu omniū ipsum Valentē consortem imperij & Aug. pronuntiauit. Præerat eo tempore Romæ Rufius Turcius Apronianus literis & reipub. moderandis habenis vir clarus & illustris. Procopius qui genus suum ad Constantinum referebat, & paucis suffragationib. purpuram induerat, pœnas cœpti motus dedit. Porrò Valens Gotthos, qui Procopio auxilia miserant, victos Thracia exegit: & victor magister Equ. Atalaricum regem Gruitugrorū (bellicosa gens est) vertit in fugam, & pacem dedit. Interea Valentinianus Saxonas oceani accolas inter inuias paludes domuit, Alemānos attriuit, & victor ad oceanum peruenit: deinde in febrē incidit, qua liberatus, pro cōcione, exercitu assentiente, alterū ex filiis Gratianū, insignibus ornatū, appellauit Augustū, statimq; expostulatus publicarū rerum admonuit, & vrbi Romæ præfecit Orphitū. Picti & Scoti Germaniç getes

Britanniam inuadunt: illi Caledonios & Vetturionas occupant, ij depopulantur insulam. Sarmatæ præsidem, quem Romanus imperator dederat, expulerunt. Parthi suo consilio qui Armeniam irruperant, occurrente Arintheo legato, abierunt. sic prouincia liberata est: Alia via Sapores rex Persarum rupto fœdere nos tentauit, Ctesiphontem cepit, ibique hyemauit, & Valens Antiochiæ. Ad Aquilonem inquieta rebellat Germania. Eò missus cum exercitu Theodosius primus magister equitum, cuius prosperi successus similes ferebantur actis L. Domitij Corbulonis in Armenia sub Nerone, & L. Veturini sub Traiano. Valentinianus exacta Treuiris hyeme, Gallias reuertitur, & post paulò dum intentus audit legatos Quadorum, qui latrocinia excusabant, subita ira accensus incidit in morbum, quo arescentibus venis, cùm sanguinis nihil emitti posset, mortem obiit. Imperauit annos vndecim, menses octo, dies viginti. *Pompon. Lætus.*

VALENS, GRATIANVS & VALENTINIANVS II.


Valens vna cum Valentiniano germano suo, de quo diximus, regnauit annos tredecim, menses quinque. Hic Valens, cum Gotthis lacrymabili bello commisso, sagittis saucius, in casam deportatur vilissimã: vbi, superuenientibus Gotthis, ignique supposito, incendio concrematus est. In quo probanda hæc fuere: Fuit possessoribus consultor bonus:

nus: mutare iudices rariùs: in amicos fidus: irasci sine noxa periculo cuiusque: sanè valde timidus. Huius temporibus PROCOPIVS tyrannidem inuadens, exstinguitur. *S. Aurel. Vict. Histor. antiq.*

POst quem Gratianus, adsumpto in imperiũ Valẽtiniano fratre cum patruo Valente regnat: sub quo hi fuerunt consules.

Gratianus IIII. & Merobaudes. *His COSS. Alamannorum circiter XXX. millia apud Argentariam oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani cæsa. Gotthi diffunduntur in Thracia.*

Valens VI. & Valentinianus. *His COSS. à Gotthis in Thracia Valentis trucidatus exercitus. Ipse quoque Imperator, incensa domo, vbi se occultauerat, igne combustus est.*

ANno ab vrbe condita millesimo centesimo vigesimooctauo Valens trigesimus nonus imperiũ orientis quatuor annis Valentiniano mortuo tenuit, Gratiano Valẽtiniani filio in occidentali parte regnante, qui sibi Valentinianũ fratrem páruulum admodũ socium creauit imperij. Hic enim Valentinianus dudum laudante vxore sua pulchritudinem Iustinæ, sibi eã sociauit in matrimonio, legesq; ꝓpter illã cõcessit, vt omnes qui voluissent, impune bina matrimonia susciperent. Nam diu populosas fore gẽtes, quia hoc apud eas solenne est. Accepta ergo, vt diximus, Valentinianus Iustina, edidit ex ipsa quatuor filios, Valẽtinianum, quem sibi, vt præmisimus, Gratianus sociauit in regno, & Gratiã, Iustamq; , & Gallam. Valens igitur impietatem quam dudum meditatus fuerat, operibus explens, lege data vt monachi militarent.

nolentes per tribunos & milites fuftibus iuffit interfici. Quorũ innumeram multitudinẽ per vaftas tunc Aegypti folitudines diffufam conftat, præcipuè quæ apud Nitriam martyrij confecuta eft palmam, ac per fingulas vbiq; prouincias aduerfus catholicas ecclefias, & rectę fidei populos diuerfa funt illata incommoda. Interea in Africæ partibus Thirmus fefe excitatis Maurorum gentibus regem conftituens, Africam, Mauritaniamq; vaftauit. Cõtra quẽ Theodofius, Thedofij qui pòft imperio præfuit, pater, à Valentiniano miffus, effufas Maurorũ gentes, multis prælijs fregit. Ipfum quoq; Thirmũ afflictũ & oppreffum ad mortẽ coegit. Qui poftea quã experientiffima ꝓuidentia Africã compofuiffet, ftimulante inuidia iuffus à Valente interfici apud Carthaginem baptizari in remiffionẽ peccatorũ præoptauit. Ac demum gloriofa morte occumbens, percuffori iugulum vltrò præbuit. Ea tempeftate gens Hunnorũ diu inacceffis feclufa montibus, repentina rabie percita, exarfit in Gotthos, eofq; cõturbatos ab antiquis fedibus expulit. Gotthi trãfito Danubio fugientes, à Valente fine vlla fœderis pactione fufcepti funt. Deinde propter intolerabilẽ auaritiam Maximi ducis fame cõpulfi in arma furgentes, victo valẽtis exercitu fefe per Thracias infudere. omnia cędibus, incendiifq; vaftantes. Quib. cognitis, valens Antiochia egreffus, cùm aduerfum Gotthos exercitum aptaret, fera peccati pœnitentia ftimulatus, epifcopos, cęterofq; fanctos reuocari de exiliis imperauit. Denique lachrymabili cum Gotthis bello cõmiffo, ad primum Gotthorum impetum perturbatæ equitũ

Romanorum turmæ nudatos pedites deseruere. Qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarum nubibus obruti: insuper cùm amentes metu huc illucque fugitarent, funditus interiere. Ipse imperator cùm sagitta saucius, versusque in fugam, ob dolorē nimium sæpe equo laberetur, atq; in vilissimā casulam deportatus esset: superuenientibus Gotthis, igneq; supposito cō crematus est. Deniq; petentibus Gotthis, vt eis episcopos mitteret, à quibus fidei rudimenta susciperent, Valens doctores ad eos Arriani dogmatis misit, sicq; vniuersa illa gens effecta est Arriana. Iusto itaq; dei iudicio ab illis igne crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Gotthi verò imperatore occiso, iam securi ad vrbem properant Constantinopolitanam, vbi adhuc Dominica Augusta Valentis vxor multas pecunias plebi largita, ab vrbis vastatione hostes submouit, regnumq; cognatis fideliter vtiliterq; seruauit. *Paul. Diac. lib.* I.

VAlens Imperator Romanorū, peruersis imbutus opinionibus, hæreticorum defensor, via patrum suorū est ingressus. Nam & episcopos relegabat, & presbyteros, & diaconos, & monachos; Tatiano tum Alexandriæ præsidente. Multos Christianos excruciauit, & quosdam cremauit. Verùm hæc omnia fecit post mortem Athanasij. Homines igitur orthodoxi in vrbe Constantinopolitana, spe concepta clementiæ Valentis, legatos ad eum Nicomediæ degētem miserūt, sacri ordinis viros LXXX. quorum duces erant Theodorus, & Curbagus, & Menedemus: quos vniuersos vnà cū naui succendi iussit. omnes itaq; cū naui conflagrarunt: quæ qui-

dem vsq; ad Dacibiza durauit, ibique dissoluta est. Huius execrandi Valentis tempore, Lucius, episcopus quidam sectæ Arrianæ, statim instar lupi in ecclesiam impetũ fecit: & Petrus Romã aufugit. Lucius autem ita grassatus est, vt nec in gentilium persecutionibus simile quidquam sit factum. Nam tria millia hominum emisit, qui è medio tollerent & perderent viros pios in deserto. ¶ Valens Romanorũ Imperator, Arrianæ opinioni addict⁹, multos in exiliũ egit, quo tẽpore Romanæ Ecclesiæ Liberius præsidebat, Alexandrinæ Athanasius, Constantinopolitanæ Eudoxius, Arianæ religionis doctor. *Suidas.*

INterea Hunni seu Alani, qui sunt Tartari & Nomades, Scythæ qui longè antè à regione trans Tanaim venerant, superato Istro, qui limes erat, vagi Pannonias, Epirumq; & Thessaliam direptis & incensis aliquot vrbibus, grauiter vastauerunt. Maiores nostri viri boni, non ambitiosi, non contentiosi, sine auaritia & luxu Scythas irruentes repulerunt. At verò cùm opes in pretio fuere, & mensæ magnis sumtibus paratæ, & maior cibi condiendi quàm virtutis cura, Scythis bellatorib. cessimus, grauia vulnera perpessi sumus. Imperatores duo Decius pater ac filius, non sine magna strage cum Scythis congredientes victi cecidere, at pòst Valens ꝓperè ex Antiochia accitus, tantam pestem auertere non potuit: sed magna clade victus, terga dedit & in fuga vulneratus decidit ex equo, acceptusque in vile tugurium, inter fomenta expirauit. Victor Alanus cùm persequeretur, locum armatis sepsit: & quia capere primo impetu non potuit, inscius quòd illic Imperator

esset,

esset, ignem iniecit & absumpsit. Hic fuit Valentis finis qui modò terror Orientis erat: Boreali incendio fomentum præbuit. Hunni Alanique & Gotthi victricibus signis Constantinopolim obsident, persolutaque ingenti vi pecuniæ ab Dominica Augusti vxore Valentia, cœpta reliquerunt. Dum hæc infeliciter ad Aquilonem geruntur, Theodosius pater eius qui postea imperauit Theodosij, in Africa Firmum noua molientem prælio vicit ac cepit. Et Gratianus Treuiris agens, fratrem suum Valentinianum, Iustina matre editum, consulente Merobaudo tribuno, titulo Cæsaris Augusti consortem imperij fecit. Ipsum verò Gratianum otiosum dum suos negligit, & habitu ac moribus, Alanis quos sibi post obitum patrui conciliauerat, placere studet, Maximus ab exercitu nostro dux electus, ex improuiso adoritur, & in Italiam transire properantem dolo circunuenit & occidit: & ab eodem Iunior Valentinianus Italia exactus ad Theodosium, qui in Oriēte res gerebat, concessit: à quo liberaliter exceptus est. *Pompon. Lætus.*

DEdit & hos Pannonia principes Gratiano patre ortos: primùm Valentinianus ab exercitu Niceæ, inde Valens ab eo Augustus, Imperiique consors dictus: qui Procopium temere Imperium inuadentem, Constantinopoli oppresſêre. Inde Gotthi, & Barbaræ nationes à Valentiniano Thracia exturbatæ, Septentrioq; omnis cum Saxonib. ad officium eiusdem operâ redacti. Parthi è Syria per legatos eiecti. Inquieta Germania Theodosij maioris auspiciis pacata. Ipse dum Quadorum legationem

latrocinia excusantem audit, subito morbo venis arefactis, vt sanguis mitti nunquam potuerit, obiit, Gratiano filio priùs Augusti appellatione donato, Imperij accepti anno vndecimo mense octauo, die xx. vitæ lv. Valens post fratris interitũ, Arrianæ factionis fautor, dum aduersus Scythas & Gotthos prælium ferociùs quàm cautiùs ciet, victus ab his acie, vitam, imperiumq; amisit, igne intra tugurium, in quod confugerat, iniecto. Digni Imperio fratres, & inter bonos referendi, nisi Valens Arriano delirio virtutes egregias inquinasset. *Egnatius*

GRATIANVS ET THEODOSIVS.

GRATIANVS, genitus Sirmij, imperauit cum patre Valentiniano annos octo, dies octoginta quinque: cum patruo & fratre, tres: cum eodem fratre ac Theodosio, quatuor: & cum his omnibus, accedente Arcadio, menses sex. Hic apud Argẽtarium oppidum Galliæ, triginta Alamannorum millia in bello exstinxit. Hic, cùm animaduertisset, Thraciam Daciamque tanquam genitales terras possidẽtibus Gotthis, Taifalis, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alanis extremum periculum instare nomini Romano; accito ab Hispania THEODOSIO, cunctis fauentibus, agenti annum à tricesimo tertium, imperium committit. Fuit autem Gratianus litteris haud mediocriter institutus: carmen facere, ornatè loqui, explicare controuersias, Rhetorum more:

nihil

nihil aliud die noctuque agere quàm ſpiculis meditari : ſummæque voluptatis, diuinæque artis credere, ferire peritè ſibi deſtinata. Parcus cibi ſomnique : & vini ac libidinis victor. cunctisque fuiſſet plenus bonis, ſi ad cognoſcédam Reipublic. gerendæ ſcientiam animum intendiſſet : à qua propè alienus, non modò voluntate, ſed etiam exercitio fuit. Nam dum exercitũ negligeret, & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad ſe tranſtulerat, anteferret veteri ac Romano militi ; adeoque barbarorum comitatu & propè amicitia capitur, vt nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra ſe militum excitauit. Hoc tempore cùm *Maximus* apud Britanniam tyrannidem arripuiſſet, & in Galliam tranſmiſiſſet, ab infenſis Gratiano legionibus exceptus, Gratianũ fugauit : nec mora, exſtinxit qui vixit annis XXXVIII. *S. Aurel. Vict. Hiſt. antiq.*

GRatianus cùm iam XIIII. regnaſſet annis, cum Theodoſio regnat annis VI. ſub quibus hi Coſſ. fuerunt.

Auſonius & Olybrius.

Gratianus V. & Theodoſius. *His COSS. Ambroſius epiſcopus de Chriſtiana fide multa ſublimiter ſcribit.*

Syagrius & Eucherius. *His COSS. Martinus epiſcop⁹ Turorũ (Galliæ ciuitatis) clarus habetur.*

Antonius & Syagrius *His COSS. Athanaricus rex Gotthorũ Conſtantinopolim venit ; ibiq́ vitam exegit.*

Merobaudes II. & Saturninus. *His COSS. Arcadius, Theodoſij Imperatoris filius, Auguſtus appellatur.*

Ricomer & Clearchus. *His COSS. Gratianus apud Lugdunum captus occiditur.* Cassiod.

ANno ab vrbe condita: M. CXXXII. Gratianus quadragesimus ab Augusto post mortem Valentis sex annis imperiũ tenuit, quamuis iamdudum antè cum patruo Valente & cũ Valentiniano fratre regnaret. Igitur Gratianus admodum iuuenis cũ inæstimabilem multitudinẽ hostium Romanis infusam finib. cerneret, fretus Christi potẽtia, longè impari militũ numero sese in hostẽ dedit. Et continuò apud Argentariam oppidũ Galliarum formidolosissimũ bellum incredibili felicitate confecit. Nã plus quàm XXX. M. Alemannorũ minimo Romanorũ detrimento in prælio interfecta narrantur. hoc denique ei recta fidei cultura tribuit. Nam cùm vsq; ad id tempus Italia Arrianæ perfidiæ morbo langueret, post Auxentij seram mortem, cùm Ambrosius ex pagano iudice subitò apud Mediolanum diuino nutu episcopus fuisset ex cũctis electus, moxq; catholico baptismate tinctus, præsul esset ordinatus: cumq; pro fide catholica libros Gratiano imperatori porrexisset, ac reuerentia, qua debuerat, susceptus esset, vniuersa statim ad rectã fidem Italia repullulauit. Eo tempore in Galliis apud Turonos, multis beatissimus Martinus florebat virtutib[9], totoq; orbe doctrinis & sciẽtiis clarus apud Bethlẽem ciuitatẽ Palæstinæ situs radiabat Hieronymus. Porrò Gratianus, cùm animaduertisset Thraciam Daciamq; tanquam genitales terras possidentibus Gotthis, Triballisque, atq; omni pernicie atrocio. ib. Hũnis & Alanis, extremum Romano homini periculũ instare, eadem prouisione,

nisione, qua quondā legerat Nerua Hispanū virū Traianū, per quē Respub. reparata est, accitū, & ipse nihilo minus æquè ab Hispania Theodosiū fauentib. cunctis, apud Syrmium purpuram induit, ætatis annū tertium & trigesimum agentem, Orientisq; & Thraciæ simul imperio præfecit. Itaq; Theodosius afflictā rempub. ira Dei, reparandā credidit misericordia Dei, omnem fiduciā sui ad opem Christi referens. Maximas illas Scythicas gētes formidatas cunctis maioribus, & Alexandro quoq; illi Magno euitatas: ac tūc extincto Romano exercitu, Romanis equis armisq; structissimas, hoc est Alanos, Hunnos & Gotthos incunctāter aggressus, magnis multisq; præliis vicit. Vrbē Constantinopolim victor intrauit, & ne paruam ipsam Romani exercitus manū assiduè bellando attereret, extemplo fœdus cū Athanarico rege Gotthorum percussit. Athanaricus Constantinopolim ad Theodosiū venit: quem ille mira animi iucunditate & affectione recepit. Deniq; cùm vrbem Athanaricus intrasset, & tam ædificia ciuitatis quàm exornati quasi ad diem festum populi frequentiā cerneret, ac p singula mente inhæreret, cūq; deinceps imperatoris regiā ingressus, obsequia, officiaq; diuersa conspiceret, *sine dubio*, inquit, *Deus terrenus est imperator: contra quē quicunque manus leuare nisus fuerit, ipse sui sāguinis reus existit*. Nec mora tamen superueniēte valetudine, reb⁹ humanis excessit. Cuius exequias imperator ipse præcedēs, dignæ eum tradidit sepulturæ. Ac vniuersæ Gotthorū gentes rege defuncto aspicientes virtutē benignitatemq; imperatoris Theodosij, Romano-

propè alienus non modò voluntate, sed etiam exercitio fuit. *Paul Diac. lib* 1

GRatianus audita Valentis patrui morte statim ad orientalem Romã (id est Constantinopolim) aduolauit: damnataq; eius aduersus Christianos sæuitia, missos ab illo in exsiliũ celeriter reuocauit, restitutis bonis, & damnis compensatis. Legeq; concessit omnibus, vt securè & absq; contentione in suis ecclesiis conuenirent, soliq; templis arcerentur Eunomiani, Photiniani, Manichæi. ¶ In Peripato (seu porticu ambulatoria) Gratiani, Valentiniani, Theodosij statuæ equis insidẽtes, super columnis positæ, & Firmiliani gibbi, risus mouendi gratia. ¶ Obiit *Basilius* sub Gratiano Romanorum Imperatore. *Suidas.*

HAud sane improbandum principem numina terris dederant, si quantum literis & militari disciplinæ vacabat, ac venationibus, tantum curæ ad Rempubl cognoscendam impendisset Nam pietate in suos egregius Valentinianum adhuc puerum Augustum dixit, patre, patruoq; extinctis. Mox Theodosium Hispanum cõsortem Imperij asciuit. Verùm dum spicula tantùm & arcus meditatur dum Alanũ militem Romano præfert, Maximi ducis insidiis circumuentus periit, cùm imperasset cum patre annos octo, cum patruo treis cum Theodosio IIII Valentinianus a Maximo eiectus, Theodosiiq; ductu postea restitutus in Imperium, Maximo tyranno interfecto, mox Eugenij & ipse post Maximum tyranni dolis victus, laqueo seipsum necauit.

Egnatius.

VALENTINIANVS II. ET THEODOSIVS I.



VALENTINIANVS & THEODOSIVS, regnant annis VIII. sub quibus hi Consules fuerunt:

Arcadius & Bauto. *His COSS. Hieronymus presbyter in Bethleem positus, toto mundo mirabilis habetur.*

Honorius N P. & Euodius.

Valentinianus III. & Eutropius.

Theodosius II. & Cynegius.


Timasius & Promotus.

Valentinianus IIII. & Neoterius.

Titianus & Symmachus.

Arcadius II & Rufinus. *His COSS. Valentinianus vitæ tædio apud Viennã laqueo periit.* Cass.

THEODOSIVS I. ARCADIVS ET HONORIUS.



HEODOSIVS, genitus patre Honorio, matre Thermantia, genere Hispanus; originem à Traiano principe trahens: à Gratiano Augusto apud Sirmium Imperator effectus, regnauit annos decem & septem. Huic ferunt nomen somnio parentes monitos sacrauisse, vt Latinè intelligam⁹, *A Deo datum.* De hoc etiam oraculo in Asia diuulgatum est, cum Valenti successurum, cuius nomẽ è Θ & E & O atq; Δ Græcis litteris initiaretur. Qua cognatione

gnatione principij deceptus *Theodorus*, cùm sibi imperium præsumeret, scelestæ cupidinis supplicia persoluit. Fuit autem Theodosius propagator Reipublicæ atque defensor eximius. nam Hunnos & Gotthos, qui eam sub Valente defatigassent, diuersis prœliis vicit. Cum Persis quoque petitus pacem pepigit. *Maximum* autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & sibi Gallias vindicabat, apud Aquileiam exstinxit: Victoremq; eius filium, intra infantiæ annos à Maximo patre Augustum factum, necauit. *Eugenium* quoq; tyrannum, atq; *Arbogastem* superauit, deletis eorum decem millibus pugnatorum. Hic etenim Eugenius, confisus viribus Arbogastis, postquam apud Viennam Valentinianum exstinxerat, regnum inuasit: sed mox simul cum vita imperium perdidit. Fuit autem Theodosius moribus & corpore Traiano similis; quantum scripta veterum & picturæ docent. Sic eminens status; membra eadem, par cæsaries, os; absq; eo quod illi aliquantum vellendo steriles genæ, neque tam ingentes oculi erant; nescio an & tanta gratia, tantusque flos in facie, seu tanta dignitas in incessu. Mens verò prorsus similis; adeo vt nihil dici queat, quod non ex libris in istum videatur transferri. Clemens animus, misericors, communis; solo habitu differre se cæteris putans: in omnes homines honorificus; verùm effusiùs in bonos: simplicia ingenia æquè diligere; erudita mirari, sed innoxia: largiri magno animo magna: amare ciues vel priuato cõtubernio cognitos; eosq; honorib⁹, pecunia, beneficiis cæteris munerari; p̃sertim quorũ erga se aspero casu officia

probauerat. Illa tamē, quib. Traianus aspersus est, vinolentiā & cupidinē triumphādi; vsq; eò detestatus est, vt bella nō mouerit, sed inuenerit: prohibueritq; lege, ministeria lasciua, psaltriasq; comessationibus adhiberi: tantùm pudori tribuens, & continētiæ, vt consobrinarum nuptias vetuerit, tamquam sororum. Litteris, si multum perfectos contemplemur, mediocriter doctus; sagax planè, multumq; diligens ad cognoscenda maiorum gesta. E quibus non desinebat exsecrari quorum facta superba, crudelia, libertati infesta legerat; vt Cinnam, Mariū, Sullamq; atq; vniuersos dominantium; præcipuè tamen perfidos & ingratos. Irasci sanè rebus indignis; sed flecti citò: vnde modica dilatione emolliebantur aliquando seuera præcepta. Habuitq; à naturæ munere; quod Augustus a philosophiæ doctore didicerat: qui, cùm vidisset eum facilè commoueri, ne asperum aliquid statueret, monuit vt vbi irasci cœpisset, quatuor atq; viginti Græcas litteras memoriæ recenseret: vt illa concitatio, quæ momēti est, mente aliò traducta, parui temporis interiectu languesceret. Melior haud dubiè, quod est raræ virtutis, post auctam annis potentiam regalem, multoq; maximè post ciuilem victoriam. Nam & annonæ curam sollicitiùs attendere, & auri, argentiq; grande pondus sublati atq; expensi à tyranno, multis è suo restituere; cùm benigni principum, & quidem vix fundos solerent nudos ac deformata prædia concedere. Iam illa minutiora, &, vt dicitur, *in aulam*: quæ quidem, quia occulta sunt, magis naturæ hominum curiosæ oculos auresque ad se trahunt: patruum colere

colere tamquam genitorem: fratris mortui sororisq; liberos habere pro suis: cognatos affinesq; parentis animo complecti: elegans lætumque conuiuium dare, non tamen sumtuosum: miscere colloquia cum personis, studio, dignitatibus, sermone cum grauitate iucundo: blandus pater, concors maritus. Exercebatur neq; ad illecebras, neq; ad lassitudinem. ambulationibus magis, cùm esset otium, reficiebat animum: ac vescendi cõtinentia valetudinem regebat. sicque in pace, rebus humanis, annum agens quinquagesimum, apud Mediolanum excessit; vtramq; Rempublicam vtriq;, id est, *Arcadio & Honorio* quietam relinquens. Corpus eius eodem anno Constantinopolim translatum atque sepultum est. *Sexti Aurelij Victoris historiæ antiquæ liber hic finit.*

THeodosius, cùm iam per XIIII. annos regnasset, cum Arcadio & Honorio filiis regnat annis duobus, sub quibus hi Consules fuerunt:

Theodosius III. & Abundantius.

Arcadius III. & Honorius II. *His COSS. Ioannes monachus, prophetiæ gratia præditus, Theodosium consulentem de euentu belli, quod aduersum Eugenium mouebat, victorem fore pronuntiat.*

Olybrius & Probinus. *His COSS. Theodosius Eugenium tyrannum vincit & perimit. Augustinus, beati Ambrosij discipulus, multa facundia doctrinaq; excellens, Hippone regione Africa Episcopus ordinatur. Hoc tempore Claudianus poeta insignis habetur. Theodosius Imperator Mediolani moritur.* Cassiodorus.

Anno ab vrbe condita millesimo centesimo trigesimooctauo Theodosius genitus patre Theodosio, matre Thermantia, quadragesimus primus imperator, interfecto per Maximum Gratiano, imperium Romani orbis obtinuit solus, mansitq; in eo annis XI. cum iam in Orientis partibus sex annis Gratiano viuente regnasset. Itaq; iustis causis ad bellum ciuile permotus, cùm è duobus Augustis fratribus, vnius interfecti vltionem, alterius restitutionê procuraret, sese aduersum Maximum tyrãnum sola fide maior (nam longè minor vniuersi apparatus bellici comparatione) proripuit. Aquileiæ tunc Maximus insederat: Andragatius comes eius summã belli administrabat Qui cùm largissimis militum copiis astuto consilio omnes Alpium & fluminum aditus communisset, dum nauali expeditione incautũ hostem præuenire parat & obruere, sponte insuper eadem quæ obstruxerat, claustra deseruit. Ita Theodosius nemine sentiente Alpes intrauit, atq; Aquileiam improuisus adueniens, magnum hostem Maximum, ac trucem & ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa ac dispendia, solò terrore nominis exigentem, sine controuersia clausit, cepit, occidit. Hanc Maximi perditionem beatus Martinus antè prædixit. Valentinianus recepto Italię potitus imperio est. Andragatius comes cognita Maximi nece, præcipitem sese è naui in vndas dedit, ac suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam Deo procurante suscepit. Victorem quoq; Maximi filium, quem imperatorem pater Gallis infantili ætate reliquerat, extinxit. Valentinianus

nianus junior, cùm in Gallias transiisset, ibique tranquillè rempublicam ageret, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui strangulatus, atque vt voluntariam sibi consciuisse mortem putaretur, laqueo suspensus est. Quo extincto, Arbogastes tyrannum creauit Eugenium, eligens hominem, cui titulum imperatoris imponeret, ipse acturus imperium. Vir barbarus, animo, consilio, manu, audacia, potentiaq; nimius, contraxit vndiq; innumeras inuictasque copias, vel Romanorum præsidiis, vel auxiliis Barbarorum, aliis potestate, aliis cognatione subnixus. Deniq; extabat genere Francus, cultorq; sordidissimus idolorum. Igitur Eugenius atque Arbogastes cùm instructa acie Alpium transitus tenerent, Theodosius expers cibi ac somni, orationi incumbens, totam noctem peruigil exegit: cùm tamen se esse destitutum à suis sciret, ab hostibus circunseptum nesciret, fiducialiter arma corripiens: signoq; crucis signum prælio dedit, ac se in bellum, etiamsi nemo sequeretur, victor futurus immisit. Nam consultus Ioannes Anachoreta, eum victorem spoponderat. Quem cùm Arbitio hostilium partium comes, ignarum circumpositis excepisset insidiis, conuersus mox ad reuerentiam Augusti, eum non solùm periculo liberauit, verum etiam auxilio instruxit. Cumq; ad cõgressionem ventum esset, vehemens turbo ventorum à parte Theodosij in ora hostium ruit, qui ab eius parte spicula missa valenter hosti infigeret, & hostili manu missa repelleret. Nec mora parua suorum data strage, victori se Theodosio hostilis exercitus pstrauit Eugenius captus,

atque interfectus est. Arbogastes sua se manu percussit. præmiserat namq; priùs Theodosius decem millia armatorum Gotthorum, quæ ab Arbogaste comite funditus deleta sunt. Quos vtiq; Theodosio perdidisse magis lucrum quā detrimentum fuit. Ad cuius laudem ob insignē victoriam poëta quidam eximius, sed infidelis inter cætera hos versiculos cecinit:

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Huic ferunt somnio nomen parentes monitos sacrauisse, quod in Latinum à Deo datum potest intelligi. De hoc etiam oraculo in Asia diuulgatum est, eum Valenti successurum, cuius nomen Θ. & O. atq; Δ. literis initiaretur. Qua cognitione principij deceptus Theodor9, cùm sibi imperium deberi præsumeret, scelestæ cupidinis supplicia persoluit. Fuit autem Theodosius propagator Reipub. atque defensor eximius, moribus & corpore Traiano similis, quātum scripta veterum & picturæ docent, à quo & originem traxit. Sic eminens status, membra eadem, par cæsaries, os simile, absque eo quòd illi aliquantulum vellendo, steriles genæ, neq; tamen ingentes oculi erant, nescio an tanta gratia, tantusq; flos in facie, seu tanta dignitas in incessu fuisset. Mens verò prorsus similis, adeo vt nihil dici queat, quod non ex libris eius in istum videatur transferri. Clemens animus, misericors, communis, solo habitu differre se à cæteris putans. In omnes honorificus; verùm effusiùs in bonos: simplicia ingenia æquè diligere, erudita mirari, sed innoxia, largiri magno animo magna, amare ciues vel priuato contubernio

bernio cognitos,eosq; honoribus,pecunia,beneficiis cæteris muneraři, præsertim quorum erga se velut patrem, aspero casu efficia comprobasset. Illa tamen quibus Traianus aspersus est, vinolentiam scilicet, & cupidinem triumphandi,vsque adeo detestabatur, vt bella non mouerit sed inuenerit, prohibueritq; lege ministeria lasciua psaltriasq; comessationibus adhiberi. Tantum pudori tribuens, & continentiæ, vt consobrinarum nuptias tanquam sororum vetuerit. Literis mediocriter doctus,sagax planè, multumq; diligens ad noscenda gesta maiorum. execrabatur cùm legisset superbiam dominantium, præcipuè perfidos, & ingratos. Irasci sanè rebus indignis, sed subitò flecti : vnde quoque dilatione modica emolliebantur interdum seuera præcepta: habuitque à naturæ munere, quod Augustus à philosophiæ doctore. Qui cùm vidisset eum facilè commoueri, ne asperum aliquid statueret,monuit vbi irasci cœpisset,quatuor atque viginti græcas literas memoria recenseret, vt illa concitatio quæ momenti est, aliò traducta, parui temporis interiectu languesceret. Melior haud dubiè, quod est raræ virtutis,post auctam annis potentiam regalem. auri, argentique pondera sublata à tyrannis,multis ex suo restituit. Inerat ei cura pietatis eximiæ. Colere patruum tanquam genitorem: fratris mortui, sororisq; liberos habere pro suis. Cognatos, affinesq;, parentis animo complecti. Elegans, lætumq; conuiuium dare, nec tamen sumptuosum,miscere colloquia pro personis. studio,dignitatibus, sermone cum grauitate iucundo,

Paul Diac lib.2.

vtramq; partem inclinationem. Nam cùm natura segnis & admodum socors esset, nulla molestia, aut formidine interpellãte genio indulgebat. Necessitate verò vrgẽte, & metu seruitutis impendẽte, eiecta socordia, & deliciis valere iussis, fortem & laborum tolerantem se præbebat: talis ipsa experientia declaratus, cùm primùm omni sollicitudine liberatus esset, naturę suæ inertiæ seruiebat. Ex iis qui magistratus gerebant, Rufinum eximiè honorabat, natione Gallum, magistrũ ordinum senatus. Idem cùm filium Honorium Romanorum Imperatorem designasset, coëgit senatum, patrię instituta seruantem, nec imitari volentem eos qui ad Deorum cõtemtum declinassent: verbaq; fecit de veteri errore relinquẽdo, & Christianismo amplectendo: cuius promissio esset ab omni peccato, omni impietate liberatio. Ei adhortationi cùm nemo paruisset; nec quisquam à patriis institutis iam inde ab vrbe condita traditis, recedere vellet, iisq; Christianos ritus anteferre; quòd cùm illa tenuissent, annos prope M.C C. vrbem incolumem tenerent: sed quid sibi euẽturum esset, illis permutatis, ignorarent: tum ille, sumtibus sacrificiorũ & victimarum onerari ærarium, seq; illa sublaturum esse dicebat: quòd neque rem ipsam probaret, & alioqui etiam res militaris sumtus maiores postularet. Cùm verò Senatus negasset rectè ista legitiméque fieri, & vt sumtus publici deessent, nõ propterea ritus sacrorum prætermittẽdos esse: Romanorũ imperiũ ex parte est imminutũ. *Suidas.*

THeodosius qui sex ante annos à Gratiano, vt Orienti præesset, Olymbrio & Ausonio

mitisq; tyrannis, administrationi Reipublicæ animum adiecit. Filios *Honorium* & *Arcadium*, quos ex Flaccilla susceperat, consortes fecit imperij. & quia nondum ætas matura imperio erat, ductores legit qui adessent, testamentoq; sanxit. Rufinum Arcadio adiungit, & Honorio Stiliconem. Ipse interea Mediolani morbo absumptus, Olymbrio iterum & Prino consulibus. Imperauit annis septendecim. Genus à Traiano ducere se iactabat: nec ab re, nam moribus & vultu, & successu rerum similis fuit. Ille labentem Rempublicam in pristinas vires restituit: sub hoc imperium Romanum, quod otio & negligentia trium principum consenuerat, dissensione partium dilaceratum, velut reiuuenescens lacertos mouit. ille pacata Europa ad Indos vsq; arma intulit: hic prius auspiciis atque armis paternis afferta Libya, attrita bellicosa Germanorum gente, dataq; sua virtute toto Orienti pace, postremò subactis ardentissimis Gallis, non omissa Britannia, parenti gentium vrbi, Italiæq; suæ, victrices aquilas reportauit; subque eo fortunæ simulacrum nusquam prætorium mutauit. *Pompon. Lætus.*

HIc Honorio patre, & matre Thermantia, haud dubie inter optimos principes adnumeretur: quippe qui Remp. Gotthicis armis penè oppressam accitus ex Hispania (quæ illi patria) à Gratiano restituerit. Maximum tyrannum & Andragatium præfectum eius subito incursu victos occiderit, Valentiniano Imperium asseruerit: mox Eugenium tyrannum in Valentiniani vltionem sustulerit, non sine numinis manifesto indicio: cùm multo minori-

bus enim copiis illi congressus, militante illi æthere, & coniuratis in eius auxilium ventis, vt poëta eleganter cecinit, victoriam insignem adeptus est. Fuit autem hic princeps moribus & & corpore Traiano principi similis: summa in eo clementia, incredibilis in suos pietas, rei militaris disciplina sagax, nec à literis alienus, simplicium ingeniorum admirator: pietatis nostrę adeò obseruator, vt summa ciuilitate ab Ambrosio antistite castigatum se, adytisq; prohibitum tulerit. Obiit Mediolani ætatis anno quinquagesimo, Imperij X I. *Egnatius.*

ARCADIVS ET HONORIVS.



Ost hunc ARCADIVS, cùm iam regnasset ãnis X I I. cum fratre HONORIO regnat annis X I I I. sub quibus hi consules fuerunt:

Arcadius I I I I. & Honorius I I I.
Cæsarius & Atticus.
Honorius I I I I. & Eutychianus.
Manlius & Theodorus.
Stilico & Aurelianus. *His C O S S. Gotthi Alarico & Radagaiso regibus ingrediuntur Italiam.*
Vincentius & Frauita.
Arcadius V & Honorius V. *His C O S S. Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano Gotthi acie victum fugauerunt.*
Theodosius Aug. I. & Rumoridus.
Honorius V I. & Aristænetus,

Stilico

Stilico II. & Anthemius.

Arcadius VI. & Probus. *His COSS. Vandali & Alani traiecto Rheno Gallias intrauerunt.*

Honorius VII. & Theodosius II.

Bassus & Philippus. *His COSS. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur.*

ANno ab vrbe condita millesimo centesimo quadragesimonono *Arcadius* Augustus in Oriente factus. *Honorius* frater eius in Occidente quadragesimo secundo, loco commune imperium, diuersis tantùm sedibus tenere cœperunt. Quorum pater curam viris potentissimis mandauerat habere, id est, Rufino orietalis aulæ, Stiliconi occidentalis imperij. Vixitq; Arcadius post patris excessum annis XII. imperiiq; summã Theodosio filio paruo admodum moriens tradidit. Interea Gildo comes Africæ cognita Theodosij morte, arbitratus minimam in paruulis spem fore, Africam iure proprio cœpit vsurpare. Huius frater Mascelzer germani perfidiam perhorrescens, in Italiam rediit. Gildo duos filios, quos pater reliquerat, dolo circumuentos occidit. Ad hunc iam hostem bello insequendum, Mascelzer frater missus est. Mascelzer iam à Theodosio sciens quantum virib. desperatissimis oratio hominis p fidem Christi clemẽtiam Dei impetraret, Caprariam insulam adiit. Inde secum sanctos viros adducens, cum quibus orationib. ac ieiuniis dies aliquot continuauit, & noctes. Ante triduum quoq; quàm hosti cõtiguus fieret, cernit noctu beatum Ambrosium paulò antè defunctũ, quando victoriã caperet, diem sibi indicantẽ, & locum: ac tertio demum die post noctẽ orationibus hymnisq;

peruigilem, cum quinq; solummodo millibus aduersus LXXX. millia hostium pergens, eos Dei nutu sine bello in deditionem accepit: Quo viso, auxiliarij Gildonis barbari illico terga dedere. Gildo & ipse fugam arripiens, ascensa naui, cùm in Africam rediisset, post aliquot dies strangulatus interiit. Sanè idem Mascelzer rerum secundarum insolentia tumens, ecclesiam Dei temerare ausus est, atq; ex ea quosdam non dubitauit extrahere. Secuta mox pœna sacrilegum est nam post aliquantulum temporis ipse punitus est. Interea Rufinus cui orientalis aulæ à Theodosio cura commissa est, malo perfidiæ deprauatus, cùm Barbarorum solatiis regnum tentaret inuadere, morte iustissima pœnas luit. Stilico quoque occidentis tutor imperij, immemor collatorum beneficiorum, immemor affinitatis: nam socer extabat Honorij, regnum & ipse Eucherio filio affectans, ingentia Reipubl. intulit mala. nam sæpe cùm delere posset Barbaros, fouit eos, sæpe Alaricum cum Gotthis suis vicit, sæpe conclusit sæpeq; dimisit. cuiusquis fuerit exitus suo melius loco dicetur. Inter hæc omnium antiquorum, præsentiumq; hostiũ longe immanissimus Radagasus rex Gotthorum totam repentino impetu inuadit Italiam. Nam fuisse in eius populo plus quam ducenta millia Gotthorum ferunt. Hic supra hanc incredibilem multitudinem indomitamque virtutem, barbarus erat, & Scytha, qui omnem humani generis sanguinem diis suis propinare deuouerat. Inuadit illico Romam pauor infinitus, fit omnium paganorum in vrbe cõcursus, declamatur à cunctis,

se hæc

ſe hæc ideo perpeti,quòd neglecta fuerunt magnorum ſacra deorum. Magnis querelis vbiq; agere: & continuò de repetendis ſacris, celebrandisq; tractatur. ferè in tota vrbe blaſphemiæ ad nomen Chriſti tanquam lues aliqua probris ingrauantur. Conducuntur à Romanis aduerſus Radagaſum duo pagani duces, Gotthorum Sarus,& Virdinus Hunnorum, ſed nō ſinit Deus rem ſuæ potentiæ infidelium virtute tueri. Contritus namque diuinitus Radagaſus in aſpero Feſulani montis iugo,vrgente vndiq; timore concluditur, agminaque, quibus anguſta dudum videbatur Italia, latēti ſpe in vnum, ac paruum mōtis verticem truduntur:quo cùm fame & ſiti conſicerentur, rex Radagaſus ſolus ſpem fugæ ſumens captus à Romanis in vincula cōijcitur,ac pauliſper retentus vita priuatur. Tāta vero multitudo captiuorum Gotthorum fuiſſe fertur,vt in viliſſimarū pecudū modum ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur.Interea Alaricus Italiam ingreſſus,cùm ab Honorio ſedem, qua cum ſuo exercitu conſiſtere poſſet, expeteret, Honorius deliberato conſilio, ei Gallias conceſſit: qui dum ad Gallias pergens, ob recuperationem iumentorum apud Polentiam aliquātulum reſediſſet,Stilico comes in perniciem Reip.Gotthos pertentans, dum eos inſidijs aggredi cuperet, belli ſummam Saulo pagano duci commiſit: qui ipſo ſacratiſſimo die Paſchæ, Gotthis nil tale ſuſpicantibus, ſuper eos irruit, magnamque eorum partem proſtrauit. Nam primum perturbati Gotthi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt:more ſolito cohortātur,

Paul. Diaconus lib.3.

victoremq; virtute potiori prosternũt exercitũ. Hinc in rabiem furoris excitantur, captum iter deserentes, Romã cõtendunt petere, cuncta per quæ irẽt, igni feroq; vastãtes. Nec mora, venien tes vrbẽ capiũt, deuastant, incẽdunt, dato tamẽ priùs pręcepto, vt si qui in sancta loca, pręcipuè sanctorũ apostolorũ Petri & Pauli basilicas cõfugissent, hos in primis inuiolatos, securosque sinerent, deinde quantum possent, prædæ inhiantes, sanguine temperarent. Capta itaque Roma est millesimo centesimo sexagesimoquarto conditionis suæ anno. Die sanè tertia sponte Gotthi vrbe discedunt, facto aliquantarum ædium incendio, sed ne tanto quidem quantum olim à Cæsare factum est. Deinde per Campaniam, Lucaniam, Brutiamque simili strage bacchãtes, Rhegium peruenere, in Siciliã transfretare cupientes: quò cùm transmeare ascensis nauibus vellent, perpessi naufragium plures suorum amiserunt. Alaricus inter hæc dum quid ageret deliberaret, apud Cõsentiam morte subita defunctus est Gotthi Basentum amnem de alueo suo captiuorum labore deriuãtes, Alaricum in medio eius alueo cùm multis opibus sepeliunt, amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum scire posset, captiuos qui interfuerant, extinguunt. Regem deinceps Ataulphum Alarici affinem Gotthi constituentes, Romam redeunt: si quid residui fuit, more locustarum eradunt, auferẽtes deinde Gallam Placidiam Theodosij principis filiam, sororem Honorij, quam sibi Ataulphus apud forum Cornelij connubio copulauit: quæ multò pòst Reip. commodo fuit. Nam ad hoc

maritã

mariti animum acerrimo ingenio, ſubtilibusq́; blandimentis cum inflexit vt vltro à Romanis pacem expeteret: qui ad Gallias proficiſcens, apud Barcinonem fraude ſuorum occiſus eſt. Poſt quem Genſericus regnum capiens, dum pacem Romanis ſeruare diſponit, & ipſe à ſuis peremptus eſt. Deinde Vuallia regnandi iura ſuſcepit, ad hoc electus à Gotthis, vt pacem infringeret: ab hoc à Deo ordinatus, vt confirmaret. Interea comes Stilico Vuandalorũ perfida & doloſæ gẽtis genere editus, Eucheriũ vt eſt dictũ, filiũ iam a puero Chriſtianorũ perſecutionem meditãtem, vt imperio ſubſtitueret, ante bienniũ Romanæ irruptionis gẽtes copijs viribusq; intolerabiles hoc eſt, Alemãnorum, Suenorum, Vuandalorum, Burgundionũ, vltrò in arma ſuſcitauit, easque pulſare Gallias voluit, vt ſub hac neceſſitate à genero in filium extorquere poſſet imperium. Tandem vbi Imperatori Honorio exercituique Romano hæc tam ingentia damna patefacta ſunt, commoto iuſtiſſime exercitu occiſus eſt Stilico, qui vt vnum puerũ purpuram indueret totius humani generis ſanguinẽ dedit. Occiſus ipſe eſt, Eucheriuſq; filius eius, paucíq; cũ iiſdẽ ſatellites tantarũ molitionũ puniti ſunt. Eodẽ tẽpore clariſſima loca vrbis fluminibus diruta ſunt, quæ inflãmari ab hoſtibus nequiuerũt. Inter hęc apud Britannias Gratianus tyrannus mox creatus occiditur. Cuius loco Conſtantinus ex infima militia propter ſolam ſpem nominis ſine merito virtutis eligitur: qui ad Gallias tranſiens, ſæpè à Barbaris incerto fœdere illuſus, detrimento magis Reip. fuit quàm augmento. Tũc

Paul. Diaconus lib. 3.

duo iuuenes locupletes, Didymus & Viridianus acceptis proprijs seruulis & vernaculis, sese patriamque à Barbaris & tyranno defendere moliti sunt. Aduersum hos Constantinus Cõstantem filium ex monacho Cæsarem factum, cum quibusdam fœderatis barbaris in Hispanias misit. Constans Barbarorũ fultus auxilio, eos primo prælio peremit: quibus barbaris dũ claustra Pyrenæi montis commissa fuissent, ab eis tota quæ per Gallias bacchabatur, ferocitas gẽtium Hispanarum prouincijs intromissa est. Itaque post multas strages, incendia, & rapinas tãndem diuisis sedibus, Barbari ad aratra conuersi, Romanorum residuos cœperũt vt socios amicosque fouere. *Paul. Diaconus lib 3.*

IGitur imperator Honorius, dũ vires reipub. quotidianis cerneret labefactari incommodis, virum strenuum & bellicosum Constantinum comitem ad Gallias cum exercitu misit. Is mox vt Galliam ingressus est, continuò Constantium tyrannum apud Arelatem extinxit. Constans verò eius filius à Gerontio suo comite Viennæ peremtus est. In cuius locum Gerontius Maximum quendam substituens, à militibus suis iugulatur. Maximus deinde purpura exutus, in Hispania exulans obijt. exinde Iouinus apud Gallias mox vt assurrexit, cecidit. Sebastianus tyrãnus frater eius continuò creatus occisus est. Tertullus consul, qui se principem in senatu futurũ gloriatus est, pari nihilominus exitu perijt. Attalus à Gotthis imperator effectus est, postmodum captus à Constantio, missusque Honorio, truncata manu vitæ relictus est. Heraclius quoq; cum Sabino genero

ro cum tribus millibus ac septingẽtis nauibus ex Africa Romam tendens: sed per occursum comitis marini territus & in fugam versus, arrepta naui solus Carthaginem redijt, ibique peremtus est. Hos omnes Honorius optima religione, magnaq; Cõstãtij industria superauit. meritò sanè. nã his diebus præcipiẽte Honorio, fauẽte Constantio, sopitis apud Africã hæreticis, pax ecclesijs redditur, in qua fulgentissimus tunc apud Hipponem Regiũ, totiusq; magister ecclesijs florebat Augustinus. Interea Vuallia Gotthorum rex Dei iudicio territus, Placidiam apud se honestè habitam, exigente Constantio, fratri Honorio reddidit, pacemq; cum eo datis obsidibus pepigit, seq; pro Romanis aduersum Barbaros qui Hispanias inuaserãt, pugnaturum spopondit. Mittunt econtrario Vuandalorum Sueuorumq; reges principi Honorio legationẽ his verbis: *Tu cum omnibus pacem habe, omnium obsides accipe. Nos nobis confligimus, nobis perimus. Vicimus tibi: tuus erit quæstus Reipub. si vtriq; pereamus.* His itaq; tantis incommodis Deo fauente sopitis, Honorius Gallam Placidiã germanam suam Constantio suo comiti fide integerrimo, & ingenti viro iamdudum promissam, magno cunctorum gaudio sociauit: ex qua Valentinianum filiũ Constantius genuit: qui postea Reip. imperiũ gessit. Hoc in tempore fœdus Cõstantius pepigit firmissimum cum rege Gotthorum Vuãllia, tribuẽs ei ad habitãdum Aquitaniam Galliæ prouinciã, eiusdemq; prouinciæ quasdã ciuitates vicinas. Cernẽs itaq; Honorius vbiq; se Cõstantij virtute & ingenio seu per bella, seu pacis moderatione tueri, eum cunctis adni-

Paul. Diaconus lib. 3.

tentibus apud Rauennam in regni consortium adsciuit: qui necdũ septẽ mensibus euolutis ex hac luce subtractus est. His diebus apud Bethleem Palæstinæ beatissimus Hieronymus expletis nonaginta & octo vitæ annis ad Christũ migrauit. Sequẽti tẽpore Maximus apud Hispanias factione Iouiniani, qui tunc in re militari primus habebatur, tyrannidem arripuit. Nec multò pòst superati vtriq; & capti ab Honorij exercitu, eidem cùm apud Rauennam tricẽnalia sua perageret, præsentantur. Hac tempestate Britanni Scotorum Pictonumq; infestationes non ferentes, Romã mittunt, ac sui subiectione promissa, contra hostes auxilia flagitãt. Quibus statim ab Honorio missa militũ legio magnam Barbarorum multitudinem strauit, cæterosque Britãnicæ finibus expulit. Sed mox vt discessere Romani, aduectis iterũ nauibus hostes obuia quæq; sibi cõculcant ac deuorãt. Rursumq; aduolant Romani, cæsumq; hostẽ trans maria fugant. Hoc tẽpore dũ Vuãdali Alaniq; Hispaniã infestarẽt, Honorius ad eas defensandas Castinum ducem cum exercitu dirigit: qui Castinus præclarum virum Bonifaciũ, ac bellicis artibus exercitatũ, inepto & iniurioso suo imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Bonifacius verò periculosum sibi, indignumq; ratus eũ sequi, quem discordem superbientemq; expertus esset, celeriter se ad portũ vrbis, atq; inde ad Africã proripuit, magnumq; postmodo Reip. detrimentũ, totiusq; Africæ causa excidij extitit. Castinus verò tãto collega ob suã intẽperantiã priuatus, nihil dignũ in Hispanijs gessit. Inter hæc Placidia augusta à fratre Honorio pulsa,

pulſa,ad Oriẽtem cũ Honorio & Valentiniano filijs profecta, à Theodoſio Auguſto Arcadij alterius germani ſui filio honorificè libẽterq; ſuſcepta eſt. Honorius verò poſtquã cũ minore, de quo præmiſſum eſt, Theodoſio Arcadij germani ſui filio annis XV. imperaſſet, cùm iam antea cũ fratre XIII. annis, ac ſub patre duodecim regnaſſet, remp. vt cupierat, pacatam relinquens, apud vrbem Romã vita exẽptus eſt, corpusq; eius iuxta beati Petri Apoſtoli atrium in Mauſoleo ſepultũ eſt. Huic ſoboles nulla fuit. Nam duæ Stiliconis filiæ, id eſt Maria, & Hermantia, vna poſt alteram ei coniugio ſociatæ, vtræq; Dei iudicio inopinata morte præuentæ, ex hac luce virgines migrauere. Fuit ſanè Honorius moribus & religione patri Theodoſio nõ valde abſimilis: cuius temporibus quamuis multa externa bella ſurrexerunt, vel nullo, vel minimo ſanguine quieuerũt. *Paul. Diacon. lib. 4.*

ARcadius igitur Conſtantinopoli, Honorius Romæ imperat. Sed quis animorum receſſus intueri poteſt? veterem fidem & ſanctiſſimum legati ius cupido regnãdi violauit. prior Rufinus clàm miſſis muneribus, Alarico Gotthorum regi capere arma contra Arcadium perſuadet, vt ſub eo metu diadema Orientis capiti ſuo imponeret. re intellecta, à militibus Italicis pernicioſus tutor occiſus eſt: caput cum dextra præciſum ante ipſas Conſtantinopolis portas pependit, ac ſpectantibus ludibrio fuit. Caianus Rufini imitator, auxilio Gotthorum fretus, bellum ciuile mouit: arriſit ei primo prælio fortuna, pòſt nauali inter Helleſpontum & Cheroneſſum victus, dum fugit, captus eſt.

caput eius pilo suffixum Constantinopoli spectaculo fuit. Arcadius cùm regnasset annis paulò minùs tredecim, decessit, Basso & Philippo consulibus, relicto filio Theodosio, quem antea Cæsarem fecerat. Cui ex matre Eudoxa & Augusto patre, tres sorores erant, Flaccilla, Martina, & Pulcheria quæ virginitatem perpetuò seruauit summa bonitate integritateque & sanctitate, religionis obseruãtissima cultrix. Virgini deiparæ nobile templum ædificauit Blacernis in quo inclusas argenteo tabernaculo pretiosas Mariæ vestes, quas è Palęstina suis manibus tulit, summa cũ veneratione posuit. Eudoxa ante viri obitum tribus annis, morbo soluta est, Honorio IIII. & Eutitinio Coss. Gildo regnum Africæ adeptus, Mascezelis fratris filios enecat. is Italiam nauigauit, ab Honorio copias accepit. mirum dictu, cum quinque millibus pugnatorũ fraternas copias deleuit: ipsiusq; Gildonis à fuga tracti, velo gulam, quibus mandatum est, fregere Hec modo Mascezel cædem filiorum vltus est. Interea Stilico secretiore via filio regnum parat. Mariam Honorio nuptui dat. quæ cùm ante nuptiarũ diem obisset, Thermatiam filiam alteram despondit: & hæc illius fatum virgo secuta est. mœstus parens Eucherium filium Cæsarem visere cupiẽs, Suenos, Vuandalosque & Alemannos magna prædæ spe solicitauit. Ille properat cum rege Rhadagaiso: numerus fuit ducentorum milliũ. Stilico metum simulat. Hostis vrbis potiendæ causa in Italiam irrumpit occursu nostrorum subito repellitur. In Hetruriã fugit, ibiq; victus est. Rex verò à fuga retractus, & in carcere strãgulatus.

gulatus est. Hostes deinde qui superfuerunt, cùm ad solita loca se recepissent, eligendo duci intenti, Alaricum regem salutauere. qui statim legatos ad Honorium misit, qui agros ad habitandũ peterent. Gallia ab imperatore concessa est. quò dum pergit, cũ omni supellectile, fraude à Stilicone de industria petitus, iter omisit: vltores inuocans deos, quòd ius gentiũ violatũ sit, indignatus toto (vt dicitur) impetu, cælo duce Romam cõtendit; obstupescẽtibus cunctis, quà iter faciebat, voto potitus est: pauca ædificia incendit: non multa onustus præda, sexto die egressus est, captiuam abducens Placidiam, Magni Theodosij filiã, quam in foro Cornelij, Ataulpho propinquo suo vxorem dedit. Ex lectione historiarum illud compertum habeo, victoriam semper fore in ea parte quæ iure pugnat. Victores olim Galli, post captam vrbem, si à fœda innocẽtium nobilium cęde abstinuissent, conscendisse Capitolium Romanis minimè profuisset, & anseris clangor Manlium non excitasset. Capta est vrbs an. A.V.C. millesimo C.LXIIII. ignominia potiùs quàm clades illata est. Victor deinde Alaricus in Siciliam tranare naufragio vetitus, dũ Consentiæ hyemat, morbo interijt. Milites metuentes ludibria effossi cadaueris, alueum Bussenti amnis mutauerũt: excauatoq; hypogéo, regis tumulum congestis opibus posuerũt, & fluuium pristino alueo immiserunt, & præposito copijs Ataulpho rege ad vrbem diripiendam redeunt. Dux verò Ataulphus moribus vxoris Placidiæ lenitus, fœdus cum Romanis percutit: ibi indignati regẽ dolo sustulerunt. Iamq; Stiliconis fraudes in aperto

erant; igitur cum filio Romæ in foro Pacis occisus est. etiam eius factionis plerique cecidere. Interea in Britannia occiso Gratiano tyranno Constātinus præficitur propter nomen duntaxat ad hoc dignus existimatus. Is cum exercitu in Gallias nauigauit,& Constantem filium Cæsarem ab eo factum cum parte copiarum ad occupandas Hispanias frustra misit. Cum hoc accepisset Honorius, Constantium ingētis animi virum ad liberādas Gallias proficisci iubet, qui Constantinum ad primos impetus compressit, & filius sortem patris secutus, à Gerōtio Viennæ occiditur. in cuius locum exercitus homicida consultore, Maximum legit: qui dum in Hispania exularet, vrgente rerum tenuitate, perijt. Extinctis vndique in Gallijs, Hispanijsq; & Libya surgentibus tyrannis, suasione Constantij Placidia ad Honorium fratrem remittitur. Qua liberalitate Gotthorum rex Vuallis pacem ab Romano principe impetrauit: Porrò Placidia iubente Honorio nupsit claro viro Constantio, quem dux Cæsarem & consortem imperij simul fecit. Ex quibus nuptijs Rauennæ quinto nonas Quintilis natus puer est Valentinianus, Moma & Plinta consulibus: magno pòst apparatu tricennalia celebrauit, quæ vouerat pro imperio liberando. Rursus Scotorum & Pictonum copiæ è Britannia ab legionibus nostris pelluntur, & in Hispania res pro voto successerunt. Post obitum Constantij Placidia cum filijs, Valentiniano & Honorio, iussu Augusti pelluntur, & ab Theodosio Arcadij filio, qui Orienti præerat, hospitaliter excipiuntur. pòst

paulò

paulò Honorium febris inuasit, qua decessit, rebus gerēdis dissimilis patri. Nam qui eius acta recensent, in quibusdam Magni Constantini F. Constantium imitatum fuisse reperiunt. Imperauit annis *XXXI.* cum patre II. cū fratre XIII. cum fratris filio *XVI.* *Pompon Lętus.*

HOsce pueros Theodosius viuens, imperij consortes fecerat: & moriēs, quando ætas rerum moli non responderet, treis imperij tutores testamento sanxerat: Arcadio Rufinum, Honorio Stiliconem commendans, Africæ verò Gildonē præesse voluit. Prior Rufinus, dum Gotthorum solicitat arma, vt Imperium metu ab Arcadio extorqueret, perfidiæ pœnas dedit: parique pœna Caianus Rufini sceleris popularis afficitur: inde mox Arcadius cùm Byzantij regnasset annos ferè *XIII.* obijt, Theodosio filio relicto. Maior rerum moles Honorium Romæ agentem excepit: qui rebellantem Gildonem cùm Mascezelis fratris ductu superasset, eundem quoque Mascezelem rebellem expertus, Bonifacij ductu vicit. At Stiliconis perfidia eò perniciosior, quò occultior fuit. Nā magno nostro dedecore, cùm Gotthi Italiā vastassent, vrbemque Romam cepissent, astu Stiliconis rem adiuuante, tandem re ab Honorio cognita, Stilico cum filio sublatus est, qui genere Vuandalus, & militaris disciplinæ scientissimus, Honorij etiam socer, si quam operam in perdendo ad Fesulas Radagaso cum ducentis Gotthorum millibus præstiterat, in asserendo Imperio præstitisset: nec Romam Alaricus Gotthorum rex vnquam cepisset, nec orbem totum cladibus assiduis inuoluisset. Decessit

autem Romæ, cùm annos duos & XXX. imperasset.

Romæ captiuitas.

NOn potui non vehementer mirari tantam vel temporum iniuriam, vel scriptorum inertiam, tum veterum, tum recentium fuisse: vt cùm Romam orbis reginam captam ab Alarico Gotthorum rege, anno post eam conditam M. CLXIIII. certatim omnes memoriæ prodãt: seriem tamen rei, aut indagandam non censuerint; aut indagatam tanquam rem planè ignobilem, nec scitu dignã obliuione inuoluerint. Proh Deûm hominumque fidem, vrbs orbis totius regina, quæq; eo auspicio condita credatur, vt caput orbis semper esset, & quæ toties de barbaris gentibus, orbeque triumpharat, capitur Gotthico astu, & interim rei series, ordoq; nescitur? Ego verò id minimè patiar, & omnis antiquitatis illustrandæ stúdiosus, hanc quoq; rem tam memorabilem non negligam. Astu autem barbarico capta traditur in hunc fermè modum, quem Procopius solus ex omnibus, quos legi, tradat: vt mirer ab interprete vel rem totam dissimulatam, vel cùm in mutilum Græcum codicem incidisset, non animaduersam. Ille igitur in hanc sententiam: Obsederat Romam Alaricus iam biennium: nec Honorius, qui Rauennæ desidebat, aut ferre suppetias poterat, aut audebat. Nam cùm nihil minus, quàm de vrbis salute solicitus esset, Stilicone interfecto, ducem exercitui minimè præfecerat, qui rem aduersus Gotthos administraret. Vnde Gotthis obsidendæ vrbis cogitatio, Romano milite aut dilapso, aut segniter rem agente.

gente. Verùm eam frustra obsessam, cùm expugnare vi non possent, ad dolum hostis barbarus vertitur. Profectionem in patriam simulat, trecentosq; iuuenes, corporis & animi vi præstantes deligit, quos Romanis principibus dono det: instructos prius, vt omni obsequio dominos suos promereri studeant, & ad certam diem circa meridiem, cùm Romani principes somno vel otio vacarent, ad Asinariam portam aduolent: interfectisque improuiso insultu custodibus, portam sibi præsto futuro aperiant. Intereà Gotthi cùm reditum, alia atque alia deesse sibi simulantes, differrent, trecenti illi iuuenes occasione egregiè vsi, portam stato die suis aperiunt: & intromissus Gotthus maiore ignominia, quàm damno vrbem omnem populatur. Sunt qui Probæ illustris fœminæ, & opulentissimæ operâ patefactam Gotthis portam existiment, cùm plebem Romanam passim fame, & morbis pecudum more cadentem miseraretur. Duo sunt cognitu non indigna: Vnum, edictum ab Alarico fuisse, vt quicunque in templa diuorum confugerent, præcipue Petri & Pauli, his nulla vis inferretur, quod est summa fide seruatum: Alterum quòd cùm nuntiatum Honorio esset Rauennæ Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo, cui nomen erat Romæ, significatum esse: admiratumque vehementer tam subitò periisse eum, qui cum paulò ante festiuissimè luserat. Adeò socordis ingenij princeps, nec quicquã omnino paternæ auitæque virtutis referens, quod & Arcadio fratri vitio datum est. Nam Eudoxiæ vxori addictus, cùm alia improbè fecit, tum

Chrysostomum antistitem sanctitatis & eruditionis egregiæ, vxori plus æquo inseruiens, in exilium egit. *Egnatius.*

ARcadius Constantinopoli, Honorius Romæ, diuiso imperio, post patris Theodosij mortem imperant. Hosce enim viuens adhuc pater imperij consortes fecerat: & moriens, quoniam nondum per ætatem imperio maturi esse videbantur, testamento imperij administratores sanxit, qui liberorum ætatem adultam supplentes, regni curam gererent. Rufinum Arcadio adiungit; Honorio Stiliconem, Gildonem verò Africæ præesse voluit. Rufinus primus veterum fidem & sacrosanctum fideicommissi ius violans, clàm missis muneribus, Alarico Gotthorum regi contra Arcadium arma sumere suadet, vt sibi Orientis istac via pararet imperium. Re perspecta à militibus, auctor tam scelerati consilij Rufinus occiditur. Caianus Rufini sceleris imitator, auxilio Gotthorum fretus, bellum ciuile mouet: nauali prælio inter Hellespontum & Chersonesum victus, dùm fugit, obtruncatur. Caput eius pilo suffixum Constantinopolim deportatur. Arcadius cùm regnasset annis paulò minus tredecim, vitam cum morte commutat, relicto filio Theodosio, quem, dum viueret, Cęsarem fecerat. Hic socordis ingenij princeps, nec quidquam omnino paternæ auitæque virtutis referens, Eudoxiæ vxori addictus, cùm alia multa improbè fecit, tum Chrysostomum antistitem Constantinop. sanctitatis & eruditionis egregię virum, vxori plus ęquo inseruiēs, in exilium misit. *Appendix S. Aurel Victoris.*

Honorius

HOnorius Theodosij filius, patri rebus gerendis dissimilis, Romæ eodem anno, quo Arcadius Constantinopoli imperat. Gildo Africæ regnum adeptus, Mascezelis fratris filios necat. Is in Italiam fugiens, acceptis ab Honorio quinque hominum millibus, fraternas copias delet, ipsiusque Gildonis in fuga comprehensi, milites, quibus mandatum erat, velo gulam perfregere. Honorius Stiliconi perniciosò tutori (quod vocatis clam ab eo Vandalis in Galliam, rerum summam voluisset ad Eucherium filium transferre, simul & aduersus Alaricum apud Rauennam infeliciter pugnasse sua causa comperisset) successorem pariter & interfectorem misit. Itaque Romæ in foro Pacis vnà cum Euchério filio, & alijs coniurationis conscijs trucidatur. Maximum, Iouium & Sebastianum de successione in Gallia tumultuantes per Heralium præfectum è medio sustulit. Postremò Constantinum, qui Gratiano tyranno successit, barbarum hominem Britanniam occupantem apud Arelatensem vrbem, opera & studio Constantij Comitis superauit. Huic, quoniam eum virum & domi & militiæ fidum expertus fuerat, Placidiam sororem olim Ataulpho Gotthorum regi nuptam matrimonio iunxit. ex qua Valentinianus iunior (qui, post Theodosium iuniorem, Arcadij filium, imperauit) natus est. Decessit Romæ cùm annos duos supra triginta imperasset. Hoc tempore Talmud Iudæorum à duobus Rabinis (Platina autore) componitur: & Franci traiecto Rheno magnam Galliæ partem occupant. Iudæi cum Christianis Alexandriæ confligunt.

Appendix Sex. Aurel. Victoris.

HONORIVS ET THEODOSIVS II.



ONORIVS cum THEODOSIO fratris filio regnauit annis XV. ſub quo hi Conſules fuerunt.

Honorius VIII. & Theodoſius III. *His COSS. Vandali Hiſpanias occupauerunt.*

Varan & Tertullus. *His COSS. Roma à Gotthis Alarico duce capta eſt; vbi clementer vſi victoria ſunt.*

Theodoſius Aug. IIII. COS.

Honorius IX. & Theodoſius V. *His COSS. Gotthi rege Ataulpho Gallias intrauerunt.*

Lucius V. C. COS. *His COSS. Burgundiones partem Galliæ Rheno coniunctam tenuere.*

Conſtantius & Conſtans.

Honorius X. & Theodoſius VI.

Theodoſius VII. & Palladius. *His COSS. Gotthi placati, Conſtantio Placidiam reddiderunt: cuius ipſe nuptias promeretur.*

Honorius XI. & Conſtantius II.

Honorius XII. & Theodoſius VIII.

Monaxius & Plinta.


Theodoſius IX. & Conſtantius III. *His COSS. Conſtantius ab Honorio in ſocietatem regni recipitur.*

Agricola & Euſtachius. *His COSS. Conſtantius Imperator moritur.*

Honorius XIII. & Theodoſius X. *His COSS. exercitus ad Hiſpanias contra Vuandalos miſſus eſt.*

Marinianus & Asclepiodotus. *His COSS. Placidia Augusta à fratre Honorio, ob suspicionem inuitatorum hostium, cum Honorio & Valentiniano filiis ad Orientem mittitur: Honorius moritur.* Cassiodorus.

THEODOSIVS II. ET VALENTINIANVS.



Olus THEODOSIVS Romanum imperiũ tenet annis XXVII. sub quo hi Consules fuerunt.

Castinus & Victor. *His COSS. Theodosius Valentinianum consobrinum Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum occidentale mittit imperium.*

Theodosius XI. & Valentinianus Cæsar. *His COSS. Ioannem tyrannum Valentinianus Imperator exstinxit, Hunnosq., qui in Italia erant Ioannis præsidio per Aëtium mira felicitate dimouit.*

Theodosius XII. & Valentinianus II.

Hierius & Artabures. *His COSS. Bonifacio Africam tenenti infaustè bellum ingeritur. Gens Vuandalorum à Gotthis exclusa, de Hispaniis ad Africam transit.*

Felix & Taurus. *His COSS. Aëtius multis Francis cæsis, quam occupauerant, propinquam Rheno partem recepit Galliarum.*

Florentius & Dionysius.

Theodosius XIII. & Valentinianus III.

Bassus & Antiochus Ætius.

Ætius & Valerius.

Cassiod.

Theodosius XIIII. & Maximus.

Aspar & Ariouindus.

Theodosius XV. & Valentinianus IIII. *His COSS. pax facta cum Vuandalis, data eis ad habitandum Africæ portione. Gundicarium Burgundionum regem Aetius bello subegit, pacemq; ei reddidit supplicanti: quem non multo post Hunni peremerunt.*

Isidorus & Senator.

Aetius II. & Sigisuultus. *His COSS. Aug. Valentinianus ad Theodosium Principem Constantinopolim proficiscitur, filiamq; eius in matrimonium accipit.*

Theodosius XVI. & Faustus.

Theodosius XVII. & Festus. *His COSS. bellum aduersus Gotthos Hunnis auxiliantibus geritur, & Literius dux Romanus ab eis capitur. Ginfericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis inuadit.*

Valentinianus Aug. V & Anatolius. *His COSS. Ginfericus Siciliam grauiter affligit.*

Syrus V. C. COS. *Hoc COS. Theodosius Imperator bellum contra Vuandalos inefficaciter mouit.*

Dioscorus & Eudoxius. *His COSS. Hunni Thracias & Illyricum saua populatione vastarunt: cum Ginferico ab Aug. Valentiniano pax cofirmata, & certis spatijs Africa inter vtrosq; diuisa est.*

Maximus II. & Paternus

Theodosius XVIII. & Albinus. *His COSS. Attila rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem in regno suo perimit, eiusq; populus sibi parere compellit.*

Valentinianus VI. & Nonius.

Ætius III & Symmachus.
Callepius & Ardaburcs.
Posthumianus & Zeno.
Asturius & Protogenes.
Valentinianus VII. & Auienus. *Hi COSS.*
Theodosius moritur. Cassiodorus.

EXempto rebus humanis Honorio, fultus præsidio Castini magistri m[...]litum Ioannes inuadit imperium, anno ab vrbe cõdita millesimo centesimo septuagesimoseptimo. Theodosius Arcadij filius quadragesimustertius regum Romanorum orientale regebat imperiũ. Qui comperto patrui sui Honorij funere, mox Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem effectum, cum matre sua Augusta ad recipiendum Occidentis dirigit regnum. Quo tempore Ioannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bellare poscit, ad defensionem sui infirmior factus est. Denique veniens Placidia Augusta, & Valẽtinianus Cæsar, mira felicitate eum continuo opprimũt, regniq; gubernacula victores arripiunt quorum tunc milites crudeliter Rauenam depopulati sunt, eo quod illius maxime ciues tyrannicæ parti fauissent. Castinum verò magistrum militum damnat exilio, cuius arripuisse factione Ioannes tyrannidem credebatur, data Ætio venia, eo quod Hunni, quos per ipsum Ioannes acceperat, eius studio remeassent ad propria. Valentinianus igitur cõsensu totius Italiæ Imperator efficitur, itemque ex decreto Theodosij Augustus appellatur. Dum hæc geruntur Archillas nobile oppidum Galliarum a Gotthis multa vi oppugnatum est, donec imminente Ætio non im-

Paul. Diaconus lib. 4. D 2

puniti abscesserunt. Bonifacius inter hæc apud Africam potentia gloriaque augebatur. Mittuntur aduersus eum Mauortius & Galbius: qui dum Bonifacium obsidere parant, ab eo interemti sunt. Exinde gentibus, quæ vti nauibus nesciebant, dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare peruium factum est. Rursus contra Bonifacium Sigisuldus comes dirigitur. Bonifacius verò sentiens se non posse tuto Africam tenere, cernensque sibi periculum instare in perniciem Reip. efferuescens, Vuandalorum, Alanorumq; gentem cum Genserico suo rege ab Hispanis euocatos, Africæ intromisit: qui cũctam pene Africam, ferro, flãma, rapinis crudelissimè deuastantes, catholicam insuper fidem Ariana impietate subuertêre. Sub hoc turbine beatissimus, de quo præmissum est, Augustinus Hipponẽsis episcopus ne ciuitatis suæ ruinam cerneret, tertio eius obsidionis mense sex & septuaginta annis vitæ expletis, ex quibus quadraginta in clericatu seu episcopatu transegerat, ad Christum perrexit. Eodem tempore pace totius orbis ex mirabili consensione, Bonifacius ab Africa ad Italiam per vrbem redijt, accepta magistri militum dignitate. Qui cùm resistentem sibi Ætium prælio superasset, paucis interiectis diebus morbo extinctus est. Ætius verò cùm deposita dignitate in agro suo degeret, ibique cum quidam eius æmulus repentino incursu opprimere tentasset, profugit ad vrbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde Pannonias ad Hunnos peruenit: quorum amicitijs auxilioque vsus, pacem principum, & ius interpolatæ potestatis obtinuit. nec multo post

patriciatus,

patriciatus etiam dignitatem adeptus est. Post eam igitur, quæ præmissa est, Africæ cladem data per Trigetium ad habitandum Vuandalis Africæ portione, pax ijsdem necessaria magis quam vtilis data est. His etiam temporib. Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Ætius patricius bello obtriuit, pacemq; ei supplicanti concessit. Interea Gotthi pacis placita perturbant, & pleraq; municipia vicina suis sedibus occupant., Cumque essent maxime oppido Narbonensi infesti, ciuesque eius longa obsidione & fame affligerent, adueniens comes Litorius hostes in fugam vertit, & ciuitatē allata frumenti copia a fame liberauit. Dehinc anno sequēti bellū aduersum Gotthos Hunnis auxiliantibus gestum est. Hac tempestate Genserius apud Africam intra habitationis suæ limites cupiens catholicam fidem Arriana impietate subuertere, quosdam nostrorū episcopos eatenus persecutus est, vt eos priuatos iure basilicarum suarum, etiam ciuitatibus pelleret, cum ipsorum constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet. His denique diebus Valentinianus Augustus ad Theodosium principē suum patruelem Cōstantinopolim profectus est, filiamq; eius vxorem accepit. Per idem tēpus Piratæ multas insulas præcipuè Siciliam populati sunt. Inter hæc Litorius, qui secundus ab Ætio patricia potestate Hunnis auxiliātibus præerat, dum Ætij gloriam superare appetit, dumq; aruspicum respōsis, & dæmonū significationibus fidit, pugnam cum Gotthis imprudenter cōseruit: ac primùm quidem magnam hostium stragem dedit. postmodum verò

suis pene omnibus trucidatis, ipse a G... turpiter captus est. Postremo pax ... facta est, cùm eam Romani ... mabilis belli perniciem humilius quam unquam antea poposcissent. Ætio itaque ... quæ in Gallijs componebantur, intento, Genserico, de cuius amicitia nihil ... Carthaginem dolo pacis inuadit, omnesque opes eius excruciatis diuersis tormentorum genere ciuibus in ius suum vertit nec ab ecclesiarum spoliatione abstinens, quas sacris vasis exinanitas & sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultus loca sed suorum esse iussit habitacula, in vniuersum captiui populi ordinem sæuus, sed præcipue nobilitati & religioni infestus, vt omnino nō posset agnosci, hominibus ne magis an Deo bellum intulisset. Igitur Carthago ab Vuandalis hoc modo capta est, annis quingentis octoginta & quinque euolutis, postquam Romano cœperat iuri parêre. Sequenti deinde anno Gensericus ad Siciliam trāsiens, dum magnis eam calamitatibus affligeret, accepto nuncio de Sebastiano qui ab Hispanis ad Africam tēderet, celeriter Carthaginem redijt, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset. Verum ille amicum se magis quam hostem videri volēs, dum de regis Barbari amicitijs improuisè præsumpsit, infelici morte peremptus est. Post hoc imperator Theodosius bellum contra Vuandalos mouit, Ariouindo, & Ausila, atque Germano ducibus magna cum classe directis, qui longis cunctationibus differentes negotium, Siciliæ magis oneri quam

Africæ

Africæ præsidio fuere. Per hæc tēpora Hunnis Thraciam & Illyricū sæua populatione vastantibus, exercitus qui Siciliæ morabatur, ad defensionem orientalium prouinciarum reuertitur. Sub his fere diebus ita terribili terræmotu Roma concussa est vt plurimæ eius ędes ædificiaq; corruerint. Britanni itaque de quibus præmissum est, cùm rursus Scotorum Pictonumque incursionibus premerentur, mittunt Ætio epistolam lacrymis ęrumnisque refertam eiusque quantocyus auxilium efflagitant: quibus cum Ætius minimè annuisset, eo quod contra viciniores hostes occupatus existeret, quidam Britannorum strenuè resistentes hostes abigunt, quidam verò coacti hostibus subijciuntur. Deniq; subactam Picti extremam eiusdem insulæ partem eam sibi habitationem fecerę; nec vltra exinde hactenus valuerunt expelli. At verò residui Britannorum, dum continuos Scotorum impetus formidarent, vltra iam de Romanorū præsidio diffidentes, Anglicorū gentes cum suo rege Vertegerno ad defensionem suæ patrię inuitauere: quos amicabili societate exceptos, versa in cōtrarium vice hostes pro adiutoribus, impugnatoresq; sensere. Sequenti deinceps tē-pore gēs Anglorū siue Saxonum, Britanniā tribus lōgis naubꝰ aduehitur: quorū dū iter prosperū domi fama retulisset, mittitur nihilominus exercitus multiplex, qui sociatus prioribus, primum hostes, propter quos petebatur, abigit: Deinde in Britones arma conuertēs, cōficta occasione, quasi pro se eis militātibus minꝰ stipēdia præparassent, totā prope insulā ab orientali eius plaga vsq; ad occidentalē incēdio sibi seu

Paul. Diacon. lib. 4.

gladio subegit. At vero Theodosius, [illegible] viginti vno superioribus annis quos cum Honorio patruo regnauerat, septem & viginti annis imperium gessisset, ex quibus & cum Valentiniano genero vigintiquinque transegit, apud Constantinopolim morbo consumptus obiit, ibique sepultus est. *Paul. Diaconus lib.*

THeodosius minor, Romanorum Imperator suscepto a patre principatu, homo imbellis & timidus, pace pecunia, non armis parta, Rempublicam Romanam grauiter afflixit. Nam cùm ab eunuchis esset educatus, omnibus eorum imperiis parebat: adeo vt legiones etiam ope illorum indigerent, multaque & in ciuilibus & in militaribus institutis nouarentur; magistratibus non in viros, qui eos gerere possent, collatis, sed in eos qui auro eunuchorũ auaritiam explerent. Et cum Sebastiani satellites piraticis nauibus Hellespontum & Propontidem infestarent, eo rem eunuchi deduxerunt, Theodosium ludicris quibusdam, tanquam pueros detinendo, vt nihil gereret memorabile. Nã cùm ad annos L. peruenisset, ipse quidem sordidis artibus & venatui vacabat: eunuchi verò & Chrysaphius summa rerum potiebantur: quam illo mortuo Pulcheria soror ad se transtulit. ¶ In Milio super columna stetit Theodosij ænea statua equestris: quam cùm posuisset, multa congiaria largitus est ciuitati. Sed quærendum, cuius ille Theodosij fuerit. ¶ Theodosius minor Antiochum præpositum loco motum, in presbyteros retulit. Idem & successorem eius Cyrum eodem tepore duas maximas prouincias administra-

[illegible]

temporum ordinem coegit. Cum quidem is tantos successus admiratus, elatus esset. Non placere sibi fortunam ita arridentem. Itaque bonis publicatis, vt gentilis & imperio inhians ademptis magistratibus, factus est episc. oppidi Cotyaij Phrygiæ. Post hunc autem solus dominatus est Chrysaphius, cognomento Zummas.

¶ Ioannes, Romæ Princeps sub Theodosio, clemens fuit, & prudens, & virtutis studiosus, moderate principatu functus, neque delatoribus aures præbuit: nec, volens certe quidem, vllam cædem iniustam fecit, neque bona cuiquam eripuit. *Suidas*

THeodosius iunior audita patrui morte, Valentinianum Cæsarem fecit, & cum matre Romam misit, aduectus satis oportunus fuit. Nam Iohannem factione Castini imperatorem factum & Africam sibi vindicantem nouus princeps oppressit. Theodosius Constantinopoli vicenalia edidit, se XVI, & Festo COS S. Gensericus rex Vuandalorum accersitus a Bonifacio, qui de Africa tenenda desperauerat, post multorum cædem Carthaginem occupauit. Ad Aquilonem Belba & Attila fratres, Hunnorum reges, Illyricum & Thraciam populationibus infestando Thermopylas vsque occupauerunt. Omnia Theodosius magna gloria tutatus est, & victor vota tricenalia edidit. Sic erat imminentibus periculis consuetudo, vt ludi vouerētur: quod triumphalia monumenta ex marmore, ære, argento, auro & indicant & testātur. Sub ea figura, votis XX. votis XXX. hoc est, vicenalibus & tricenalibus, quod etiam indicat annos imperij. *Pompon. Lætus.*

Sequitur abhinc ætas, in qua mihi orbis totius clades, regnorum tristes exitus, imperia funditus excisa, mutationes rerum frequentissimæ referendæ sunt: vt intelligat mortalis nihil esse inconstantius ijs, quæ tantopere vt æterna miramur. Adeo enim vitæ fortunæque ista bona, in quibus opinione vulgi hæc summa felicitas est, fragilia, caducaque sunt, vt nihil esse possit cladibus, ruinisque magis obnoxium: quod cum vetera illa Asiæ Imperia, tum vero nominis Romani maiestas facile declarat: quæ felicibus auspicijs orta, lætissimis rerum successibus aucta, viris clarissimis instructa: quorum virtute, ac consilijs ad amplissimum fastigium sit euecta, legibus institutis, Deûm pietate illustrata, conciderit tamen, & funditus euersa sit: vt quemadmodum illa de toto terrarum orbe triumphos retulerat, sic nulla fere hodie in terris gens agat, aut antea fuerit tam immanis, tam barbara, quæ non aut auitas iniurias, aut suas illi rependerit. Huc accessit, quod eorum deinde, qui sequentur, principum, partim ignauia, partim auaritia, res adeò nostræ pessum iêre, vt ad rem Romanam sistendam, alienæ, atque externæ virtutis eguerimus: adeò mascula illa Romuli proles, & Italica virtus simul cum imperij lapsu consenuerat nec Romani postea pontifices ambitione plus quam immodica, pronam iam per se in casum rem Italicam non funditus afflixere: dum studijs suis nunc Francos, nunc Germanos, atque alios quosuis potius quam Italicos principes patiuntur. Illi vero quantum Romanæ, atque Italicæ maiestati

ſemper detulerint, vel illud argumento eſſe potuit, cùm ſe Cæſares, aut Auguſtos pro Henricis & Fredericis dici malint: cumq́ue ſe nunc Reges, nunc Romanorū Imperatores appellari gaudeant. Cæterum nec querelæ locus hic eſt, & ipſa noſtra hæc commentatio etiam nuda ſatis allatura doloris, ac moleſtiæ legentibus eſt. Quare Theodoſium ipſum iuniorem aggrediamur.

Quinquaginta quot vixit annos, totidē Imperio etiam præfuit. Nam puerum admodum moriens Arcadius eum reliquerat ſub tutela Iſdigerdis Perſarum regis: quod & bene ceſſit. Barbarus enim rex & tutelam ſumma fide geſſit, & pacem cum Romanis, quoad vixit, habuit. Is vero Honorio defuncto, Valētinianum ex Conſtantio & Placidia natum, data Eudocia filia in vxorem, Romam peropportunè miſit: cum turbatæ res eſſent tyrannorum libidine, qui rem Romanam inuaſerant. Sub hoc tertia ſynodus contra Neſtorium celebrata. Pulcheriæ ſororis prudentia (nempè quoad illa eſt vſus Imperator) bene res geſta. Hic vxorem Eudociam Leonis Athenienſis Philoſophi filiam duxit: quæ præter egregiam formam, ſingularemque pudicitiam, etiam literis excelluit, abſoluto eo libro, cui titulum Græci ὁμηρόκεντρα faciunt. Hoc principe Veneti feliciſſimis auſpicijs in aquis habitare cœpere, cùm Honorius adhuc viueret. *Egnatius lib. 2.*

THeodoſius iunior, Arcadij filius, cùm in Oriente imperaret, audita Honorij patrui

morte, Valentiniano, Constantij, & Placidiæ filio, imperij insignia donat: & cum exercitu Romam mittit. Aduentus in vrbem satis opportunus fuit. Nam Ioannem factione Castini Imperatorem factum, & Africam sibi vindicantem, nouus princeps oppressit. Gensericus Vuandalorum rex accersitus a Bonifacio, qui de Africa tenenda desperauerat, post multorum cædem Carthaginem occupat. Ad Aquilonem Bleda & Atila fratres, Hunnorum reges, Illyricum & Thraciam Thermopylis vsq; deprædantur. Omnia hæc Theodosius maxima gloria tutatus est. Constantinopoli morbo absumptus est, cum imperasset annos duos & triginta. Hoc principe Venetiæ felicibus auspicijs in aquis ædificari cœpêre. Nestorius cum sua hæresi, quæ ab autore Nestoriana postea dicta est, cum Pelagianis, synodo Ephesina damnatur. *Appendix Sex. Aurel. Victoris.*

MARCIANVS ET VALENTINIANVS Iunior.



POst Theodosium II. MARCIANVS adscitus in imperium, regnauit annis VII. sub quo hi Consules fuerunt.

Marcianus Aug. & Adelphius. *Hoc COSS. Romani Ætio duce, Gothis auxiliaribus, contra Atilam in campis Catalaunicis pugnauerunt: qui virtute Gothorum superatus, abscessit.*

Herculanus

Herculanus & Asporacius. *His COSS. Attila redintegratis viribus Aquileiam magna vi diminuens introiuit, cum quo à Valentiniano Imperatore Papa Leo directus, pacem fecit.*

Opilio & Vincomalus. *His COSS. Attila in sedibus suis moritur.*

Aetius IIII. & Studius. *His COSS. Aetius Patricius in Palatio manu Valentiniani Imperatoris extinctus est. Boëthius verò Praefectus Praetorio, amicis eius circumstantibus interemptus.*

Valentinianus VIII. & Anthemius. *His COSS. in campo Martio ab amicis Aetij Valentinianus Imperator occiditur. Post quem MAXIMVS inuasit imperium, qui intra duos menses à militibus extinctus, in Tiberim proijcitur. Eodem anno per Gensericum omnibus opibus suis Roma vacuata est. Post Maximum AVITVS in Gallis sumpsit imperium.*

Ioannes & Varan. *His COSS. Placentia deposuit Auitus imperium.*

Constantinus & Rufus. *His COSS. Marcianus Imperator obit.* Cassiodorus.

ANno ab vrbe condita. M. CCIIII. defuncto Theodosio quadragesimoquarto in numero. Martianus Orientali aulę praeficitur imperator. Caeterum Valentiniani tempora huius vel superioris imperatoris curriculis asscribūtur. Igitur Valētinianus occidui rector imperij, pacis ea tempestate foedera cum Genserico Vuandalorum rege firmauit, certisq; spatijs Africa inter vtrosq; diuisa est. Gensericus de rerum successu tumidus, dum etiā apud suos superbiret, valida aduersus eum cōspiratio est facta. Quorū molitione detecta, diuersis ab eo excruciat

periere supplicijs. Horum siquidem vulneribus non minus virium amisit, quam si exsuperantis belli certamine fuisset. Interea rex Hunnorum Attila, dum cum fratre Bleda regnum intra Pannonias Daciamque gereret, Macedoniam, Mysiam, & Achaiam, vtrasque etiam Thracias immanissima rabie deuastaret, Bledam suum germanum regnique consortem peremit, eiusque sibi parere populos compulit. Fultus itaque fortissimarum gentium, quas sibi subiugarat, præsidio, ad occidentale demoliendū animum intendit imperium. Erant siquidem subiecti eius dominio rex ille Gepidarum famosissimus Ardaricus, Vualamir etiam Gotthorum regnator, Niso ipso, cui tunc seruiebat, regno nobilior: fortissimæ nihilominus gentes Marcomanni, Sueui, Quadi, præterea Heruli, Thuringi, siue Tungri, cum proprijs regulis aliæque præter has barbaræ nationes Aquilonis in finibus commorantes. Horum omnium Attila superbus imperiū quanquā viriū robore facile se posse adipisci putaret, quod cuperet, non minus tamen consilij astutia, quam armorum fortitudine hostes aggredi satagebat. Prouidens itaque sagacitate, qua callebat, non sibi fore tutum, si Gotthi qui intra Gallias morabantur, Romanis auxilio iungerentur, amicum se Gotthis simulans, aduersum Romanos se asserit præliaturum: Romanorumque e diuerso quasi amicitias appetens, in Gotthos, eorum videlicet hostes, se pollicetur arma moturum. Agebat itaque hac versuta barbaries, quatenus ijs pollicita societate diuideret, facilius vtrosque singulari certamine proculcaret. Quas

eius

eius astutias Ætius nō minori acumine præuidens, legatos ad Theodoricum, qui eo tempore Gotthis apud Tolosam regnabat, dirigit qui cum eo pacis fœdera sociarent. Annuit iuxta Ætij votum Romanorū legatis Theodoricus, iungitq; cum eis, nō minus sibi prospiciēs, firmissimū fœdus, promittitq; se pariter pugnaturum. Fuere interea Romanis auxilio Burgundiones, Alani cum Sangibano suo rege, Franci, Saxones, Riparioli, Labrones, Sarmatæ Armoritiani, Liticiani ac pene totius populi Occidētis. Quos omnes Ætius ne impar Attilę occurreret, ad belli adsciuerat societatem. Conuenitur ex vtraque parte in campos Catalaunicos, qui centum in longitudine leucis, & ex latitudine LXX. vt Gallis mos est metiri feruntur. Attila itaque primo impetu mox vt Gallias ingressus est Gundicarium Burgūdionum regem sibi occurrentem protriuit. Deinde cum ad locum certaminis vētum esset, inquirit aruspicem, si quid sibi de belli sorte vēturum prædiceret. Qui arte dæmoniaca exta pecudum perscrutans, Attilæ infausta denunciat: hoc tamen quantulūcunq; solatium fore, quod summus de parte hostili in certamine ductor occumberet. Attila dum hæc de Ætij interitu cuius mortē sitiebat, denūtiari putaret non dubitauit vel cum suorum perditione bellū committere, dummodo Ætiū suis motibus fortiter obsistentem possit extinguere. Committit itaque pugnam iam in vesperum die vergente, vt si superaretur ab hostibus, imminentis se noctis tenebris occultaret. Conueniunt hinc inde fortissimæ nationes, conseruntur acies, fit bellum acre nimis

& pertinax, quale vix vlla narratur historia: nec ante a prælīādi ardore quieuere, quàm eis nox superueniens pugnandi voluntatem adimeret. Eo siquidem prælio CLXXX. M. hominum cæsa referuntur. Tantumque est sanguinis effusum, vt paruulus qui ibidem labebatur riuulus, immodicus subitò torrens effectus, cadauera secum traheret peremptorum. Attilam autem de morte Ætii sua suspicio fefellit. Nam incolumi Ætio, rex ibi Gotthorum Theodoricus occubuit: In quo prælio quāuis neuter cessisset exercitus, constat tamen Attilam fuisse superatum. Qui cum die altera intra plaustrorum munimenta se continens, erumpere non auderet, nec tamen cessaret tubis & clamore perstrepere, Turismundus Theodorici regis filius dolens de paterno funere, statuit Attilam obsidione coarctare, & eum eiusque exercitum ad internecionem vsque delere. Tunc Attila de vitæ fiducia iam desperans, ex equitatorijs ingentem pyram sellis construxit, vt ibidem se Gotthis imminentibus supposito igne cremaret, ne aut quisquam de eius lætaretur vulnere, aut rex tantarum gentium in potestatem hostium deueniret. Ætius verò cautè perpendens Romanos à Gotthis perempto Attila deprimi, nec deinceps aduersum Gotthos, si necessitas incumberet, habere solatium, filio Theodorici, quasi eius rebus consulens, persuadet, vt domum reuerteretur, regnumque paternum arriperet, ne si ab eius inuaderetur germanis, acerbius ei esset cum suis, quam cum hostibus dimicare. Hoc ille consilium tāquam pro sua salute prolatum libenter amplectens,

domum

domum reuersus est, regnumq́; paternum suscepit. Cæterum Ætius & ob hoc talia machinatus est, vt Attilam ab eius impressione subduceret. Insana heu mens hominum, quantum hac prouisione detrimentum patriç, dum auertere cupit, ingessit. At vero Attila cernens se relictum, hostes ad propria remeasse, erectis animis, ac spe salutis eleuatus Pannonias repedauit, multoq; potiorem exercitum coaceruans, Italiam furibundus intrauit, ac primùm Aquileiam ciuitatem in ipso Italiæ sitam principio, expugnare aggressus est. Quam continuo triennio obsidens, cùm aduersus eam, strenuè ciuibus repugnātibus nihil prçualeret, iamq́; murmur sui exercitus non valentis famis tolerare penuriam audiret, cum die quadam ciuitatem circuit, vt ex qua eam parte faciliùs posset expugnare inquireret, cernit repente aues in ædificiorum fastigijs nidificare solitas, quç ciconiç vocantur, vno impetu ex vrbe migrare, fœtusq́; suos sublatos rostris per rura forinsecus deportare: *Aspicite* inquit ad suos, *iam aues futurorum prescias perituram relinquere ciuitatem.* Statimque adhibitis machinis tormentisq; hortatur suos, acriter expugnat vrbem, ac sine mora capit. diripiuntur opes, captiuantur vel trucidantur ciues, residuum direptionis igni supposito flamma consumit. Fuerat siquidem in ea ciuitate fœminarum nobilissima Dugna nomine, forma quidem eximia, sed candore pudicitiæ amplius decorata. Hæc dum habitaculum supra ipsa vrbis mœnia haberet, turremq; excelsam suæ domui imminentem, sub qua Natissa fluuius vitreis labebatur fluentis, ne sordidissimis

Paul. Diac. lib. 5.

hostibus ludibrium fieret, animæq; pulchritudinem velut illata libidine vitiaret, mox vt ingressum hostium, captamq; vrbem præsensit, è summa se eadem turre obuoluto capite in gurgitem præcipitem dedit, metumq; amittendæ pudicitiæ memorabili exitu terminauit. Plura præterea eiusdem regionis castella immanis hostis vel occisis vel captiuatis ciuibus succendit ac diruit Concordiam, Altinum, siue Patauium vicinas Aquileiæ ciuitates fulminis instar demolitionis solo coæquauit. Exinde per vniuersas Venetiæ vrbes, hoc est Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergomū seu reliquas, nullo resistente Hunni bacchantur Mediolanum, Ticinumq; pari sorte diripiunt ab igne tamen abstinentes, & ferro. Deinde Æmiliæ ciuitatibus similiter expoliatis nouissime eo loco quo Mincius fluuius in Padum confluit castra metati sunt. Vbi Attila consistens, dum vtrum adiret Romam, an desisteret, animo fluctuaret, nō vrbi, cui infestus erat, consulens, sed Alarici exemplum pauens, qui captæ à se vrbi non diutius superuixit. Dum ergo has animo tempestates reuolueret, repente illi legatio placidissima à Roma aduenit. Nam per se vir sanctissimus *Leo Papa* ad eum accessit. Qui cum ad regem barbarum ingressus esset, cuncta vt optauerat obtinens, non solum Romæ, sed totius Italiæ salutem reportauit: territus nanq; nutu dei Attila fuerat, nec aliud Christi sacerdoti loqui valuit nisi quod ipse praoptabat. Fertur itaque post discessum pontificis interrogatum esse Attilam a suis, cur vltra solitum morem tan-

tam

tam reuerentiam Romano pontifici adhibuerit, quandoquidem pene ad omnia quæ sibi ille imperasset, obtemperaret. Tum repente respondisse, non se eius qui aduenerat, personam reueritum esse, sed alium se virum iuxta eum in habitu sacerdotali adstantem vidisse, forma augusta, & canicie venerabilem, illumq; euaginato gladio sibi terribiliter mortem minitantem, nisi cuncta quæ ille expetebat, explesset. Igitur Attila tali modo a sua sæuitia repressus, relicta Italia Pannonias repetit: ad quem Honoria Valentiniani principis germana, dum a fratre ob decus pudicitiæ districtè seruaretur, suum eunuchum dirigit, quatenus eam sibi a fratre in matrimonium extorqueret. Accepto itaque hoc Attila nuntio, qui iam Italiæ fines excesserat, nec statim fatigato exercitu egredi poterat, mandat Valentiniano Imperatori, minitans se peiora proxime illaturum Italiæ, nisi mox ei suam germanam cum parte regni debita transmisisset. Qui reuersus ad proprias sedes, supra plures quas habebat vxores, puellam valde decoram Indito nomine sibi in matrimonium iunxit. Ob cuius nuptias profusa conuiuia exercens, dum tantum vini, quantum nunquam antea, insimul bibisset, cum supinus quiesceret, eruptione sanguinis, qui ei de naribus solitus erat effluere, suffocatus & extinctus est. Eadem denique apud Constantinopolim nocte Martiano Imperatori in somnis diuinitus apparens arcum Attilæ fractum ostendit, quo scilicet armorum genere gens illa [illegible] in bello maxime solet. Dum hæc geruntur, apud

Paul. Diac. lib. 5.

Britanniam Pelagianæ hæreſeos aſſertores Britannorum tentant ſubuertere fidem: qui a Gallorum epiſcopis auxilium petentes, ad rectæ fidei defenſionem ſanctiſſimum virum Germanum, multisq; iam virtutibus clarum, Altiſſiodorenſis eccleſiæ epiſcopum accipiunt, & Lupum Tracaſenum præſulem, atque apoſtolicæ gratiæ virum, qui non minus ſignorum miraculis, quàm doctrinæ verbis, omnes ad ſanæ fidei cõfeſſionem reduxerat. Ecce autem adhuc ibidem ſanctis epiſcopis exiſtentibus, valida Saxonum Pictonumq; manus Britanniam aduehitur. Nihilo minus Britones mox arma corripientes, hoſtibus obuiam pergunt: cum quibus beatiſſimus Germanus epiſcopus ſponte ſe offerens, vnà pergit ad prælium. Cumq; ipſe dux belli ante confertam aciem conſtitiſſet, iamq; hoſtes conglobati propiùs aduentarent, non tubæ clangoribus non gladiis fidens, imperat ſolummodo ſanctus Antiſtes, vt cum ipſe prior inclamaſſet, omnes voce conſona eundem reſponderent ſermonem. Moxq; eleuata magna voce Alleluia ſonauit: cumq; omnis exercitus ſublato ad ſydera clamore, Alleluia reſpondiſſet, cunctaque per circuitum loca reſultaſſent, continuò tantus hoſtes pauor inuadit, vt diſſoluta acie fugam arripientes, ac ſi ſingulorum ceruicibus gladius immineret, tremebundi ad propria refugerent. Igitur quia *virtus ſemper inuidiam parit*, Valentinianus imperator, quantum res docuit, proſperos Ætii ſucceſſus, vt promiſſum eſt pertimeſcens, eum ſimulque Boetium virum nobiliſſimum gladio peremit. Ita vir bellicoſiſſimus Ætius, & quondam Attilæ

tilæ

huius regis potentissimi terror occubuit, cum quo pariter & Occidentis imperium, salusq; reipub. corruit, nec hactenus valuit vltra releuari. Sed nequaquam Valentiniano mors Ætij impune cessit: nam & ipse anno sequenti a Trasila Ætij milite, cum X X X. annis imperium gessisset, confossus interiit. E quibus cum Theodosio socero X X V. cum Martiano V. imperauit. Mortuo Valentiniano, regni iura Maximus apud vrbem inuadens necdum duobus expletis mēsibus a Romanis peremtus est. Continuo aduectus ex Africa nauibus adest Gensericus cum validissimo suæ gentis exercitu, fultus insuper præsidio Maurorum, cum adhuc Romanę ecclesiæ beatissimus Leo ageret pontificatum. Perculsis itaq; Romanis tam terribili nuncio, nobilibusq; simul ac popularibus ex vrbe fugientibus, vrbem omni pręsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra portam eodem sancto Leone episcopo: cuius supplicatio ita eum Deo adiuuante leniuit, vt quia omnia potestati eius essent tradita ab igne tamē & cæde abstinerent atque suppliciis. quatuordecim interim dies secura, & libera scrutatione omnib. opibus suis Roma vacuata est, multaq; millia captiuorum, prout cuiq; ætate aut arte placuerunt, cum regina Eudoxia, quæ Gensericum ad hoc facinus inuitauerat, duabusq; eius filiabus Carthaginē adductæ sunt. Capta itaq; hoc modo a Genserico Roma est, postquā eam primo Alaricus inuaserat: Sed iam vice expletis ab eo tempore X L I I I. annis, à conditione sua M. C C VIIj; octo euolutis. Relicta itaq; vrbe, per Campaniam sese Vuandali Mauriq; effunden-

Paul Diac. lib. 5.

res cuncta ferro flammisq; consumunt: quicquid superesse potest, diripiunt: captiuamque nobilissimā ciuitatem ad solum vsq; abiiciunt, captiuant, prædantur. Nolam nihilo minus vrbem ditissimam: aliaq; complures pari ruina prosternuntur. Neapolim prætera, quasq; ob infirmitatem capere non poterant, rebus agrariis exinanitas relinquunt: quicunq; gladio superfuerant, captiuitatis iugo subiiciutur. Inter has procellas vir piissimus Paulinus Nolanæ vrbis episcopus, postquam quicquid habere potuit, in captiuorum redemptionem expendit, nouissimè cùm nihil ei aliud nisi ipse sibi solūmodo superesset pro cuiusdam viduæ filio maternas non valens ferre piis visceribus lachrymas, cum eadem ad Africam proficiscens, quò iam hostes descenderant sese barbaro viro vice vicaria in seruitium tradidit: cuius sanctitas cùm apud eandem barbaram gentem dei nutu cognita fuisset, demum cum omnibus suis ciuibus ad vrbem propriā remeauit. At verò Gensericus postquam ditatus Italiæ opibus ad Africam regressus est, Valentiniani principis gnatā, quā ab vrbe captiuitatis sorte abduxerat, Transamundo filio suo in matrimonium copulauit, ex qua Hildericus natus est, q quartus postmodum à Genserico in Vandalis apud Africam regnauit. Recedente igitur ab vrbe Genserico, Romani insequente mense exinanitæ Reipubl. imperatorem Auitum præficiunt. Vuisigotthæ quoq; circa hæc tempora cum rege suo Theodorico Theodorici filio transcensis Pyrenæi iugis Hispanias inuadunt. At vero Martianus imperator cùm apud Constantinopolim VII. annis regnum administrasset, facta suorum con-

[illegible] mone [illegible] est. *Paul. Diaconus lib. 5.*

C [illegible] illius admirandi vita fastusq; ex-[illegible] animo cognitu monachi Ægyptij rur-[illegible] cum eo coluerunt. Marcia-[illegible] o Imperat [illegible] hominis priuati habi-tu [illegible] dit. *Suidas.*

D[illegible] hæc in Occidente agunt in Orienti præficitur Marcianus fauente ad imperium [illegible] Arcadi filia cuius consilio nondum [illegible] populo Theodosij morte id factum est Marcianus humili genere natus, prima sti-[illegible] in Lycia. cum ægrotaret, hospi-[illegible] vsus cuiusdam Tatiani & Iulij [illegible]-[illegible] t postquã conualuit, animo recrean-[illegible] um exiere: fastiditi ardore Solis, sub [illegible] quieuerunt Tatianus prior excitatus [illegible] it aquilã supra caput Marciani in aere [illegible], quæ pansis alis Solis radios arcebat. [illegible] vt videret, excitauit. vbi somnus a[illegible] quæ viderant aperuerunt, regnum e[illegible] potiundi nuntiantes. Igitur abeuntem [illegible] argenteorum prosecuti sunt. hoc [illegible] prodigium ei contigit sub Aspare, dum contra Vandalos militaret: captus cum cæte[illegible] captiuis quiescebat. Rex cupidus eos re-cen[illegible], vidit aquilam supra caput illius. per en[illegible] imaginem abire iussit: & si quando e[illegible] fœdus cum Vandalis iniret or[illegible]. S[illegible] aquila seu vultur regnum portendit [illegible]-lium prodigiorum plenæ sunt historiæ. Pulche-ria in eligendo Cæsare princeps, senis Mar-ciani [illegible] diadema imposuit: & quamuis [illegible] ordinibus erat, boni & probati [illegible] principatu dignum fecerunt. Ideo

magis expedit eligere, quàm ex hæreditate mereri principem. Nouus Imperator statim pro Tatiano & fratre misit: illum Constantinopoli, hunc Illyricis præfecit: cum Vuandalis fœdus percussit. Arma nunquam nisi prouocatus mouit, quietis amator, quietum Orientem habuit. Dicere solebat, donec liceret in pace viuere, non decere principem sumere arma. Romæ pop Rom. cum toto Senatu Auitum patritium Imperatorem legit; sed non diu vixit. Marcianus cùm præfuisset paulo amplius annis sex, naturæ concessit, vt quidam tradunt, conspiratione Asparis. Qua de causa post creationem noui principis, cùm filius Asparis Ardaburius Cęsar esset à Leonte pronunciatus, populus patrem interfecit cum filio. *Pompon. Latus.*

NVnc imperatores Constātinopolitanos, quando illi tantùm per illa tempora viguere, ad Constantinum vsq; Palęologum continua serie perstringemus, initio à Martiano sumpto: qui licet humili loco natus, militiæ tamen clarus, Pulcheriæ Theodosij sororis studio rebus præficitur, moderatus princeps, & rebus gerendis idoneus, si per senectam diutius viuere potuisset: nam pacē, quoad eius fieri potuit, coluit: illud sępe vsurpans, *dum in pace esse possumus, arma non induamus*. Is Tatianum, Iuliumq; fratres, qui olim aquilæ superuolantis eius caput auspicium retexerant, viaticoque ducentorum aureorum inopem, & ęgrotantem adiuuerant: statim vt princeps est dictus, alterum Illyrico, alterum Constantinopoli præfecit. Hoc principe Chalcedonensis quarta synodus celebrata aduersus Dioscorum, & Eutychen Leonis

Ponti-

Pontificis Romani iussu. Imperauit annos sex. *E[illegible].*

MArcianus in Oriente Theodosio iuniori, cuius sororem duxerat in matrimonium, successit : quo tempore Valentinianus Italiæ imperabat. Hic quanquam senex & humili genere esset : excellebat tamē rebus gestis & arte militari. Prima stipendia in Lydia fecit. Orientis imperium per nouem fere annos dilapsum, reparauit. Cum Vandalis & Parthis fœdus percussit. Attilæ minas compescuit, pacem quo ad eius fieri potuit, coluit: illud sæpe vsurpans, *dum in pace esse possumus, arma non induamus.* Is Tatianum Iuliumq; fratres, qui olim superuolantis aquilæ eius caput, auspicium retexerant, [illegible]que iuuerant, statim vt Cæsar dictus est, hunc Constantinopoli, illum Illyrico præfecit. Hoc principe Chalcedonensis IIII. synodus celebrata est aduersus Dioscorū & Eutychem, Leonis Rom. pontificis iussu. Pulcheria Arcadij filia in eligendo Cæsare princeps ei fauit, diademaq; capiti eius imposuit. Vixit in imperio annos sex cum pace & probitatis opinione. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

DE VALENTINIANO.

VAlentinianus Imperator Romanorum per matrem Iustinam a recta fide auersus est, & imperio eiectus. Cum autem venisset ad Theodosium, in recta fide est institut9. Dicebat enim ei Theodosius : Imperatoriam aciem stare non armis, sed iustis causis. &, *Noui,* inquit, *Valentiniane, religiosissimos imperatores, quiescente exercitu victoriam obtinuisse, & hostes subactos tributarios esse factos periculo antegresso. Sic & Constantinus magnus,*

eiectus, Licinium tyrannum ... Valentinianus pater tuus feliciter imperium ab hostibus illæsum gubernauit: Deo eum defendente, innumerabilibus prœliis victor multis & diuersis laboribus, sublatus. Valens verò patruus tuus, Deum ... lens, inquinauit Ecclesiam, homo profanus, cæde sanctorum, & sacerdotum relegatione: diuina itaq. prouidentia a Gothis oppugnatus, conflagrauit. Rectè Christum colit is, qui nō immeritò te eiecit: incredulitas tua Maximo facultatem dedit. Si Christum non videmus, quē inuocabimus pugnaturi? Hæc & plura etiam his, admonitus a Theodosio Valentinianus ad fidē rectam adductus est. ¶ Honoria, soror Valentiniani; quæ & ipsa imperium tenuit. Sed cūm deprehensum esset eam clanculū vti consuetudine Eugenii cuiusdam, procuratoris sui, ob id delictum ille quidem interfectus, ipsa vero regia expulsa est. *Suidas.*

VAlentinianus, in quo magna & non vana spes asserendi Occidentis erat, acclamatione totius Italiæ Augustus ab Augusto appellatus est. Æetius ductor Gotthos in Gallia vicit, Burgundionum regem afflixit: sed in Africa fortuna nobis obfuit. Vandali sub Genserico Carthaginem cædibus fœdauerunt: nec contenti Sicilia inuadunt. Theodosius frustra mouit arma, quoniam pro Barbaris victoria stabat. Qui in Britānia erant cūm Scotorum & Pictorum rapinas ferre non possent, Anglorum regē Vertigoniarū, ad opem ferendam popofcerunt: secus euenit: Angli insulam, suæ ditionis fecere. Sunt etiam ij Saxonum Germanorum populi feroces atq. pugnaces, qui adhuc cum Scotis interiectis limitibus imperant. Valentinianus Constan-

Constantinopolim concessit. filiam principis virginem accepit. post nuptias Italiam repetiit. Multos res aliquot añis quieuit Oriens existimo vt vires resumeret, & fortius insurgeret. Theodosius velut longo imperij potentatu afflictus, (imperauit enim años quadragintaocto) febre solutus est. Attila toto potitus Septentrione, orbis imperium inhians, Gotthos, qui in Gallia erant, bellum accersit. Aetius hæc longè ante prçuidens, missis legatis, Theodoricũ regem certo fœdere Romanis coniunxit. Conueniunt ducũ copiæ in Gallia: hinc nostri cum auxiliaribus, illinc Hunni, Gepidæ, Sarmatæ, Scythæ, Sueui, Quadi, Heruli, Vgri, fauentibus etiam regulis quibusdam, pugnatum est a mane ad vesperam virium acerrime. nusquam cum maiore hostiũ numero congressi sumus: nusquam maior cædes obstinatione animorum. nam pugnæ contra Xerxem & Persarum contra Ægyptios fide careant. prælium nox diremit. ceciderunt supra ducenta millia fortissimorum hominum. Nemo loco cessit, vulnera aduerso pectore infixa. nemo iudiciũ ferre potuit, qui cadauera inspexit, vtra pars ardentius pugnauerit: agebatur enim de toto imperio. Barbari tamdiu regnasse Romanos ægre ferebant. Romani illos toties impulsos ac victos, insultare nõ patiebantur. Riuulus qui prope erat, humano sanguine auctus, rapidissimi torrẽtis instar effluxit. Sed quãuis superiores fuim⁹, nõ parua iactura fuit Theodorici cædes, q̃ eius filius Thorismũdus capite Attilæ rependisset, ni Aetius cõsuluisset ei expedire, paternũ regnũ defendere: veritus ne profligato Attila impetum in nos conuerteret. sed perni-

ciosum fuit consilium. Attila enim reparatis in Pannonia viribus, sæuiori animo inuasit Italiã, plerasq; vrbes diripuit, Istriæ, Venetiæq;, & togatę Galliç,ac Insubrium.ad eum Leo pontifex maximus,legatus venit,salutem Italiæ perorãs impetrauit. Reuersus in Pannoniã Attila, dum in nouis nuptiis nimis vino indulget, & quieti se dedisset,ferociùs stertendo mero repletum spiritum efflauit. Vitio laborauit Bonosus imperator,qui congium vini epotabat.quare cùm pependit, non hominẽ pependisse, sed amphoram in prouerbio fuit. Veteres Græci heroes vt pleniùs ingurgitarent,quòd hinc existimabant lætitiam fore, magnis cornibus epotabãt. vnde scribit Athenæus cornutum pingi Bacchum. satiusq; est, quod sapientes viri monent, vino abstinẽdum: ꝙ immoderatè sumptum,pro veneno est. Ætius vel Maximi figmentis,vel iussu principis, qui illius successus metuebat, occisus est.qua de re nõ longe pòst Romę in campo Martio Transtyla & Octyla milites Ætij, ipsum imperatorem confoderunt, consilio, vt ferunt,Maximi quoniam statim arripuit imperium, qui tertio pòst mense à populo Romano membratim cæsus. Eudoxa Valentiniani vxor, in vltionem cædis viri, Gensericum ex Africa accersiuit. Ille magno cum exercitu nauigauit. vrbem ingressus, à rapinis non temperauit: vt cuiq; libitum est præda abacta, abducta & Eudoxa cum duabus filiis, quarum altera Trasimundo Genserici filio nupsit. At milites auidi prædæ, in Campaniam irrumpunt, Capuam euertunt,vrbes alias diripiunt,onusti præda Libyam repetunt. *Pompon.Lætus.*

Asseri

ASSERI fortaſſe in priſtinum ſtatum ſub hoc principe res Romana potuit, ſi eius incœptis aut fortuna fauiſſet aut imprudentia poſtea ſua eum non afflixiſſet. Nam recepta ſub aductum ſuum Italia, cum Genſerico ſtatim Vandalorum rege pacem ſanxit, parte Africæ, vt videri voluit, contento. & aduerſus Attilam Etij ductu rem feliciter geſſit. Inde Maximi arte viri per ea tempora potentiſſimi, Etium interimi iuſſit. Vnde in vltionem ipſe poſteà Romæ ab eius cōmilitonibus confoſſus periit. Hoc principe Occidētis Imperium, Francis Gallias, Anglis & Scotis Britanniam occupantibus, Vandalis Africam, & ipſam vrbem populantibus Hunnis Europam vexantibus, & Italiam, collapſum funditus eſt. Periit imperij & ætatis anno X X X. De Etio pauca dicenda hic ſunt. Hic è Doroſtena Mœſiæ cum diſciplina militari excelleret, Conſtantio defuncto, ab Honorio principe illi ſufficitur. cuius ductu Attila in Campis Catalaunicis victus eſt & Burgundiones repreſſi. Hunc poſtea Valentinianus cùm interfeciſſet interrogaretq; ciuem quempiam Romanum, an Iure occiſum crederet: *iure, an iniuria occiderit Imperator Etium neſcio: illud ſcio, quod ſiniſtra tua dextram tibi abſcideris.* nec falſus omnino vates. Nam eius morte Hunni rerum potiti, & Imperium euerſum eſt.

Breuis enumeratio eorum, qui poſt Valentinianum Romæ rerum potiti ſunt.

POſt Valentinianum Romæ Auitus ſenatorij vir ordinis prçfuit, Auito inde Maiorian' quadriennio, hunc Seuerianus Seuerianum Anthemius, Anthemium Liberius ſubſecutus:

cui Glycerio, & Glycerio nepos statim successit: quo per vim pulso, Augustulus male ominati nominis rerum potitur: sub quo Romani maiestas Imperij cõuulsa per Odoacrem Herulum serò admodum ad Francos rediit. *Egnatius.*

VAlentinianus iunior, tertius huius nominis imperator, inito Occidentis imperio, pacem ilico cum Genserico Vandalorum rege fecit, certis spatiis Africa inter se diuisa. Non multò pòst Attilam Hunnorum regem ex Pannonia Romam properantem Aetij patricij ductu (quē postea ob affectatæ dominationis suspicionem occidi iussit) in campis Catalaunicis nobili clade repressit. Burgundionum regem afflixit. Magnam temporis partem Rauennę vixit quā mœnibus restituit, eiusq; præsuli Ioanni vsum pallij concessit. Optimus ac clementissimus princeps tandem à Maximo, ciue potentissimo, potiundæ eius vxoris gratia, vt ait Procopius, occiditur imperij anno trigesimo. Hoc tempore Gensericus Hipponem obsedit. mense III. obsidionis D. Augustinus D. Hieronymi discipulus in illa ipsa vrbe, cuius erat episcopus, obiit, annos natus LXXVI nec vrbis suæ ruinam vidit. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

LEO I. ET MAIORIANVS.

SVb LEONE qui Orientis, & MAIORIANO, qui Italiæ suscepit imperium, hi Consuls fuerunt.

Leo Aug. & Maiorianus Aug. *Hi COSS.*
Maiorianus

Maiorianus in Africam mouit procinctum.

Ricomer & Patricius.

Magnus & Apollonius.

Seuerinus & Dagalaiphus. *His COSS. Maiorianus tremissione Ricomeris exstinguitur: cui SEVERVM natione Lucanum Rauennæ succedere fecit in regnum.*

Leo Aug. II. & Seuerus Aug.

Basilius & Viuianus.

Rusticus & Olybrius. *His COSS. rex Alanorum Beorgor apud Bergomum à patricio Ricomere peremptus est.*

Arminericus & Basilicus. *His COSS. (vt dicitur) Ricomeris fraude Seuerus Romæ in Palatio veneno peremptus est.*

Leo Aug. III. COS.

Puseus & Ioannes. *His COSS. ANTHEMIVS à Leone Imperatore ad Italiam mittitur; qui tertio ab vrbe miliario in loco Brontotus suscepit imperium.*

Anthemius Aug. II. COS. *Hoc COS. in Sicilia Marcellinus occiditur.*

Marcianus & Zeno. *His COSS. Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij exsilio deportatur.*

Seuerus & Iordanes. *His COSS. ROMANVS patricius, affectans imperium, capitaliter est punitus.*

Leo Aug. IIII. & Probianus. *His COSS. Constantinopoli affectatæ tyrannidis à Leone principe Aspar occiditur.*

Festus & Marcianus. *His COSS. patricius Ricimer Romæ facto Imperatore Olybrio, Anthemium, contra reuerentiam Principis & ius affinitatis, cum graui clade ciuitatis exstinguit: qui non diutius per-*

acto scelere gloriatus, post X L dies defunctus est; Olybrius autem septimo imperij mense vitam peregit.

Leo Aug. V. C O S. *Hoc C O S. Gundibalo hortante Glycerius Rauennæ sumpsit imperium. Eodem anno. Leo nepotem suum Leonem consortem facit imperij.*

Leo iunior Aug. C O S. *Hoc C O S. Imperator Leo senior defunctus est.* Cassiodorus.

ANno ab vrbe condita M.C C X I. post Martiani imperatoris interitū Leo quintus ac quadragesimus Romanorū regum, apud vrbē Constantinopolim augustali potitus est dignitate: qui deinceps sequenti tempore Leonem suum filium sui imperij consortē effecit. Exempto quoq; in Italia humanis rebus Auito, Maiorianus apud Rauennam inuadit imperium: qui cum prope annis quatuor obtinuisset, haud procul a Tertrionensi ciuitate iuxta Hiriam flumen occisus est. Statimq; Seuerus apud Rauennam imperator efficitur, & Augustus appellatur. Tertio huius imperij anno Biorgor rex Alanorum cū exercitu adueniens, occurrente patricio Ricimere, superatus nō longè à Bergomo ciuitate Venetiæ, atq; extinctus est *Seuerus* cùm quatuor annis imperasset, morte propria apud vrbem occubuit. Eodem tēpore egresso inopinatè igne, magna Constātinopolis ędiū strage cremata est. Deinde totius cōsensu militiæ post *Seueri* mortem iura imperij *Antemius* suscepit. Sequenti anō Seruādus Gallorū præfectus imperiū tentās inuadere, iussu Antemij principis in exiliū trusus est. Rursus annali emenso spatio, Romanus patricius imperij iā fraudulēter satagēs arripere dignitatē, præcipiēte Antemio

capite

capite cæſus eſt. His quoq; diebus Gĕſericus iterum Italiā aduentare nauibus cupiens, à Baſilico patricio nauali ſuperatus certamine Carthaginem inglorius repedauit. At verò in Orientis partibus Aſper patricius Leoni Auguſto inſidias moliens, ſuum filium Cæſarem effecit. Leo victorem exercitum ſtatim è Sicilia vocans, patricium cum nouello Cæſare, alioq; eius germano digno vitę mulctauit excidio. Hoc deniq; ipſo in tempore inter Antemium principem, eiusq; generum Ricimerem patricium, qui tūc Mediolani poſitus præerat Liguriæ, magnus diſcordiarum fomes exortus eſt: quibus ſe vir ſenectute cōſpicuus Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus interponens, eos primùm ad concordiam reuocauit: deinde barbarica perfidia fœdus Ricimer rumpens (erat enim Gothus proſapia) cum manu mox valida ad vrbem contendit, atq; apud Anienis pontem caſtra poſuit. Diuiſa itaq; Roma eſt, & quidam fauebāt Antemio, quidam verò Ricimeris perfidiā ſequebantur. Inter hæc Olimbrius à Leone Auguſto miſſus ad vrbem venit, viuoq; adhuc Antemio regiam adeptus eſt poteſtatem. Billimer Galliarum rector cognita aduerſus Antemium conſpiratione Ricimeris, Antemio ferre præſidium cupiens, Romam properauit. Is cum Ricimere apud Adriani pontem prælium committens, continuò ab eo ſuperatus atq; occiſus eſt. Extincto Billimere, mox victor Ricimer vrbem inuadens, quatuor iam annos agentem iura imperij Antemium gladio trucidauit. Præter famis deniq; morbiq; penuriam, quibus eo tempore Roma affligebatur, inſuper etiam gra-

uissimè deprædata est, & exceptis duabus regionibus, in quibus Ricimer cum suis manebat, cætera omnia sunt prędatorũ auiditate vastata. Sed nõ diutiùs de perfidia lætatus est Ricimer. Nam post mẽsem tertium excruciatus languoribus & ipse interiit. Mortuo Ricimere, Olimbrius Imperator Gundibarum eius nepotẽ patricium effecit. Olimbrius quoq;, dum septem menses imperium gessisset, morte propria Romæ defunctus est. Post huius funus Liarius domesticus à Gundibaro patricio totius etiã voluntate exercitus apud Rauennam Imperator efficitur. Anno deinde sequenti inopinatè Nepos patricius cum exercitu veniens, Liceriũ regia exuit potestate, eũq; apud Salonas Dalmatiarum vrbem Episcopũ ordinauit. Eo tempore cùm apud Tolosam Vvisigothorum populis Euricus regnaret, ac per Italiæ & Galliæ fines inter Nepotem & Euricum litium fomenta crenuissent, bellumq; è diuerso vtriq; præpararent, interueniente Epiphanio, de quo præmisũ est, Ticinensi Episcopo, fœderis inter eos iura firmata sunt. Haud procul ab his temporib. Theodoricus cognomento Strabo, Triaci filius, cum magna Ostrogothorum multitudine vsque ad quartum vrbis milliariũ armatus aduenit, nulli tamen Romanorum noxius: continuoq; ad Illyricum reuersus, extinctus est. Exigit nunc locus dicere, quam ob causam Gothorum alij Ostrogothæ, alij verò Vvisigothæ sint dicti: opportunumq; est aliquantulũ ad superiora tempora regredi: quatenus horum ratio vocabulorum possit exponi. Temporibus Valentiniani superioris Augusti, cũ intra Thraciæ fines Go-

thorum

thorum tunc populi communiter habitarent, bifariè per Alaricum ac Fridigernũ diuisi, decreuerunt, vt vtramq; Rempub. id est, Fridigernus cum suis orientalem, Alaricus verò cũ suo exercitu occidẽtalem opprimeret. Hi ergo qui cum Frigiderno in orientali remanserant parte, lingua patria ob Oriente Ostrogothæ, id est, orientales Gothi dicti sunt. Isti verò, qui occiduas petiere regiones, ab Occidente Vvisigothæ, id est, Occidentales Gothi sunt appellati. Leo igitur Augustus postquam orientale decẽ & septem annis rexit imperium, diem clausit extremum. *Paulus Diaconus lib.6.*

LEo Macelles Imperator Romanorum, habitus est superiorum Imperatorum omnium felicissimus & formidabilis omnibus, tum sibi subiectis populis, tum barbaris ad quos eius fama peruenit. Et hanc quidem vulgo de se opinionem reliquit. Ego verò (inquit Malchus) felicitatem non existimo, si quis populi sui facultates diripit, & eam ad rem semper sycophantas subornat: & ipse eos accusat si alium non inuenerit: & aurum ex vniuerso orbe terrarum coactum, sibi soli recondit: & vrbes opibus spoliatas eò redigit, vt constituta tributa haud facilè possint pendere. Deniq; omnis improbitatis diuersorum Malchus eum fuisse affirmabat: qui & Hyperechium grammaticum in exilium egerit. Cùm aliquando Eulogio philosopho stipendium dari iussisset, quodam ex eunuchis dicente, pecuniã illam militibus esse impendendam, dixit: Vtinam, inquit, mea ætate fiat vt stipendia militum in philosophos conferantur. Temporibus eius fuit Acacius pa

triarcha. Nam cùm is ὀρφανοτρόφος (id eſt, pupillorum educator) fuiſſet, & res eorum probè adminiſtraſſet, omnibus acceptus fuit: & familiaritate cum Leone Imperatore contracta, ſupra modum illi placuit: adeo vt is de rebus, tum publicis, tum priuatis, eum primum conſuleret: & quando ſenatum conuocabat, etiam hunc accerſeret: & totius deliberationis initiũ ab eo caperet. Hic Acacius, animaduerſa Leonis Macellæ in eos à quibus offenſus eſſet, crudelitate, eiusq; ingenio exquiſitè deprehenſo, quòd id à ſolis laudātibus capi poſſet, operam dabat, vt omnia eius & dicta & facta miraretur. Itaq; facilè eum dicto audientem habuit, atq; eius iracundiam facilè repreſſit, & multis quibus princeps offenſus erat, saluti fuit: & perpetuo exilio damnatos in patriam reuocauit. Hic poſt obitum Gennadij patriarchæ Conſtantinopolitani, ſtudio Zenonis ſacerdos deſignatus eſt, vt aptus gubernationi. *Suidas.*

FActione & ſuffragiis Aſparis Leon dicitur Imperator & Auguſtus appellatus, qui poſt cædem Ardaburij Cæſaris, nepotem ex filia, Zenonis filium Leontem Cæſarem fecit: quidam filium ſcribunt. Aſper enim ita cōuenerat cum Leonte, vt factus Imperator; Ardaburium eius filium adoptaret: quod Leon obſeruauit. Populus vbi hæc nouit, Ardaburium cum patre interemit. Anthemium patritium Cæſarē pronunciauit, Romamq; miſit, eiq; imperium Occidentis tradidit, quod Maiorianus mortuo Auito ſibi vindicauerat. Is quarto anno necatus, Dagalaipho & Seueriano Coſs. Sed Rauennæ Seuerus imperium arripuit. Qui ſuperato Bior-

go,

go rege Alanorum lauream meruit. tertio anno occubuit. Quidam tradunt Anthemium factum Imp. post morte Seueri: vtcunq; res conuenit (nam ante Marcianum res cœpta est) Anthemius cum genero suo Ricimere à Gothis oriundo diu certauit. Et cùm vtriusq; copiæ paratæ essent, & per factiones diuisa vrbs & Italia esset, Leon è Constantinopoli Olymbrium misit purpura indutum, qui viuenti Anthemio regnum auferret. Res non ita successit: nam Ricimer ad Ælium pontem, superatis auxiliarib. Gallis, cum Bilimere Anthemium gladio transfodit. Ciuium Rom. bona data sunt prædæ. Exhausisset etiam viscera, ni cœliacus dolor hominem extinxisset. Olymbrius sine controuersia succedēs, VII. pòst mēse decessit. Iam Basiliscus Gensericū redeuntē in Italiam prælio vicerat. Rauennæ exercitus Glyceriū Imp. salutat, & à Nepote (sic erat illi nomen) sororis filio, regno pellitur. Interea Basiliscus Zenonis (qui postea imperauit) gener, gloriâ victor magni nominis fuit. Nepos ab Oreste pulsus Salonis (nomen villæ in agro Rom.) cæsus est. Oresten Odoacer Gothorū rex superauit, & Placētiam misit, iussitq; interfici: & Orestæ filium Augustulū iam Romæ imperantem exilio damnauit. Exulauit in Lucullano Campaniæ. Scribunt alij hunc, ne caperetur à Gothis, sponte imperium reliquisse: in eo sanctissimum Augustorum cognomen defecisse memoratur: etsi postea Iustinianus iura vindicauit. neminem purpura & diademate insignitū ipse, & alij qui secuti sunt principes, Occidēti præfecerūt. Gothi ab Augustulo ad Iustinianum regnū tenuere. Mira res ne quid in-

tegrum maneret, defecit cognomen Augustorum in vno Cos. Basilio, cùm consulatus antea duo fuissent, quod scilicet fore portendit vrbis Rom. excidium. Hæc sunt Tite Arunti, quæ ante aliquot secula prædixisti ex Romuli vulturibus, vtrũ confusus fuisset numerus, ne quis tutelam vinciendo, iacturam peroraret. Matheseos peritus homo inuenit rem sacerdotum vitio turbatã: nec claui in pariete Mineruæ tam liquido constitere, nec annales sub titulo consulum tenere numerũ potuerunt. Odoacer igitur tyrannus Romæ in tota Italia XIIII. regnauit ann. cogitauit de vrbe transferenda, & noua colonia deducenda, vt ab suo nomine vrbẽ appellaret Odoacriam. Primus exterarũ nationum quietus per X. annos possessor, postea infelicem regno ac vitæ finem dedit. At Leon in Oriente XVI. præfuit annos. *Pomponius Latus.*

PRimus hic Græcanici vir sanguinis Imperiũ tenuit Asparis patricij factione adiutus. Cuius etiam filium Cæsarẽ cùm inuitus creasset; postea cum Ardaburio fratre, vt insidiarum in se auctores interfecit: Leonemq; ex Ariadna filia & Zenone filium successorẽ sibi esse voluit. Is aduersus Gensericum Vvandalorum regem Basiliscum ducem misit: qui, si Zonarã sequare, victus nauali prælio à Vvandalis, aufugit, siue illud ignauia, siue proditio fuerit. Byzantiũ huius Imperio magna ex parte conflagrauit, præterquã quòd Italia in perpetuo motu fuit. Imperauit autem annos XVII. *Egnatius.*

LEo primus è gente Græcanica suffragiis ac factione Asparis patricij post Martianum Imperator salutatur. Aspar enim ita cum Leo-

ne conuenerat, vt factus Imperator Ardaburiũ eius filium adoptaret: quod Leo præstitit. Populus, vbi hæc nouit, Ardaburium vnà cum patre interemit. Nonnulli à Leone, velut insidiarum in se auctores, interfectos dicũt. Suppetias Anthemio Imperatori Rom. ad expellendos Vandalos tulit. Basiliscum patricium aduersus Gensericum misit, qui eum propulsauit, cùm iterũ in Italiam irrumpere tentaret. Cum Ostrogothis (qui Illyriũ vastabant) fœdus pepigit, eisq; Pannoniam, acceptis obsidibus, incolendã concessit. Postremò Leonem, sororis suæ ac Zenonis, qui posteà regnauit, filium, successorem reliquit. Pacis hic studiosus princeps semper illud in ore promptum habebat, *Quemadmodum Sol cunctis, quæ illustrat, nonnihil impertit caloris: sic princeps debet eos sua dignari misericordia, quos contuetur.* Tenuit imperium annos sedecim. Byzantium hoc imperante magna ex parte conflagrauit, & Italia perpetuo in motu fuit. *Appendix S. Aurel. Victoris.*

De Leone Iuniore.

LEon secundus præfuit annum: vterq; morũ non belli studiosus. Eodem anno quo Roma capta est, equestris Theodosij Magni statua posita in foro Tauri, supra cochlidem columnam, sponte corruit. *Pompon. Letus.*

HIc puer ab auo relictus, cùm annum præfuisset, Zenoni patri manibus suis diadema imposuit, patremq; pro se deinceps imperare iussit. *Egnatius.*

LEo II. qui & iunior, puer ab auo relictus, cùm paucos menses imperasset, Zenoni patri, aut saltẽ vitrico manibus suis diadema im-

erectus, L[illegible]ium tyrannum na[illegible]fragio tru[illegible] [illegible] Si etiam Valentinianus pater tuus f[illegible] imp[illegible] ab hostibus il[illegible] gubernauit: Deo e[illegible] d[illegible] innumerabilibus prælijs victor, multis & diuersis barbaris sublatis. Val[illegible] verò patruus tuus, Deum [illegible] lens, inquinauit Ecclesiam, homo profanus, cæde [illegible]ctorum, & sacerdotum relegatione [illegible] prouidentia à Gothis oppugnatus, conflagrauit. Rectè Christum colit is, qui nō immeritò te ex [illegible] incredulis [illegible] tua, Maximo facultatem dedit. Si Christum non videmus, [illegible] i[illegible]rabimus pugnaturi? Hæc & plura etiam his, admonitus a Theodosio Valentinianus ad fidē rectam adductus est. ¶ Honoria soror Valentiniani; quæ & ipsa imperium tenuit. Sed cum deprehensum esset eam clanculū vti consuetudine Eugenii cuiusdam, procuratoris su[illegible] ob id delictum ille quidem interfectus, ipsa verò regia expulsa est. *Suidas.*

VAlentinianus, in quo magna & non vana spes asserendi Occidentis erat, acclamatione totius Italiæ Augustus ab Augusto appellatus est. Æetius ductor Gotthos in Gallia vicit, Burgundionum regem afflixit: sed in Africa fortuna nobis obfuit. Vandali sub Genserico Carthaginem cædibus fœdauerunt: nec contenti Siciliā inuadunt. Theodosius frustra mouit arma, quoniam pro Barbaris victoria stabat. Qui in Britānia erant, cum Scotorum & Pictonum rapinas ferre non possent, Anglorum regē Vertigomarū, ad opem ferendam poposcerunt: secus euenit. Angli insulam, suæ ditionis fecere. Sunt etiam [illegible] Saxonum Germanorum populi feroces atq; pugnaces, qui adhuc cum Scotis interiectis limitibus imperant. Valentinianus

Constan-

Constantinopolim concessit: filiam principis vxorem accepit: post nuptias Italiam repetiit. Mitiores aliquot annos quieuit Oriens, existimo vt vires resumeret, & fortius insurgeret. Theodosius velut longo imperij potentatu afflictus, imperauit enim años quadraginta octo, febre solutus est. Attila toto potitus Septentrione, orbis imperio inhians, Gotthos, qui in Gallia erant, solos accersit. Aetius hæc longè ante preuidens missis legatis Theodoricũ regem certo fœdere Romanis coniunxit. Conueniunt ducũ copiæ in Gallia: hinc nostri cum auxiliaribus, illinc Hunni, Gepidæ, Sarmatæ, Scythæ, Sueui, Quadi, Heruli, Vgri, fauentibus etiam regulis quibusdam, pugnatum est a mane ad vesperam vtrinque acerrime. nusquam cum maiore hostiũ numero congressi sumus: nusquam maior cædes obstinatione animorum. nam pugna contra Xerxera, & Persarum contra Ægyptios fide carent. prælium nox diremit: ceciderunt supra ducẽta millia fortissimorum hominum. Nemo loco cessit vulnera aduerso pectore infixa. nemo iudiciũ ferre potuit, qui cadauera inspexit, vtra pars ardentius pugnauerit: agebatur enim de toto imperio. Barbari tamdiu regnasse Romanos ægre ferebant. Rom. illos toties impulsos ac victos, insultare nõ patiebantur. Riuulus qui prope erat, humano sanguine auctus, rapidissimi torrẽtis instar effluxit. Sed quãuis superiores fuim⁹, nõ parua iactura fuit Theodorici cædes, q̃ eius filius Thorismũdus capite Attilæ rependisset, ni Æetius cõsuluisset ei expedire, paternũ regnũ defendere: veritus ne proffligato Attila impetum in nos converteret. sed perni-

Pompon. Lætus

ciosum fuit consilium. Attila enim reparatis in Pannonia viribus, sæuiori animo inuasit Italiã, pleraſq; vrbes diripuit, Istriæ, Venetiæq;, & togatę Gallię, ac Insubrium. ad eum Leo pontifex maximus, legatus venit, salutem Italiæ perorãs impetrauit. Reuersus in Pannoniã Attila, dum in nouis nuptiis nimis vino indulget, & quieti se dedisset, ferociùs stertendo mero repletum spiritum efflauit. Vitio laborauit Bonosus imperator, qui congium vini epotabat. quare cùm pependit, non hominẽ pependisse, sed amphoram in prouerbio fuit. Veteres Græci heroes vt pleniùs ingurgitarent, quòd hinc existimabant lætitiam fore, magnis cornibus epotabãt. vnde scribit Athenæus cornutum pingi Bacchum. satiusq; est, quod sapientes viri monent, vino abstinẽdum: ꝙ immoderate sumptum, pro veneno est. Æetius vel Maximi figmentis, vel iussu principis, qui illius successus metuebat, occisus est. qua de re nõ longe pòst Romę in campo Martio Transtyla & Octyla milites Æetij, ipsum imperatorem confoderunt, consilio, vt ferunt, Maximi quoniam statim arripuit imperium. qui tertio pòst mense à populo Romano membratim cæsus. Eudoxa Valentiniani vxor, in vltionem cædis viri, Gensericum ex Africa accersiuit. Ille magno cum exercitu nauigauit. vrbem ingressus, a rapinis non temperauit: vt cuiq; libitum est præda abacta, abducta & Eudoxa cum duabus filiis, quarum altera Trasimundo Genserici filio nupsit. At milites auidi prædæ, in Campaniam irrumpunt, Capuam euertunt, vrbes alias diripiunt, onusti præda Libyam repetunt. *Pomp. n. Lætus.*

Asseri

Absens fortasse in pristinum statum sub hoc principe res Romana potuit, si eius inceptis aut fortuna fauisset, aut imprudentia postea sua rem non afflixisset. Nam recepta sub ditionem suum Italia, cum Genserico statim Vandalorum rege pacem sanxit, parte Africæ, vt videri voluit, contento: & aduersus Attilam Etij ductu rem feliciter gessit. Inde Maximi arte viri per ea tempora potentissimi, Etium interimi iussit. Vnde in vltionem ipse posteà Romæ ab eius consultoribus confossus perit. Hoc principe Occidẽtis Imperium, Francis Gallias, Anglis & Scotis Britanniam occupantibus, Vandalis Africam, & ipsam vrbem populantibus Hunnis Europam vexantibus, & Italiam, collapsum funditus est. Periit imperij & ætatis anno X X. De Etio pauca dicenda hic sunt. Hic è Dorostana Mœsiæ cùm disciplina militari excelleret, Constantio defuncto, ab Honorio principe illi sufficitur: cuius ductu Attila in Campis Catalaunicis victus est & Burgundiones repressi. Hunc postea Valentinianus cùm interfecisset, interrogaretq; ciuem quempiam Romanum, an Iure occisum crederet: *iure, an iniuria occiderit Imperator Etium nescio: illud scio, quòd sinistra tua dextram tibi absciderit.* nec falsus omnino vates. Nam eius morte Hunni rerum potiti, & Imperium euersum est.

Breuis enumeratio eorum, qui post Valentinianum Romæ rerum potiti sunt.

POst Valentinianum Romæ Auitus senatorij vir ordinis prefuit, Auito inde Maiorian' quadriennio, hunc Seuerianus, Seuerianum Anthemius, Anthemium Liberius subsecutus:

cui Glyceri⁹, & Glycerio nepos statim successit: quo per vim pulso, Augustulus male ominati nominis rerum potitur: sub quo Romani maiestas Imperij cõuulsa per Odoacrem Herulum serò admodum ad Francos rediit. *Egnatius.*

VAlentinianus iunior, tertius huius nominis imperator, inito Occidentis imperio, pacem ilico cum Genserico Vandalorum rege fecit, certis spatiis Africa inter se diuisa. Non multò pòst Attilam Hunnorum regem ex Pannonia Romam properantem Aetij patricij ductu (quē postea ob affectatæ dominationis suspicionem occidi iussit) in campis Catalaunicis nobili clade repressit. Burgundionum regem afflixit. Magnam temporis partem Rauennę vixit quã mœnibus restituit, eiusq; præsuli Ioanni vsum pallij concessit. Optimus ac clementissimus princeps tandem à Maximo, ciue potentissimo, potiundæ eius vxoris gratia, vt ait Procopius, occiditur imperij anno trigesimo. Hoc tempore Gensericus Hipponem obsedit. mense III. obsidionis D. Augustinus D. Hieronymi discipulus in illa ipsa vrbe, cuius erat episcopus obiit, annos natus LXXVI nec vrbis suæ ruinam vidit. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

LEO I. ET MAIORIANVS.

SVb LEONE qui Orientis, & MAIORIANO, qui Italiæ suscepit imperium, hi Consuls feuerunt.

Leo Aug. & Maiorianus Aug. *Hi COSS. Maiorianus.*

Maiorianus in Africam mouit procinctum.

Ricomer & Patricius.

Magnus & Apollonius.

Seuerinus & Dagalaiphus. *His COSS. Maiorianus immissione Ricomeris exstinguitur: cui SEVERVM natione Lucanum Rauennæ succedere fecit in regnum.*

Leo Aug. II. & Seuerus Aug.

Basilius & Viuianus.

Rusticus & Olybrius. *His COSS. rex Alanorum Beorgor apud Bergomum à patricio Ricomere peremptus est.*

Arminericus & Basilicus. *His COSS. (vt dicitur) Ricomeris fraude Seuerus Romæ in Palatio veneno peremptus est.*

Leo Aug. III. COS.

Pusæus & Ioannes. *His COSS. ANTHEMIVS à Leone Imperatore ad Italiam mittitur: qui tertio ab vrbe miliario in loco Brontotus suscepit imperium.*

Anthemius Aug. II. COS. *Hoc COS. in Sicilia Marcellinus occiditur.*

Marcianus & Zeno. *His COSS. Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij exsilio deportatur.*

Seuerus & Iordanes. *His COSS. ROMANVS patricius, affectans imperium, capitaliter est punitus.*

Leo Aug. IIII. & Probianus. *His COSS. Constantinopoli affectator tyrannidis à Leone principe Aspar occiditur.*

Festus & Marcianus. *His COSS. patricius Ricomer Romæ facto Imperatore Olybrio, Anthemium, contra reuerentiam Principis & sui affinitatis, cum graui clade ciuitatis exstinguit: qui non diutius per-*

capite cæsus est. His quoq; diebus Gĕsericus iterum Italiā aduentare nauibus cupiens, a Basilico patricio nauali superatus certamine Carthaginem inglorius repedauit. At verò in Orientis partibus Asper patricius Leoni Augusto insidias moliens, suum filium Cæsarem effecit. Leo victorem exercitum statim è Sicilia vocans, patricium cum nouello Cæsare, alioq; eius germano digno vitę mulctauit excidio. Hoc deniq; ipso in tempore inter Antemium principem, eiusq; generum Ricimerem patricium, qui tūc Mediolani positus præerat Liguriæ, magnus discordiarum fomes exortus est: quibus se vir senectute cōspicuus Epiphanius Ticinensis Episcopus interponens, eos primùm ad concordiam reuocauit: deinde barbarica perfidia fœdus Ricimer rumpens (erat enim Gothus prosapia) cum manu mox valida ad vrbem contendit, atq; apud Anienis pontem castra posuit. Diuisa itaq; Roma est, & quidam fauebāt Antemio, quidam verò Ricimeris perfidiā sequebantur. Inter hæc Olimbrius à Leone Augusto missus ad vrbem venit, viuoq; adhuc Antemio regiam adeptus est potestatem. Billimer Galliarum rector cognita aduersus Antemium conspiratione Ricimeris, Antemio ferre præsidium cupiens, Romam properauit. Is cum Ricimere apud Adriani pontem prælium committens, continuò ab eo superatus atq; occisus est. Extincto Billimere, mox victor Ricimer vrbem inuadens, quatuor iam annos agentem iura imperij Antemium gladio trucidauit. Pręter famis deniq; morbiq; penuriam, quibus eo tempore Roma affligebatur, insuper etiam gra-

uissimè deprædata est, & exceptis duabus regionibus, in quibus Ricimer cum suis manebat, cætera omnia sunt prędatorũ auiditate vastata. Sed nõ diutiùs de perfidia lætatus est Ricimer. Nam post mẽsem tertium excruciatus languoribus & ipse interiit. Mortuo Ricimere, Olimbrius Imperator Gundibarum eius nepotẽ patricium effecit. Olimbrius quoq;, dum septem menses imperium gessisset, morte propria Romæ defunctus est. Post huius funus Liarius domesticus à Gundibaro patricio totius etiã voluntate exercitus apud Rauennam Imperator efficitur. Anno deinde sequenti inopinatè Nepos patricius cum exercitu veniens, Liceriũ regia exuit potestate, eũq; apud Salonas Dalmatiarum vrbem Episcopũ ordinauit. Eo tempore cùm apud Tolosam Vvisigothorum populis Euricus regnaret, ac per Italiæ & Galliæ fines inter Nepotem & Euricum litium fomenta creuissent, bellumq; è diuerso vtriq; præpararent, interueniente Epiphanio, de quo præmissũ est, Ticinensi Episcopo, fœderis inter eos iura firmata sunt. Haud procul ab his temporib. Theodoricus cognomento Strabo, Triaci filius, cum magna Ostrogothorum multitudine vsque ad quartum vrbis milliariũ armatus aduenit, nulli tamen Romanorum noxius: continuoq; ad Illyricum reuersus, extinctus est. Exigit nunc locus dicere, quam ob causam Gothorum alij Ostrogothæ, alij verò Vvisigothæ sint dicti: opportunumq; est aliquantulũ ad superiora tempora regredi: quatenus horum ratio vocabulorum possit exponi. Temporibus Valentiniani superioris Augusti, cũ intra Thraciæ fines Gothorum

thorum tunc populi communiter habitarent, bifariè per Alaricum ac Fridigernũ diuisi, decreuerunt, vt vtramq; Rempub. id est, Fridigernus cum suis orientalem, Alaricus verò cũ suo exercitu occidẽtalem opprimeret. Hi ergo qui cum Frigiderno in orientali remanserant parte, lingua patria ob Oriente Ostrogothæ, id est, orientales Gothi dicti sunt. Isti verò, qui occiduas petiere regiones, ab Occidente Vvisigothæ, id est, Occidentales Gothi sunt appellati. Leo igitur Augustus postquam orientale decẽ & septem annis rexit imperium, diem clausit extremum. *Paulus Diaconus lib. 6.*

LEo Macelles Imperator Romanorum, habitus est superiorum Imperatorum omnium felicissimus & formidabilis omnibus, tum sibi subiectis populis, tum barbaris ad quos eius fama peruenit. Et hanc quidem vulgo de se opinionem reliquit. Ego verò (inquit Malchus) felicitatem non existimo, si quis populi sui facultates diripit, & eam ad rem semper sycophantas subornat: & ipse eos accusat si alium non inuenerit: & aurum ex vniuerso orbe terrarum coactum, sibi soli recondit: & vrbes opibus spoliatas eò redigit, vt constituta tributa haud facilè possint pendere. Deniq; omnis improbitatis diuersorium Malchus eum fuisse affirmabat: qui & Hyperechium grammaticum in exilium egerit. Cùm aliquando Eulogio philosopho stipendium dari iussisset, quodam ex eunuchis dicente, pecuniã illam militibus esse impendendam, dixit: Vtinam, inquit, mea ætate fiat vt stipendia militum in philosophos conferantur. Temporibus eius fuit Acacius pa

triarcha. Nam cùm is ὀρφανοτρόφος (id eſt, pupillorum educator) fuiſſet, & res eorum probè adminiſtraſſet, omnibus acceptus fuit: & familiaritate cum Leone Imperatore contracta, ſupra modum illi placuit: adeo vt is de rebus, tum publicis, tum priuatis, eum primum conſuleret: & quando ſenatum conuocabat, etiam hunc accerſeret: & totius deliberationis initiũ ab eo caperet. Hic Acacius, animaduerſa Leonis Macellæ in eos à quibus offenſus eſſet, crudelitate, eiusq́; ingenio exquiſitè deprehenſo, quòd id à ſolis laudãtibus capi poſſet, operam dabat, vt omnia eius & dicta & facta miraretur. Itaq; facilè eum dicto audientem habuit, atq; eius iracundiam facilè repreſſit, & multis quibus princeps offenſus erat, ſaluti fuit: & perpetuo exilio damnatos in patriam reuocauit. Hic poſt obitum Gennadij patriarchæ Conſtantinopolitani, ſtudio Zenonis ſacerdos deſignatus eſt, vt aptus gubernationi. *Suidas.*

FActione & ſuffragiis Aſparis Leon dicitur Imperator & Auguſtus appellatus, qui poſt cædem Ardaburij Cæſaris, nepotem ex filia, Zenonis filium Leontem Cæſarem fecit: quidam filium ſcribunt. Aſper enim ita cõuenerat cum Leonte, vt factus Imperator, Ardaburium eius filium adoptaret: quod Leon obſeruauit. Populus vbi hæc nouit, Ardaburium cum patre interemit. Anthemium patritium Cæſarẽ pronunciauit, Romamq́; miſit, eiq; imperium Occidentis tradidit, quod Maiorianus mortuo Auito ſibi vindicauerat. Is quarto anno necatus, Dagalaipho & Seueriano Coſs. Sed Rauennæ Seuerus imperium arripuit. Qui ſuperato Biorgo,

go rege Alanorum lauream meruit. tertio anno occubuit. Quidam tradunt Anthemium factum Imp. post morte Seueri: vtcunq; res conuenit (nam ante Marcianum res cœpta est) Anthemius cum genero suo Ricimere à Gothis oriundo diu certauit. Et cùm vtriusq; copiæ paratæ essent, & per factiones diuisa vrbs & Italia esset, Leon è Constantinopoli Olymbrium misit purpura indutum, qui viuenti Anthemio regnum auferret. Res non ita successit: nam Ricimer ad Ælium pontem, superatis auxiliarib. Gallis, cum Bilimere Anthemium gladio transfodit. Ciuium Rom. bona data sunt prædæ. Exhausisset etiam viscera, ni cœliacus dolor hominem extinxisset. Olymbrius sine controuersia succedēs, VII. pòst mēse decessit. Iam Basiliscus Gensericū redeuntē in Italiam prælio vicerat. Rauennæ exercitus Glyceriū Imp. salutat, & à Nepote (sic erat illi nomen) sororis filio, regno pellitur. Interea Basiliscus Zenonis (qui postea imperauit) gener, gloriâ victor magni nominis fuit. Nepos ab Oreste pulsus Salonis (nomen villæ in agro Rom.) cæsus est. Oresten Odoacer Gothorū rex superauit, & Placētiam misit, iussitq; interfici: & Orestæ filium Augustulū iam Romæ imperantem exilio damnauit. Exulauit in Lucullano Campaniæ. Scribunt alij hunc, ne caperetur à Gothis, sponte imperium reliquisse: in eo sanctissimum Augustorum cognomen defecisse memoratur: etsi postea Iustinianus iura vindicauit. neminem purpura & diademate insignitū ipse, & alij qui secuti sunt principes, Occidēti præfecerūt. Gothi ab Augustulo ad Iustinianum regnū tenuere. Mira res ne quid in-

tegrum maneret, defecit cognomen Augustorum in vno Cos. Basilio, cùm consulatus antea duo fuissent, quod scilicet fore portendit vrbis Rom. excidium. Hæc sunt Tite Arunti, quæ ante aliquot secula prædixisti ex Romuli vulturibus, vtrũ confusus fuisset numerus, ne quis tutelam vinciendo, iacturam peroraret. Matheseos peritus homo inuenit rem sacerdotum vitio turbatã: nec claui in pariete Mincruæ tam liquido constitere, nec annales sub titulo consulum tenere numerũ potuerunt. Odoacer igitur tyrannus Romæ in tota Italia XIIII. regnauit ann. cogitauit de vrbe transferenda, & noua colonia deducenda, vt ab suo nomine vrbẽ appellaret Odoacriam. Primus exterarũ nationum quietus per X. annos possessor, postea infelicem regno ac vitæ finem dedit. At Leon in Oriente XVI. præfuit annos. *Pomponius Lætus*.

PRimus hic Grecanici vir sanguinis Imperiũ tenuit Asparis patricij factione adiutus. Cuius etiam filium Cæsarẽ cùm inuitus creasset; postea cum Ardaburio fratre, vt insidiarum in se auctores interfecit. Leonemq; ex Ariadna filia & Zenone filium successorẽ sibi esse voluit. Is aduersus Gensericum Vvandalorum regem Basiliscum ducem misit: qui, si Zonarã sequare, victus nauali prælio à Vvandalis, aufugit, siue illud ignauia, siue proditio fuerit. Byzantiũ huius Imperio magna ex parte conflagrauit, præterquã quòd Italia in perpetuo motu fuit. Imperauit autem annos XVII. *Egnatius*.

LEo primus è gente Græcanica suffragiis ac factione Asparis patricij post Martianum Imperator salutatur. Aspar enim ita cum Leo-

ac conuenerat, vt factus Imperator Ardaburiū eius filium adoptaret: quod Leo præstitit. Populus, vbi hæc nouit, Ardaburium vnà cum patre interemit. Nonnulli à Leone, velut insidiarum in se auctores, interfectos dicūt. Suppetias Anthemio Imperatori Rom. ad expellendos Vandalos tulit. Basiliscum patricium aduersus Gensericum misit, qui eum propulsauit, cùm iterū in Italiam irrumpere tentaret. Cum Ostrogothis (qui Illyriū vastabant) fœdus pepigit, eisq; Pannoniam, acceptis obsidibus, incolendā concessit. Postremò Leonem, sororis suæ ac Zenonis, qui posteà regnauit, filium, successorem reliquit. Pacis hic studiosus princeps semper illud in ore promptum habebat, *Quemadmodum Sol cunctis, quæ illustrat, nonnihil impertit caloris: sic princeps debet eos sua dignari misericordia, quos contuetur.* Tenuit imperium annos sedecim. Byzantium hoc imperante magna ex parte conflagrauit, & Italia perpetuo in motu fuit. *Appendix S. Aurel. Victoris.*

De Leone Iuniore.

LEon secundus præfuit annum: vterq; morū non belli studiosus. Eodem anno quo Roma capta est, equestris Theodosij Magni statua posita in foro Tauri, supra cochlidem columnam, sponte corruit. *Pompon. Lætus.*

HIc puer ab auo relictus, cùm annum præfuisset, Zenoni patri manibus suis diadema imposuit, patremq; pro se deinceps imperare iussit. *Egnatius.*

LEo II. qui & iunior, puer ab auo relictus, cùm paucos menses imperasset, Zenoni patri, aut saltē vitrico manibus suis diadema im-

posuit, patremq; suo loco deinceps imperare iussit. *Appendix S. Aurel. Victoris.*

ZENO.

LEoni seniori successit ZENO in imperio: qui regnauit annis XXVII. sub quo hi Coss. fuerunt. Eo etiam anno Romæ Glycerio *Nepos* successit in regno. *Cassiod.*

Post Cos. Leonis Aug. iunioris. *Eodem anno Orestes, Nepote in Dalmatias fugato, filio suo Augustulo dedit imperium.*

Basiliscus II. & Armatus. *His COSS. ab Odouacre Orestes & frater eius Paulus extincti sunt; nomenq; regis Odouacer adsumpsit; cũ tamen nec purpura, nec regalibus vteretur insignibus.*

P.C. Basilisci II. & Armati.

Illus V.C. Cos.

Zeno Aug. II. Cos.

Basilius V.C. Cos.

Placidus V.C. Cos. *Hoc COS. Odouacer in Dalmatiis Odiuam vincit & perimit.*

Seuerinus V.C. Cos.

Faustus V.C. Cos.

Dn. THEODERICVS & Venantius.

Symmachus V.C. Cos.

Decius & Longinus.

Boethius V.C. Cos. *Hoc COS. Odouacer Pheba rege Rugorum victo captoq; potitus est.*

Dynamius & Sifidius.

Probinus & Eusebius. *His COSS. felicissimus atq; fortissimus Dn. Rex THEODERICVS intrauit Italiam: cui Odouacer ad Isontium pugnam parans,*

parans, victus, cum tota gente fugatus est. Eodem anno reperito conflictu Veronæ vincitur Odouacer.

Faustus Iun. Cos. *Hoc COS. ad Adduam fluuium Odouacrem Dn. THEODERICVS Rex tertio certamine superauit; qui Rauennam fugiens, obsidetur inclusus.*

Olybrius Iun. Cos. *Hoc COS. Odouacer cum Erulis egressus Rauennam, nocturnis horis ad pontem Candidium à Domino nostro Theoderico rege memorabili certamine superatur: tunc etiam Vandali, pace suppliciter postulata, à Siciliæ solita deprædatione cessarunt. Eodē anno Zeno occubuit Constātinopoli.* Cass.

MOrtuo Leone, Zeno continuò Augustalē nactus est dignitatem. Leonem itaq;, de quo præmissum est, quem pater Leo in regni asciuerat potestatē, mater sua Zenonis imperiū formidans, occultè clericū fecit. Exigente autē vehementer Zenone, vt filium proderet, pro eo alium forma similē obtulit. Qui Leo deinceps in clericatu ad Iustiniani vsq; tempora vixit.

De Augustulo.

IPso quoq; anno Augustulus apud Italiā aduersus nepotem cum exercitu veniens, effugato eo, imperij regimen inuasit. Annali deinceps circulo euoluto, cum rege Vandalorū Genserico fœdus initum est ab Oreste patricio. Hæc dum apud Romanos geruntur, Odoacer cū fortissima Herulorum multitudine, fretus insuper Turtilingorum siue Scyrorum auxiliis, Italiam ab extremis Pannoniæ finibus properare cōtendit: qui dum adhuc per Noricorū rura exercitū duceret, cognita Seuerini fama Christi domini serui, qui illis tunc degebat in locis, ad eum vt sibi benedictionem petiturus accessit. Qui dum

benedictione percepta ab eius egredi cellulã vellet,& caput,ne superliminari ostij, eò quòd proceræ esset staturæ,allideret,inclinasset,à dei viro futurorum præscio mox talia audiuit. *Vade nunc ad Italiam,vade Odoacer vilißimis interim animantiũ pellibus indutus,multis citò plura largiturus.* Hæc ille verba rerũ exitu comprobauit,nam aliquantis postmodũ annis,totius Italiæ, insuper & vrbis vsus est potestate. Ingresso itaq; Italiã Odoacre,statim ei apud Liguriæ terminos Orestes patricius occurrit, qui aduersus fortissimã multitudinem nihil se præualere conspiciens, maximè cùm eum iam quidam suorum deseruissent, metu trepidus,intra Ticinum se munitionis fiducia conclusit.Mox adueniens cũ exercitu Odoacer expugnatã fortiter ingreditur ciuitatem:vastantur vniuersa rapinis,sæuit vbiq; gladius,diuina quoq;, priuataq; ædificia ignis absumit.Captus demũ Orestes ab hostibus,Placentiam vsq; perducitur, ibiq; gladio detruncatur. Exinde per vniuersas iidem Barbari vrbes diffusi,cunctam sine aliqua tarditate Italiã iuri proprio subdidere, multasq; tunc ciuitates parantes resistere,extinctis habitatoribus ad solum vsq; deiecere.Odoacer itaq; prosperos sibi cernens successus accrescere,statim regiam arripuit potestatem.Augustulus quidem,qui imperij præsumpserat dignitatẽ, cernens vniuersam Italiã Odoacris viribus subdi,inopinabili metu perterritus,spõte miserabilis purpurã abiiciẽs, cùm vix XI.mensibus Rempub.obtinuisset,imperialem deposuit maiestatẽ. Ita Romanorum apud Romam imperium toto terrarũ orbe venerabile, & augustalis illa sublimitas, quæ ab

Augusto quondã Octauiano erecta est, cũ hoc Augustulo periit, anno vrbis cõditæ MCCXXIX. A Caio verò Cæsare, qui primò singularem arripuit principatũ, anno DXVII. Ab incarnatione verò Domini, anno CCCCLXXV.

De Odoacro Herulo.

IGitur deiecto ab Augustali dignitate Augustulo, vrbem Odoacer ingressus, totius Italiæ adeptus est regnum, quod cùm annis XIIII. nullo inquietante tenuisset, ab Oriẽtis tunc partibus veniens Gothorum rex Theodoricus, Italiã possessurus intrauit. Sed vt ad liquidũ, ob quã causam, vel vnde aduenerit, possit agnosci, necesse est aliquantisper ad superiora repedare. Vvalamir Ostrogothorũ rex, de quo superiori bello præmissum est, ꝙ Attilæ Hunnorum regi subiectus extiterit, mox vt Attila occubuit, ab Hunnorum se, suoq; dominio, auitæ libertatis memor excussit. Idem quoq; & Gepidarum rex Ardaricus, cæteræq; Hunnis subiectæ faciũt nationes. Hunni verò dolentes Vvalamirẽ, eiusq; exercitum non solũ se à sua ditionis iugo excussisse, sed etiam cæteris nationibus, vt similia facerent, incentores fuisse: mox vt fugitiua mancipia eos insequentes, ad seruitutẽ pristinam armis aggressi sunt reuocare. Conglobatis itaque suis, super Hunnos Vvalamir irruit, tantaq; in eos cæde grassatus est, vt de reliquo, qui superfuerãt Hunni, Ostrogothorũ arma formidarẽt. Leo deniq; Imperator cum Gothis post hæc Illyricum vastantibus fœdus iniit, ac Theodoricum Thiodimeris filium, ex Arilena cõcubina genitum, ab Vvalamire eius patruo obsidẽ accepit. Occiso deinde Vvalamire à Syris, Thiodi-

Paulus Diaconus.

mer eius germanus regia iura suscepit. Diuiso deinceps regno, Thiedimer Orietis, Vindimer vero occiduum sortitur imperium deuastandũ. Sed mox vt Vindimer Italiam ingressus est, rebus excessit humanis, successorem Vindimer filium relinquens. Vindimer verò acceptis à Licerio tunc Imperatore muneribus, Gallias con tendit, seseq; cum parentibus Vvisigothis iungens, vnum populum effecit. Interea dum suaui patrata victoria Vindimer domũ reuertitur, Theodoricum filium à Leone Imperatore missum gratanter excepit: qui Theodoricus dum iam XVIII. annũ ageret, inscio patre aliquantis secum satellitib. ascitis vicinã sibi Sarmatarũ gentem inuadens, opima ex eorum nauibus patri spolia, prædãq; copiosam reportauit. Thiodimere itaq; vita decedente, vniuersis adnitentibus ad regni gubernacula Theodoricus ascendit. Quod factum cùm ad Zenonem Augustũ perlatũ esset, gratanter accepit, eumq; ad se rursus euocatum Constãtinopolim, magno simul honore, & diuitiis extulit, in tantum vt etiam consularibus eum fascibus sublimaret, quæ dignitas post imperiale fastigiũ prima est, ęneãq; illi equestrem statuam ante suũ palatiũ collocaret. At verò dum huiuscemodi Theodoricus deliciis apud Constantinopolim afflueret, gens illius, id est Ostrogothæ, dum eis per fidei sanctionem prædas agere more solito non liceret, nec tamen ab Imperatore oblata stipendia sufficere possent, cœpere non minimã egestatis penuriam pati. Execrantur fœdus compositũ, vituperant inutilẽ pactionẽ, mittuntq; continuò ad Theodoricum, qui dicerent, quòd cùm ipse

Græcorum

Græcorum epulis superflueret, illi inopię miserias sustinerent. Hortantur vt si suis, sibiq; consulere velit, citiùs redeat, quatenus ne cuncta gens pessundetur, & nouas ad habitandũ sedes exquirant. His Theodoricus cognitis, ad Augustum Zenonem cõfestim accedit, questus insuper, penuriamq; suorũ exponit, Italiam sibi dari postulat, absolutionem efflagitat, adiiciens, ꝙ si superare Odoacrem possit, Italiamq; obtinere, ad eius redũdaret gloriam; à quo directus fuisset, si in bello superatus foret, nihilominùs lucri accresceret, quandoquidem quotidianorum stipendiorum exactorib. careret. Talia Zeno audiens contristatus quidem est, eò ꝙ eum nollet dimittere: Attamen deliberato consilio Reipub. vtilitati prospiciens, eius petitionibus annuit. Italiam ei per pragmaticũ tribuens, sacri etiam velaminis dono cõfirmauit: Senatũq; illi, populumq; Romanũ commendans abire permisit. Egressus igitur Constantinopolim Theodoricus ad Ostrogothas reuertitur, hortaturq; cõtinuò, vt quàm primũ parati sint, quatenus possessuri Italiã proficiscantur. Attamen priusquàm ad Italiam aduentaret, Trasillã Gepidarum regem insidias sibi molientem bello superãs, extinxit; Busamq; Bulgarorum regem magna cum suis agminibus cæde prostrauit. Egressus itaq; à Mysia cum omni Ostrogothorũ multitudine, vniuersaque supellectili, per Syrmium Pannoniasq; iter faciens, ad Italiã venit. Ac primũ iuxta Sontiũ flumen, quod non longè ab Aquileia labitur, castra componens, dum vberrimis, quæ eo loco habẽtur, pascuis, fatigatæ aliquantulũ ex itineris longitudine iumenta

reficeret, ibi mox ei cum grandi suorũ exercitu totius Odoacer Italiæ viribus occurrit. Quem Theodoricus alacriter excipiens, magno superatum prælio, postremò in fugam conuertit. Exinde Theodoricus mouens cùm Veronam venisset, iterum aduersus eum Odoacer nõ minori quàm priùs belli sese apparatu opponit. Contra quem Theodoricus haud procul Veronensi vrbe confligens, nimia eius exercitũ cæde contriuit, ipsumq; pariter & omnem illius multitudinem dare terga coegit. Qui dum fugæ metu se præcipites in Athesim fluuium mergunt, ex magna parte rapidissimis eius gurgitib. impliciti, suffocantur. Theodoricus verò dum ipso impetu subsequitur fugientes, Veronam illico, pauore ciuibus consternatis, inuadit. Odoacer autem cum iis qui euaserant, fugiens, Romam contendit: sed obseratis continuo portis, exclusus est. Qui cùm sibi denegari introitum cerneret, omnia quæ attingere potuit, gladio flammisq; consumpsit. Inde quoq; egrediens, Rauennã ingressus est. Ibiq; quibus se aduersum hostes tueretur, munitionum præparare obstacula cœpit. Theodoricus itaq; à Verona digrediens, Mediolanum peruenit: vbi dum consisteret, magna ad eum multitudo militũ pluresq; Italiæ populi conuenere. Sed paucis interiectis diebus, rursus deditus totus exercitus, Tuffa quodam nomine instigante, Odoacris se partibus reddidit. Ea res Theodoricum in tantum perterruit, vt se, suumq; exercitũ apud Ticinensem vrbem muniret. Talium rerum varietates Burgundionũ rex Gundubadus aspiciens, Liguriam cum ingẽti exercitu ingressus, cuncta quæ

reperire

reperire poterat pro voluntate diripiens infinitam secum ad Gallias captiuorū multitudinē adduxit. Theodoricus itaque aliquandiu intra munitiones exercitum retinens, demū relictis ibi matre, sororibus, vniuersaq; vulgi multitudine, nihil planè dubius de Epiphanij viri sanctissimi fide, cum expeditis armatorum cuneis ad Odoacris obsidionem Rauennam perrexit, dumq; eo loco cui Pinetū nomen est, non procul ab vrbe castra posuisset, per continuum penè triennium Odoacrem obsedit. Qui cùm frequenter ex vrbe cum suis egrediens, eius exercitum inquietaret, nouissimè noctu in castra irruens magna Theodorici exercitū strage prostrauit. Victus ad extremum, fortissimè Gothis resistentibus, in vrbem confugit. Nec multò postea à Theodorico in fide susceptus, ab eo truculentè peremptus est. Egressis deniq; à Ticinēsi vrbe post trienniū Gothis, eandem mox vrbem Rugi inuasere, cuncta per circuitū loca, simulq; & ciuitatem per continuū bienniū populatione vastantes, cùm beatissimus Epiphanius superesset, cuius in tātis periculis sanctitate ciues releuabātur afflicti. Hic à Theodorico Gallias ad Gundubarū pro captiuis redimendis directus, excepta innumera multitudine, pro quib. primùm tribuit sex millia captiuorū, ob solā sanctitatis suæ reuerētiam sibi concessa, secū reduxit. Igitur Theodoricus extincto apud Rauennam Odoacre, totius Italiæ adeptus est ditionem: nec multò pòst Romam profectus, à Romanis magno gaudio, susceptus est, quibus ille singulis tritici ad subsidiū annis XX. millia modiorum concessit. Dum hæc apud Italiam ge-

Paulus Diaconus.

runtur à Bulgaris vniuersa Thracia deuastatur. Cōstantinopolis etiā ipsis diebus maximo conflagrauit incendio. Ast verò apud Africam Honoricus, qui mortuo Genserico in regnū succesferat, Arriana pfidia trusis in exiliū effugatisq; amplius quàm CCCCXXXIIII. catholicis episcopis, & ecclesiis eorū clausis, plebē variis suppliciis affecit. & quidē innumeris man⁹ abscindens, linguas eorū præcidit, nec tamen loquelā catholicæ cōfessionis eripere potuit. Apud Britanniam quoq; Ambrosius Aurelianus, qui solus fortè Romanæ gentis Saxonū cædi superfuerat, purpurā induit, victoresq; Saxones, Britonum ducens exercitū superauit sæpe: atq; ex eo tempore nunc hi, nunc illi palmam victorię habuerunt, donec Saxones potentiores effecti, tota per longū insula potirentur. Theodoricus interea, vt sui regni vires constabiliret, Audefredam Ludouici Frācorum regis filiam sibi in matrimonium iunxit, Almafredam germanam suam Vandalorum regi Honorico, eius Almafredæ filiam Malabergā Toringorū regi Ermenfredo, Theodicodo quoq; & Ostrogotho ex cōcubina filias, alteram Alarico Vvisigothorum regi, alteram Sigismundo Burgundionum consociauit. Amalasiuntham verò tertiam filiam Eutharico ex Alemannorū stirpe venienti, euocato ab Hispania, tradidit. Nec fuit aliqua vicina Italiæ gens, quæ Theodorico aut cōiunctionis affinitate, aut pactionis fœdere sociata nō fuerit. Zeno itaque Augustus cùm per annos XVII. Reipub. præfuisset, apud vrbem Constantinopolim vitæ terminum accepit. *Paul. Diaconus lib. 6.*

Eterum

Iterum de Zenone.

ZEnon Imperator, audita clade ſuorum, in caſtellum quod populares Conſtantinopolim vocabant, in tumulo ſitum, confugit. Quo cognito ſuis cum gemitu; *Homo igitur*, inquit, *Dei ludibrium eſt; cùm & me ſic ludificari viſum ſit numini. Vates enim conſtanter affirmarunt oportere me Iulio menſe Conſtantinopoli eſſe: ac ego me in vrbe fore putaui: nunc & deſtitutus ab omnibus & exſul, in hunc tumulum veni: inuenta miſer appellatione conſimili.* ¶ Zeno, Romanorum Imperator, non eadem fuit crudelitate qua Leo; neque ita inexorabili iracundia; & multis in rebus animo fuit ſplendoris & gloriæ cupido: multaq; quò admirationi eſſet, per oſtentationem potiùs, quàm verè & ex animo faciebat. Sed nec rerum gerendarũ peritus erat; nec ea ſcientia prẹditus, qua regna tutò gubernantur. Lucri autem atque emolumẽti non ita furenter appetens vt Leo; nec crimina in poſſeſſores comminiſcens; nec tamen prorſus alienus ab auaritia. Ac bonam gubernationem Romani ſenſiſſent, niſi Sebaſtian9, tum in aula potentiſſimus, illum quouis ſuo arbitratu impuliſſet, velut in foro cauponans omnia, nec ſine pretio quidquam in regia ſinens confici. Nam & magiſtratus vendebat omnes pretio tum ſibi reſeruato, tum Imperatori communicato. Quòd ſi quis acceſſiſſet, qui paulum quiddam adiiceret, is præferebatur. In toto denique palatio nihil erat rerũ omnium, quod venale non eſſet. Quod ſi Zeno magiſtratum aliquem ſuis familiaribus contuliſſet, ipſe, mancipis inſtar, cum ab ipſis redemtum, pluris vendebat aliis,

Zenoni furta præbens. ¶ Zeno, Romanorũ Imperator filium suum admodum adolescentem, imperij successorem relinquere cupiens, & dignitatibus ornabat, & corpus exercere iubebat ad staturæ incrementum. At imperatorij proceres, potestatem nacti fisci affatim exhauriendi, curabant vt adolescens Sybaritico luxu corrũperetur, & lenocinio suo ad insanos eum amores æqualium incitabant. Itaq; vitæ ratione ad voluptatem & superbiam comparata, ab omni honestate remotus, & iam tum arrogantiam, ob exspectationem imperij, è vultu elucentem, præ se ferens, sublimis incedere, & erigere ceruices cœpit, ac (paucis vt dicam) erga omnes nõ alium se præbere, quàm aduersus seruos. Verùm inspector omnium rerum, & natiua & edocta eius improbitate perspecta, ira illum mulctauit, vt alui profluuio multos dies sine sensu lectum inquinans, immatura ætate rebus humanis eximeretur. ¶ Arcadiæ, posteriori Zenonis vxori, columna posita in Arcadianis, non procul eo loco qui Bathra (id est, gradus) nominatur, in Archistrategi prætorio; vbi Zeno iudicabat post Basiliscum: locumque istum vertit in secretum. Prioris vxoris eius, Ariadnes, & Zenonis ipsius, [columna stat] in porta regia. *Suidas.*

De Basilisco.

Basiliscus, Verinæ Imperatricis frater, sub Leone Imperatore, Rusticio duci exercitus successit. In pugnis quidem fortunatus, sed tardiusculus, & impostoribus opportunus. ¶ Basiliscus, Romanorum orientalium Imperator, pecu-

pecuniam exegit ab ecclesiarum episcopis; & Acacium Constantinopolis episcopum propemodum pepulisset, nisi à multitudine eorum qui Monachi dicuntur, repulsus fuisset: homo insigni auaritia, vt ne cerdonibus quidem, & contemptis artificibus parceret, omniaq; plena essent lacrymarum inter illas exactiones.

¶ Armatus] Cùm Basiliscus Imperator Armato, vt cognato, liberum aditum ad Zenonidem Imperatricem permitteret; ac diutius consuetudo duraret, amboque forma insigni essent, deperire inter se cœperunt. Hinc oculos in se inuicem coniiciebant, & vultus subinde conuertebant, & arridebant inter sese. Hinc dolor ex amore ortus, vultu tegebatur. Cum verò animos suos Danieli eunucho, & Mariæ obstetrici aperuissent; vix iis medicati sunt coitus medicina. Itaque Zenonis Basilisco blandiri, vt amator principem in vrbe locum teneret. Cùm autem Theodoricus videret Armatum ab omnibus coli, seque vinci à iuuene qui capillos tãtùm & alias corporis exercitationes curaret, indignabatur. At Armatus cùm auri affluentia; tum bonorũ magnitudine inflatus, neminem sibi fortitudine præstare putabat: ac tantum in eo vecordia valebat, vt Achillis habitu equo conscenso, in Hippodromo se iactaret. Quò magis autem ea gloriolæ insania teneretur, acclamationibus infimæ plebeculæ fiebat; quæ Pyrrhum illũ appellaret. quod si eò faciebat, quòd rubicunda esset facie, rectè dicebat: sin ad laudem fortitudinis, deliniebat vt adolescentem. neque enim heroes petebat, vt Pyrrhus; sed mulieres deperibat, vt Paris. *Suidas.*

ZEnonem Leon ſecundus ſua manu coronauit. Fuit Zenon ex Iſauris Ciliciæ humilibus parentibus natus, humili & incognita villa, non minus vultu quàm moribus deformis, imperauit non vt Auguſtus, ſed vt tyrãnus. ſub eo Ilus (quid non audet fortuna?) è ſuis gentibus mutilatis auribus vnà cum Leontio in Oriente ciuilem motum fecere. Theodoricus rex Oſtrogotthorum mirè à Zenone diligebatur, ab eo factus conſul, collega Venantij impetrauit ab Auguſto Italiam, ſi Odoacrē ſuperaſſet. Cui Zenon aſſenſus eſt, commendauitq; ei vrbem Romam, populumq; Ro. Theodoricus cũ exercitu per Illyricos Italiã petiit, occurrẽtem Odoacrem prælio vicit, & fugauit. Fugiens intra mœnia vrbis non admiſſus, citiſſimè Rauennam contendit. triennium ibi obſeſſus, tandem captus in cœna iuſſu victoris crudeliter excarnificatus. victor ingenti lætitia ac plauſu ab obuio ſenatu populoq; Ro. exceptus, plurimumq; dilectus, quòd gratuita liberalitate caritatem annonæ fugauit. hoc ſcilicet imperij conſeruandi ſalubre fomentum: multaque ædificia vrbis inſtaurauit. & ſi ab ſanguine quorundam ſenatorũ abſtinuiſſet, nemo fuiſſet Theodorico acceptior. anno II. Zenonis imperij Baſiliſcus à ſorore, quæ Auguſta erat, quia imperator aberat, in regali ſolio poſitus, M. filium Cæſarem fecit. rediens è Syria Zenon ius ſuũ repetens, in Cappadocia Baſiliſcũ cum filio relegauit, qui Lemnis (nomen oppidi eſt) fame conſumpti ſunt. Præfuit Zenon annis ſeptendecim. *Pomp. Lætus.*


QVàm variè rebus Romanis illuſerit fortunæ vis, hic Zeno facilè cum pleriſque, qui expli-

explicãdi mihi principes erunt,prodet. Vir obscurissimi sanguinis, & cùm facie deformis,tum moribus planè tyrannicis,vt Isaurum agnoscas. Hic Theodoricum Ostrogotthorũ regem cùm vnicè diligeret, in Italiam aduersus Odoacrem misit, Consulem priùs à se factum. Pulsus verò à Basilisco factione vxoris, cùm in Isauriam concessisset,non multò post reuersus,& Basiliscum expulit, quem & inedia mori coegit, & annos XIII. Tyrannum veriùs quàm principem egit. Sunt qui viuum adhuc inclusum ab vxore sepulchro tradant, frustraque resipiscentem, & opem quęritantem obiisse.Hoc principe incendium adeò graue fuit, vt præter maximam vrbis partem conflagratam, centum & viginti librorum millia combusta sint: inter quæ & Homeri poema intestino draconis CXX. pedũ aureis literis descriptum.*Egnatius.*

ZEno Isauricus natione,genere obscurus,facie deformis, Constantinopoli post Leonē iuniorem imperat, non vt Augustus, sed vt tyrannus Basiliscum Patricium, imperium inuadere conantem, vnà cum filio in Cappadociam relegat.Theodoricum Ostrogotthorum regem magnopere dilexit: eique statuam dicauit, ac in Italiam aduersus Odoacrum misit, Cõsulem prius à se factum.Odoacrum,in Italia regis nomen sibi vendicantem prælio vicit Theodoricus. Pulsus Zeno à Basilisco factione Adriadnæ vxoris,in Isauriam concessit,nec multò pòst reuersus Basiliscũ, Lemni relegatum, vnà cum filio fame mori coëgit. Sunt qui adhuc viuũ inclusum ab vxore sepulchro tradant, frustraque resipiscentē & opem quæritantem obiisse. cùm

imperasset annos XIII. vel, vt quidam volunt, XVII. Hoc principe maximam passa est res literaria iacturam: nam incendium adeò graue fuit, vt præter maximam Constantinopolitanæ vrbis partem igne absumptam, centum & viginti millia librorum combusta sint, inter quæ Homeri poëma intestino draconis CXX. pedum aureis literis descriptum. Nicena synodus prima approbatur. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

ANASTASIVS.



NASTASIVS successit Zenoni in Orientali imperio; sub quo hi cõsules fuerunt.

Anastasius Aug. & Rufus.

Albinus v. c. Cos.

Hoc COS. DN. Rex Theodericus Rauennam ingressus, Odouacrem molientem sibi insidias interimit.

Asterius & Præsidius.

Viator v.c. Cos.

Paulus v.c. Cos.

Anastasius Aug. II. Cos.

Paulinus & Ioannes.

Ioannes v.c. Cos.

Patricius & Hypatius. *Hoc anno DN. rex Theodericus Romam, cunctorum votis expetitus, aduenit; & Senatum suum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donauit annonas: atque admirandis mœnibus, deputata per annos singulos maxima*

maxima pecuniæ quantitate, subuenit: sub cuius felici imperio plurimæ renouantur vrbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia; magnisq; eius operibus antiqua miracula superantur.

Auienus & Pompeius.

Auienus Iun. & Probus. *His COSS. DN. Rex Theodericus aquam Rauennam perduxit; cuius forinam sumptu proprio instaurauit, quæ longis antè fuerat ad solum reducta temporibus.*

Cethegus v.c. Cos. *Hoc COS. virtute DN. Regis Theoderici victis Bulgaribus Sirmium recepit Italia.*

Theodorus & Sabinianus.

Messala & Ariouinda.

Anastasius Aug. III. & Venantius.

Venantius iunior & Celer. *His COSS. contra Francos à Domino nostro destinatur exercitus; qui Gallias Francorum deprædatione confusas, victis hostibus ac fugatis, suo adquisiuit imperio.*

Importunus v.c. Cos.

Boethius v.c. Cos.

Felix & Secundinus.

Paulus & Muschianus.

Probus & Clementinus.

Senator v.c. Cos.

Me etiam Cos. *in vestrorum laude temporum, adunato clero vel populo, Romanæ ecclesiæ rediit optata concordia.*

Florentius & Anthemius. *His COSS. DN. Rex Theodericus filiam suam, Dominam Amalasuintam, gloriosi viri DN. Eutharici matrimonio, Deo auspice, copulauit.*

Petrus v.c.cos.
Anastasius & Agapetus.
Magnus v. c. cos. *Eo anno DN. Eutharicus Cilliga mirabili gratia Senatus & plebis ad edendum exceptus est feliciter consulatum.*
DN. Euthar icus Cillica, & Iustinus Augustus Coss. *Eo anno multa vidit Roma miracula: editionibus singulis, stupente etiam Symmacho Orientis legato diuitias Gotthis Romanisq; donatas dignitates, cessit in Curiam: muneribus amphitheatralibus diuersi generis feras, quas præsens ætas pro nouitate miraretur, exhibuit. cuius spectaculis voluptates etiam exquisitas Africa sub deuotione transmisit. Cunctis itaq; eximia laude completis, tanto amore ciuibus Romanis insederat, vt eius adhuc præsentiam desiderantibus, Rauennam ad gloriosi patris remearet aspectus. vbi iteratis editionibus tanta Gotthis Romanisq; dona largitus est, vt solus potuerit superare quem Romæ celebrauerat consulatum.* Hic finit Chronicon Cassiodori.

CEssãte iam Romanæ vrbis imperio, vtilius, aptiusq; mihi videtur ab annis Dominicæ incarnationis supputationis lineam deducere, quò faciliùs quid quo tempore actum sit, possit agnosci. Anno ab incarnatione domini CCCCXCII. post Zenonis excessum Anastasius purpuram induit, qui XLVII. in regũ numero extitit. Hic Romani decus Imperij Eutychianæ hæreseos illuuie maculauit. Huius temporibus tanta propter Symmachi & Laurentij electionem Romæ dissensio facta est, vt Faustus senatorum nobilissimus & exconsul, & alius exconsul Probinus Laurentij partibus fauentes aduersus

uersus Faustum exconsulem, cæterosque qui Symmacho adhærebant, pontifici bellum inferrent, multasque cædes, & homicidia in medio vrbis facientes, plerosque ex sacerdotali numero, multos etiam clericorum, perplures ciuium Romanorũ extinguerent. Eo tempore Transamundus, qui fratri Honorico apud Africam in Vuandalorum regna successerat, fratris vel patris Genserici secutus perfidiam, clausis Catholicorum ecclesiis, ducentos viginti episcopos in Sardiniam exilio relegauit. Quibus beatus Papa Symmachus quotidiana subsidia ministrare non destitit. Inter has tempestates beatus Fulgentius in confessione fidei & scientia floruit. His ipsis apud Africam diebus, dum Arrianus quidã Olympius nomine corpus aquis balnearibus abluens, indigna quædam & blasphema de sanctæ Trinitatis fide verba euomeret, veniente subito ignito cœlitus iaculo visibiliter combustus est. Barbas quoque quidam Arrianus episcopus, dum contra regulam fidei, minorem scilicet Patre Filiũ, & Spiritum Sanctũ asserere cupiens, baptizaturus dixisset: *Baptizo te ego Barbas in nomine Patris maioris, & Filij minoris, in Spiritu Sancto:* statim aqua quæ ad baptizandum allata fuerat, nusquam comparuit. Quod aspiciens qui baptizandus erat, confestim ad ecclesiam catholicam confugiens, iuxta morem fidei baptismum Christi suscepit. Theodoricus verò dum per idem tempus pacificè apud Italiam regnaret, per singula quæque celebriora loca, regia sibi habitacula construxit. Anastasius itaque dum in hæresi qua delapsus fuerat, perseueraret, duasq; in Christo na-

turas, deitatis videlicet, & humanitatis, Eutychē hæresiarcham sequens denegaret, Hormisda papa, qui Symmacho successerat, direxit Euodium Ticinensem episcopum, aliosq; cum eo Constantinopolim legatos, cum catholicæ fidei inscripto, quatenus Anastasium ad ecclesiæ reduceret gremium. Is non solùm salubria eorum monita spreuit, sed insuper etiā à suis aspectib⁹ eos non sine contumelia expulit, nauiq; fragili impositos mandat, ne vspiam per totam Græciā ad aliquam ciuitatem accederent. quā eius impiam temeritatem diuina continuò vltio subsecuta est. Nam cùm iam septimum & vigesimū imperij annum ageret, ictu fulminis percussus interiit. *Paul. Diac. lib.7.*

ANastasius, Romanorum Imperator, mutatus in deterius, vniuersum Imperium Aristocratiam effecit, magistratibus omnibus vendendis, & delinquentibus ignoscendo, inexplebili pecuniæ auiditate incensus. Vnde factum vt prouinciæ militaribus catalogis exhaustis, prouinciales rebus insuetis & peregrinis percellerentur. Neque enim armis infestos barbaros propulsabat, sed pecunia subinde pacem redimebat. Ad hæc, in bona defunctorum inquirebat, & communem omnibus paupertatē donabat. Quorum enim ipse rem familiarem auferebat, iis paulò pòst, pietatis nomine distribuebat: & quarum vrbium incolas nudabat, earum ædificia renouabat; vt & patriam studiosè exornaret, tribusque coronis circundaret. Sub hoc Libycæ vrbes grauiter sunt afflicti, ab iis qui Lazissi dicebantur. Præfecerat enim his nepotem ex filia Marinum, hominem adolescentem,

tem, leuiſſimoque prædituni ingenio: rurſus poſt illum Baſſianum filium. Is verò ſuis factis, quouis modo ſuperioris prætorij intemperiis ſuperatis; effecit vt priorem ſtatum deſiderarent; quamuis & neces & ademtas ſibi opes recordarētur. Ita ſi dicere liceat, Marini cognati, eius freti beneuolentia, ſupra modū Afrorū & Aegyptiorum opibus ſunt diſtenti. ¶ Sub Anaſtaſio Imperatore, fuit S. Theodoſius cœnobiarcha. Hæreticus autē fuit hic Anaſtaſius. Anaſtaſius Imperator longū murum ſtruxit, Lx. milliaribus ante vrbem à Septentrionali mari verſus meridiem milliaribus L extentum, latitudine pedum xx. Propugnacula etiam Iuliani portui oppoſuit; idem & magnum triclinium in Blachernis extruxit; quod & hodie Anaſtaſiacum dicitur: & ciſternam Mociſiam. ¶ φατρία, collegium, conuentus] Anaſtaſius, Silentiarius; poſt factus Imperator; ſub Euphemio patriarcha Conſtantinopolitano ſuggeſto facto, cætus cum quibuſdam agitabat. Euphemius verò, minitabundus illi edicit, vt aut, ſi frequentet eccleſiam, cum ea conſentiat, aut prorſus ab ea abſtineat, ne imperitiores peruertat. *Sin ſecus*, inquit, *feceris, reſecto capillo tuo te in triumpho circumducam apud populos.* Ex eo tempore quieuit. Sequebatur enim Eutychis opinionem.

¶ Theuderichus rex Gothorum & Italorum qui ipſi parebant, ita præfuit, vt ea quæ regi ad imperium nato conueniunt, omnia complecteretur. Nam & iuſtitiæ ſtudium inſigne habuit, & leges inuiolatas conſeruauit; tum à finitimis barbaris prouinciam tutam præſtitit: vir ſumma & prudentia & fortitudine

præditus. Nec vlla ferè iniuria vel ipse populum affecit, vel à præfectis affici passus est; verbo quidem tyrannus, re verò verus Rex; nullo eorum qui huius honoris laudibus ab initio floruerunt, inferior. Itaque & Gotthis & Italis carissimus fuit. *Suidas.*

ANastasius Diocorus magno consensu princeps electus, statim donatiuum militibus dedit. legatos Indorum cum muneribus venientes, placidissimè audiuit. à mari ad Selymbriã longum murum duxit, ne incursiones Mysorũ, Bulgarorum, & Scytharum cùm fierent, obesse possent. Statuam æneam equestrem inauratam sui nominis ac tituli supra columnam fori Tauri posuit: laudabilius, si illam Theodosij Magni restituisset. Athenodorus tyrannus in Cilicia pœnas luit: cuius caput Isauricus miles veruto affixum ante portas Tarsi tulit, ibique relictum aruit. Priscus Antiochiæ, quæ est Ciliciæ, Longinum Selymanrheum cepit, & vinctum catenis ad Anastasium misit. Cuius iussu Niceæ Bithyniæ tanquam fera dilaniatus est. & Hunni non contenti Armenorum spoliis, Cappadociam vastauerunt, & vsque Lycaoniam vrbes diripuerunt. Ad aquilonem verò Vitalianus magister militiæ grauem fecit motum, & vt quiesceret, nongenta pondo auri ab imperatore accepit. Getæ Macedoniam, Thessaliã, Epirum diripuerunt. multos fecere captiuos: pro quibus redimendis cùm aurum misisset Anastasius, & non sufficeret hostium votis, Barbari captiuos aut in domibus suffocarunt, aut pro mœnibus in cõspectu multitudinis trucidarunt. Anastasius, vt credibile est, malo genio actus, in diuinis præ-

cepit non Trinitatem, sed quaternitatem adorandam esse. huic ciuiles motus adeo creuere, vt nisi simulasset se mutasse mentem, imperio priuatus dedisset pœnas. sed cæleste iram quis vitat? ictus fulmine occidit. Marcellinus tamẽ tradit eum natum supra añ. LXXX. subita morte occubuisse. Imperauit añ. XXIIII. menses II. dies XXIX. *Pomp. Lætus.*

Dicorum hunc cognomento Græci appellarunt, à discoloribus videlicet oculorũ pupillis, quarum dextra nigricans, sinistra cærulea fuerit: inter bonos principes vtique mihi referendus, tametsi ab humili loco ad Imperiũ euectus Ariadnæ Zenonis vxoris opera, nisi posteà mutatus Eutychianæ hæresi adhæsisset. Vnde illi aduersus orthodoxos graue dissidium conflatum. Bulgarorum arma tunc primùm audita, & Saraceni Alamundaro duce Syriæ graues incumbebãt. Hinc tyrãnorum aliquot seditione fatigatus, post octogesimum & octauum vitæ annum, Imperij vigesimumseptimum, fulmine afflatus periit, vlciscente grauiter numine pietatem toties ab impuro principe violatam. *Egnatius.*

FLa. Valerius Anastasius δίκορος à discoloribus oculorum pupillis, quarum dextra nigricans, sinistra cærulea fuit, à Græcis cognominatus, magno Principum consensu post Zenonem ex humili loco ad imperij fastigium euectus, donatiuũ militibus dedit. Legatos Indorum cum muneribus veniẽtes, placidissimè audiuit, Clodoueo Francorum regi munera patriciatus, & Consulatus titulum & insignia decreuit: quòd Gotthos in Gallia superasset, Bur-

degalamque oppidum recepiſſet. A mari ad Selymbriam longum murum duxit, ne incurſiones Mœſiorum, Bulgarorum & Scytharum officerent. Plures per orbem tyrannos ſupplicio extremo affecit. Athenodori caput Iſauricus miles veruto affixum ante portas Tharſi tulit, quod ibi aruit. Longinus tanquam fera dilaniatus eſt. Vitalianus Thrax in Oriente ſeditionem mouens pecunia placatus eſt. Hunni excurſiones aliquot fecere. Getæ Macedoniam, Epirum, Theſſaliam diripuerunt. quibus pro captiuis redimendis cùm aurũ miſiſſet Anaſtaſius, nec ſufficeret hoſtium votis, Barbari illi coràm captiuos trucidarunt. Anaſtaſius inter bonos principes referri potuit, qui pacem emerit, niſi Eutychianæ hæreſi, Ariadnæ vxoris ſuaſu, adhæſiſſet: vnde ſibi graue odiũ conflauit. Poſt octogeſimum & octauum vitæ annum, Imperij vigeſimũ ſeptimũ, fulmine ictus, periit, grauiter vlciſcente numine pietatem toties ab impuro principe læſam, quanquam Marcellinus ſenio longo cõfectum, ſubita morte corruiſſe tradit. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

IVSTINVS I.



ANNO ab incarnatione Domini quinquageſimo octauodecimo, punito Anaſtaſio hæretico IVSTINVS catholicus Auguſtali potitus eſt ſolio. Ad hunc ob cauſam redintegrandæ fidei directus ab Hormiſda pontifice vir ſanctitate præcipuus Germanus Capuanæ vrbis epiſcopus, dignè ſuſceptus eſt, multo-

multorumq; dubia corda in fide solidauit. Eo tempore apud Africam defuncto Transamundo Vuandalorum rege Arrianæ perfidiæ, Hildericus eius filius ex captiua Valentiniani principis filia ortus, adeptus est regnum. Qui non patrem hæreticum, sed matris catholicæ monita sequens, rectæ fidei cultor enituit. Hunc pater Transamundus ad mortem veniens, quia cernebat eum catholicæ parti fauere, sacramenti nodis astringere curauit, ne vnquam in suo regno catholicis consuleret. Qui mox vt suus genitor vita caruit, priusquā etiam regni iura assumeret, vniuersos episcopos, quos Trāsamundus in exilium coëgerat, regredi fecit, eisq; ecclesias reformare cœpit, septuaginta iā & quatuor euolutis annis, ex quo à Genserico primitus apud Africam ecclesię fuerant destitutæ. At verò in Orientis partib⁹, dum adhuc eo tēpore per loca singula Arriana hæresis vigeret, Iustinus ardore orthodoxę fidei omnimodis satagere cœpit, vt hæreticorum nomen extingueret: statuitq; vt vbique eorū ecclesias catholica religione consecraret. Quod dū in Italia rex Theodoricus Arriana lue pollutus audisset, Ioannem papam, simulq; cū eo Theodorū Importunum, atq; Agapitū cōsulares viros, aliumq; Agapitū patriciū Constantinopolim ad Iustinū principē dirigit, mandatq; per eos interminitans, vt nisi quantocyus hæreticis ecclesias suas redderent, eosq; in pace degere sinerent, vniuersos Italiæ populos ipse gladio extingueret. Qui peruenientes ad Augustū, cùm ab eo dignè, vt cōpetebat, suscepti essent, magnis eum de sua, suorūq; salute soliciti fletibus postulant, vt suæ legationis

ſeriem quanquam eſſet iniuſta, libenter exciperet, Italiæq; perituræ cõſuleret. Quorum fletibus Iuſtinus permotus, eis quod petebatur conceſſit, Arrianoſq; ſuo iuri reliquit. Dum hi in itinere demorantur, Theodoricus rabie ſuæ iniquitatis ſtimulatus, Symmachum exconſulem ac patricium, & Boëtium ſeniorem & exconſulē catholicos viros gladio trucidauit. His diebus extincto à Francis Alarico Vuiſigotthorum rege, Theodoricus per Ippam ſuum comitem plus quàm xxx.M. Francorũ cædens, Thiodem ſuum armigerum poſt mortem Alarici tutorem Amalarici nepotis conſtituit. Ioannes verò pontifex reuertẽs à Conſtantinopoli, dum cum iis cum quib. ierat, profectus ad Theodoricum Rauennam fuiſſet, Theodoricus ductus malitia, quòd eum Iuſtinus catholicæ pietatis defenſor honorificè ſuſcepiſſet, eum ſimul cum ſociis carceris afflictione peremit. Sed hanc eius immaniſſimam crudelitatem mox animaduerſio diuina ſecuta eſt. Nam nonageſimo octauo poſt hoc facinus die, ſubita morte defunctus eſt: cuius animam ſolitarius quidam apud Liparam inſulam vir magnę virtutis aſpexit, inter Ioannem Papam & Symmachum patricium deduci, et in Vulcani ollam, quæ ei loco proxima erat, demergi. Igitur Theodorico tali modo punito, Gotthi ſibi Alaricũ, de quo præmiſſum eſt, ex Theodorici filia procreatum, cum eadem Amalaſiuntha matre ſua in regnum præficiunt. At verò Iuſtinus cùm Auguſtalem dignitatem annis vndecim adminiſtraſſet, apud Conſtantinopolim in pace quieuit. *Paulus Diaconus libro ſeptimo.*

Iuſtinus

IVstinus Thrax sine imaginibus, sine tribu, vtroque parente ignobilis, à teneris annis suũ custos, deinde boum, pòst lignarij cuiusdam minister, natus annos sedecim militare cœpit, promptus manu, & doctus hostem ferire, sortem mutauit, princeps ordinis fuit, & hinc promotus comes factus est. Mortuo Anastasio ad eum Amantius spado libertus superioris Augusti ditissimus venit, magnam vim pecuniarum secum ferens. orauitq; vt in toto exercitu ductoribus & militibus partiretur, & ipse acciperet quantum vellet, promitteret donatiuũ per singula capita, & longè maius quàm priores fecerunt, si Theocritianum imperatorem legissent. pecunia satis integrè soluta est, non ad votũ Amantij, sed Iustini, qui pro se suffragia cautè emit. Itaque cùm princeps eligeretur, nemine discrepante, Iustinus pronuntiatus est: quẽ curuli acceptũ sella, diademate ornatũ, adorauerũt oẽs. Amantius & Theocritianus, & Andreas minister à cubiculo, insidias principi parauerunt: ea de causa è medio sublati sunt. In Occidente Theodoricus xxx. mill. Gallorum prælio cæcidit. Iohannem pontificem maximũ Romæ carcere consumsit. Inde subita morte occubuit, regnumque Atalarico ex filia nepoti tradidit, in Oriente Iustinus sororis suæ filium Iustinianum consulem fecit cum Valerio collega. qui consulatus cõtra legem Marciani, adeò insignis fuit ludis atque muneribus, vt facilè priores superauerit. viginti leones iubatos & xxx. pardos exhibuit, aliasque innumerabiles feras. Item gladiatores & scenas, Circensesque & magna aurigarum præmia, in quibus


vltima tantùm mappa à populo propter factiones denegata est. Anno imperij eius nono calendis Aprilis Iustinianum adoptauit, consortem imperij fecit, quarto pòst mense decessit. Imperauit ann. IX. mens. II. Mauortio consule. *Pompon. Lætus.*

QVis credat Thracem hominem armentarium, & sues agentem, sine tribu, ignotis, obscurisque parentibus ortum, & rebus præfuisse, & rem tum feliciter, tum optimè administrasse? Rexit tamen ille summa cum laude, & pietatis studiosissimus veræ. Ioannem Romanum pontificem ad se legatum venientem, à Theodorico Gotthorum rege pro Arrianis, quos expulerat Iustinus, restituendis, venerabundus excepit: & principatum dolo partum (quippe qui accepta ab Amantio Eunucho pecunia, vt militi pro Theocritiano præficiendo distribueret, in se suffragia verterit) magna virtute postea administrauit: nono imperij anno Iustinianum ex sorore nepotem, cùm adhuc viueret, sibi successorem instituens: quo facto, non multò pòst obiit. *Egnatius.*

IVstinus Thrax, vtroque parente ignobilis, à teneris annis suum custos, deinde boum, pòst lignarij cuiusdam minister, natus annos XVI. militare cœpit, promptus manu & doctus hostem ferire, princeps ordinis fuit. Hinc per omne dignitatum gradus ascendens, ad prætorij præfecturam euectus, consul designatus est. Mortuo Anastasio, ad eum eunuchus quidam diues, superioris Augusti libertus venit, magnã vim dans ei pecuniarum, vt militum suffragiis Theocritianus Imperator designaretur. Verùm Iustinus,

Iustinus, commodi sui non immemor, Imperiũ ea pecunia sibiipsi emit Amantianum & Theocritianum insidias sibi molientes è medio sustulit. Anno imperij nono Cal. April. Iustinianum sororis suæ filium adoptauit, consortem imperij fecit: quarto pòst mense decessit. Imperauit annis nouem, mensibus duobus. Orthodoxus fuisse traditur. Arrianos siquidem expulit. Germanum, præsulem Capuanum, missum ab Ormisda Pont. Ro. pro orthodoxis restituendis ab Anastasio pulsis, humaniter excepit & exaudiit. Chalcedonense concilium publico edicto venerari voluit. Dyrrachium & Corinthum ciuitates, terræ motu collapsas magnis sumptibus restituit *Appendix S Aurel. Vict.*

IVSTINIANVS I.



NNO ab incarnatione Domini quingẽtesimo vigesimonono IVSTINIANVS sororis Iustini filius Romanorum principum nonus ac quadragesimus, Augustalem adeptus est principatum. Qui mox vt imperialia iura suscepit, ad reparationẽ Reipub status animum intendit. Ac primùm per Bellisarium patricium ingentem virũ Persas aggressus est, qui transgressis Romanorum terminis, eorum regiones grauiter populabantur: quos Bellisarius magnis præliis fudit. Atq; ex volũtate principis Constantinopolim triumphans ingressus est. Interea Athalaricus Gotthoru rex cũ nondum expletis quatuor annis regnasset, immatura morte præuentus vitæ subtractus est: cuius

mater Amalasiuntha post eius funus Theodatũ socium asciuit in regnũ. Sed Theodatus idẽ immemor collati beneficij, eam post aliqd tempus in balneo strangulari pręcepit, quia ipsa dũ adviueret, se, suumq; filium principi cõmendauerat. Audita Iustinianus Augustus eius morte, graui mox aduersus Theodatũ iracundia exarsit. Sentiens Theodatus sibi infensum haberẽ principem, beatũ Papam Agapitum Constantinopolim dirigit, quatenus apud Iustinianum ei factorũ impunitatem impetraret. Qui sanctus Pontifex, dum Iustinianũ principẽ adisset, facta cum eodem de fide collatione, reperit eum in Eutychetis dogma corruisse, à quo primitus graues beatus Antistes minas perpessus est. Sed cũ illius inconcussam in fide catholica Iustinianus constantiam cerneret, siquidẽ ad hæc vsq; verbis progressum fuerat, vt talia à præsule audiret: Ego ad Iustinianũ imperatorẽ Christianissimũ venire desideraui, sed Diocletianũ inueni. Tandem ex voluntate dei eius monitis acquiescẽs, ad catholicæ fidei confessionẽ cum multis pariter, qui similiter desipiebant, regressus est. Anthemiũ quoq; eiusdem regię ciuitatis episcopũ præfatæ hęreseos defensorem conuictũ publicè communione priuauit, ac persuaso principe in exilium coëgit. Nec multò pòst idem pontifex apud eandem vrbem diem obiit. Interea ad Africã, quam iam multis annis Vuandali possidebant, à Iustiniano cũ exercitu Bellisarius missus est, qui mox prælio cũ Vuandalis cõmisso, eorũ magnas copias fudit, regemque ipsorum Gicimerum viuum capiens, Constantinopolim misit. Carthago quoq; post annum suæ excisionis

XCVI. recepta est. Porrò dum Agapitus pontifex, qui à Iustiniano principe pacem Theodato postularet, apud Constantinopolim obiisset, Iustinianus Bellisarium patriciũ multis iam præliis gloriosum aduersus Theodatum dirigit, vtque etiam Italiam à Gotthorum seruitio liberaret. Bellisarius itaq; dum aliquantulum temporis apud Siciliã moram faceret, rex Gotthorum Theodatus extinctus est. Huius in loco Vitigis successit, qui mox vt regnum inuasit, Rauennam profectus, Amalasiunthæ reginę filiam per vim secũ auferens, sibi matrimonio iunxit. Conceptas ergo contra Theodatum Bellisarius belli vires, in Vitigem conuertit. Egressusq; ex Sicilia, ad Campaniam, Neapolim venit: quem Neapolitani ciues noluerunt excipere. Qui indignatus acriter ad eiusdem vrbis expugnationem totis se viribus erexit. Aliquantisque fortiter in pugnam diebus deductis, tandem per vim capiens ingressus est. Tantaque non solum in Gotthos, qui ibi morabantur, sed etiam in ciues ira desæuit, vt non ætati, non sexui, postremò non sanctimonialibus, vel ipsis etiam sacerdotibus parceret, viros in conspectu coniugum miserabili visu perimens, superstites matres ac liberos captiuitatis iugo abduxit, cuncta rapinis diripiens. Nec à sacrosanctis ecclesiis expoliandis abstinuit: indeq; egrediens Romam properauit. Quo Romã ingresso, Gotthi qui in vrbe morabantur, noctu inde egressi, relictis patentibus portis, Rauennã fugiũt. Vitigis vt talia cõperit, mox aduersus Bellisariũ Romã cum ingenti exercitu venit. Bellisarius non aptũ sibi tẽpus ad bella coniiciens, intra vrbis se mœnia

clausit, eamque circunsepsit. Gotthi vrbem obsidentes, vniuersa per circuitum direptionibus & incendiis absumunt; quoscunque Romanos reperiunt, gladio extinguunt: cuncta sacra loca denudantes: ipsis etiam venerabilium martyrum sepulchris manus impias inferunt. Continuè vrbem impugnãt, sed cauta Bellisarij defensatur industria. Præter belli instantiam angebatur insuper Roma famis penuria. Tanta siquidem per vniuersum mundum eo anno, maximè apud Liguriam, fames excreuerat, vt sicut vir sanctissimus Datius Mediolanensis antistes retulit, pleræque matres infelicium natorum membra comederent. Cumque per annum continuum Gotthi Romam obsedissent, demũ territi Rauennam rediere. Bellisarius verò proficiscens Neapolim, eamque, vt competebat, ordinatam relinquens, Romam regressus est. Statimque ei à Theodora Augusta præceptio allata est, vt papam Siluerium conuictum accusatione falsorum testium, in exilium truderet, eò quòd Anthemium hæreticum Constantinopolitanũ episcopum reuocare noluisset, quod Bellisarius, licet nolens, nihil moratus effecit. Pulsus denique papa Siluerius ad Pontiam insulã est, in qua & exulans obiit. Vitigis verò coacto rursus in vnum magno Gotthorum exercitu, cum Bellisario confixit: factaq; maxima suorũ strage, in fugam conuersus est. Quem Ioannes magister militũ cognomento sanguinarius, noctu fugientem persequens, viuum comprehendit, Romamq; ad Bellisarium adduxit. Patrata Bellisarius victoria, Constantinopolim rediit secũ Vitigem deferẽs. quo viso, Iustinianus valde læ-

de lætatus est, eiq; non multò pòst patricio effecto, administrationem illi iuxta Persarũ terminos tribuit, ibiq; Vitiges degẽs vitam finiuit. Bellisarius verò dignis euectus honoribus, iteratò ad Africam aduersus Guntarith mittitur, qui Vuandalos rursus sollicitans, apud eos arripuerat regnũ. Bellisarius vt Africã attigit. Guntarith sub dolo pacis illico peremit, residuosq; Vuandalorũ Reip. iugo subtrauit. Victor exinde Bellisarius Romã venit. Aureã crucẽ centũ librarũ pretiosissimis gẽmis exornatã, in qua suas victorias descripserat, beato Petro per manus papæ Vigilij obtulit. His apud Casinũ tẽporibus post solitariã vitã in sancto degẽs cœnobio, stupendis beatissimus pater Benedictus, nec minus futurorũ præscius, radiabat virtutib. Hac etiam ætate gens Langbardorũ amica tũc populi Ro. apud Pãnonias degebat, quib. in regni gubernaculo Audoinus ꝑerat. Is eo tẽpore cũ Turisendo Gepidarũ rege confligẽs, per Alboinũ suũ filiũ iuuenẽ strenuũ victoriã nactus est. Deniq; inter ipsas Alboinus sese acies Turismãdũ Turisendi regis filiũ appetentẽ alacriter aggressus extinxit, perturbatisq; hac occasione Gepidis, suis victoriam peperit. At verò apud vrbẽ Romã papa Vigilius ob eandẽ, qua & decessor suus causam indignatione Augustæ per Antimum Scribonẽ ductus Constãtinopolim, indeq; in exiliũ actus est. Capto igitur Vitige, Gotthi trãspadani Ildebrandũ sibi regẽ constituũt, qui eodẽ año perimitur. Cui successit Errarius, & ipse nondũ año expleto iugulatus. Dehinc sibi Badiulã, q & Totila dicebatur, in regnũ ꝓficiũt. Moxq; collecto vndiq; exercitu, vniuersã rursus Italiã inuadũt.

Exinde per Campaniam, virique dei Benedicti patris cœnobium iter facientes perueniunt, perq; Lucaniæ ac Brutiorum fines Regium proficiscuntur. Nec mora, Siculum transgressi fretum Siciliam inuadunt. Inde quoque Romam petunt, eamque obsidionibus circumcludunt. Quæ tantam tunc famis penuriam perpessa est, vt præ magnitudine inopiæ, natorum suorum carnes comedere vellent. Fessis nimium Romanis nec valentibus mœnia tueri, Totila à porta Hostiensi vrbem ingressus est. Qui parcere Romanis cupiens, per totam noctem clangere buccinam iubet, quò se à Gotthorum gladiis aut ecclesiis tuerentur, aut quibuscunque locis occulerent. Habitauitque aliquanto tempore cum Romanis, quasi pater cum filiis. Hanc illi (vt videtur coniici) animi benignitatem, qui nimiæ antea crudelitatis extiterat, beati Patris Benedicti, quem olim adierat, monitio contulit. Elapsi ab vrbe aliqui è numero Senatorũ Constantinopolim afflicti properant: quibus calamitatibus Roma subiiceretur, principi narrant: qui statim Narsem Eunuchum suum & cubicularium cum manu valida mittit, vt afflictæ Romæ quantocycus subueniat. Is ad Italiam veniens, magno cum Gotthis certamine conflixit. Quibus ad internecionem penè consumptis, regem Totilam, qui vltra iam decem annos regnauerat, interfecit, vniuersamque Italiam ad Reipub. iura reduxit. Quia verò restant adhuc quæ de Iustiniani Augusti felicitate dicantur, in sequenti, deo præsule, libello promenda sunt. *Paul Diac. lib. 7. finis.*

Cum

CVm iam, vt præmissum est, Romanorũ desierit apud Italos imperium, plurimæque gentes irruerent contra ipsos, ad iusque pertransierat Pelasgum, hac tempestate Iustinianus Augustus Romanum idem felici sorte regebat imperium, qui & bella prosperè gessit, & in causis ciuilibus mirificus extitit. Nam per Bellisarium patricium Persas fortiter deuicit, perque Bellisarium Vuandalorum gentem, capto eorum rege Gilimere, vsque ad internecionem deleuit, Africamque totam post annos XCVI. imperio Romano restituit: rursusque Bellisarij viribus Gotthorum in Italia gentem, capto Vitige eorum rege superauit. Maurosque post hæc Africam infestantes, eorumque regem Attilam per Ioannem exconsulem mirabili virtute prostrauit: pari etiam modo, vt alias gentes, belli iure compressit: quam ob causam propter horum omnium victorias, vt Alemannicus, Gotthicus, Alanicus, Vuandalicus, Africanicusq; diceretur, habere hæc nomina meruit. Leges etiam Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis dissonantia, mirabili breuitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ vtiq; in multis voluminibus habebantur, intra XII. libros coarctauit: idem quoq; volumen Codicem Iustiniani appellari præcepit, rursusq; singulorum magistratuum siue iudicum leges, quæ vsq; ad duo millia penè librorum erant extensæ, intra L. librorum numerum redegit, eumq; Codicem Digestorum siue Pandectarum vocabulo nuncupauit. Quatuor etiam Institutionũ libros, in qui-

Paulus Diaconus lib. 8.

bus breuiter vniuersarum legum textus comprehenditur, nouiter composuit: nouas quoque leges, quas ipse statuerat, in vnum volumen redactas, id est Codicem, Nouella nuncupari sanciuit. Extruxit quoque idem princeps intra Constantinopolim vrbem ipsi Domino, qui est sapientia Dei patris, templum, quod Græco vocabulo ἁγίαν σοφίαν, id est, sanctam sapientiam nominauit. Cuius opus adeo cuncta ædificia excellit, vt in totis terrarum spatiis huic simile non possit inueniri. Erat enim hic princeps fide catholicus, in operibus rectus, in iudiciis iustus: ideoque omnia ei concurrebant in bonum. Huius temporibus Cassiodorus apud vrbem Romam tam seculari quàm diuina scientia claruit, qui inter cætera quæ nobiliter scripsit, psalmorum occulta præcipua potentissimè reserauit. Hic primùm Cos. denique senator, ad postremum verò monachus extitit. Hoc etiam tempore Dionysius Alba in vrbe Roma constitutus, paschalem calculum miranda argumentatione composuit. Tunc nihilo minus Arator Romanæ ecclesiæ subdiaconus, poëta mirabilis, Apostolorum actus versibus hexametris exarauit. His quoque diebus beatissimus Benedictus pater, & priùs in loco qui Sublacus dicitur, qui ab vrbe Roma quadraginta millibus passuum abest: & postea in castro Casini, quod Clarum appellatur, & magnæ vitæ meritis, & Apostolicis virtutibus effulsit. Igitur cùm circumquaque Langbardorum victoriæ personarent, Narses chartularius imperialis, qui tunc præerat Ita-

liæ,

ſiæ, bellum aduerſus Totilam Gotthorum regem præparans, cùm iampridem Langbardos fœderatos haberet, legatos ad Alboinum dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gotthis auxilium miniſtraret. Tunc Alboinus electam è ſuis manum direxit, qui Romanis aduerſus Gotthos ſuffragium ferrent: qui per maris Adriatici ſinum in Italiam tranſuecti, ſociati Romanis pugnam inierunt cum Gotthis. Quibus vſque ad internecionem deletis pariter cum ſuo Totila rege, onerati multis muneribus victores ad propria remearunt, omnique tempore quo Langbardi Pannoniam poſſederunt, Romanæ Reipublic. aduerſus æmulos adiutores fuerunt. Tunc quoque apud Conſtantinopolim Priſcianus Cæſarienſis grammaticæ artis (vt ita dixerim) profunda rimatus eſt. His temporibus Narſes etiam Bucellino duci bellum intulit, quem Theudebertus rex Francorum, cùm in Italiam introiſſet, reuerſus ad Gallias cum Amingho duce, ad ſubiiciendam Italiam reliquerat. Qui Bucellinus cùm penè totam Italiam direptionibus vaſtaret, & Theudeberto ſuo regi de præda Italiæ munera copioſa conferret, & cùm in Campania hyemare diſponeret, tandem in loco cui Tanetum nomen eſt, graui bello à Narſete ſuperatus, extinctus eſt. Aminghus verò, dum Auidin Gotthorum comiti contra Narſetem rebellanti auxilium ferre conatus fuiſſet, vtrique à Narſete ſuperati ſunt. Auidin captus, Conſtantinopolim exulat. Aminghus verò, qui ei auxilium præbuerat, Narſetis gladio perimitur. Tertius verò Francorum dux nomine

Paul. Diac.

Leutharius, Bucellini germanus, dum multa præda onustus ad patriam cuperet reuerti, inter Veronam & Tridentum iuxta lacum Benacum propria morte defunctus est. Habuit nihilo minus Narses certamen aduersus Sindual Brentorum regem, qui adhuc de Herulorum stirpe remanserat, quos secum in Italiam veniens solummodo Odoacer adduxerat. Huic Narses fideliter sibi primũ adhærẽti, multa beneficia contulit. sed nouissimè superbè rebellantem, & regnare cupientem, bello superatum, & captum, celsa de trabe suspendit. Eo quoque tempore Narses patricius per Dagistheum magistrum militum, virum bellicosum & fortẽ vniuersos Italiæ fines obtinuit. Hic Narses quidem primùm chartularius fuit, deinde propter virtutem meritò patriciatus honorem meruit. Erat atem vir piissimus, in religione catholicus, in pauperes munificus, in recuperandis basilicis studiosus satis: vigiliis & orationibus in tantum studens, vt plus supplicationibus ad deum profusis, quàm armis bellicis victoriam obtineret. Inter hæc Iustiniano principe vita decedente, Iustinianus minor Remp. apud Constantinopolim regendam suscepit. His quoque temporibus Narses patricius, cuius ad omnia studium vigilabat, Vitalem episcopum Altinæ ciuitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regem confugerat, hoc est, ad Agathensem ciuitatem, tandem apprehensum apud Siciliam exilio dãnauit. Igitur deleta vel superata Narses omni Gotthorum gente, & iis quoque, de quibus diximus, pari modo deuictis, dum multum auri & argenti, seu cæterarum rerum diuitias acquisisset,

ſiſſet, magnam ab his ducibus, qui multa contra hoſtes eorum laborauerat, inuidiam pertulit: qui contra eum Iuſtino Auguſto, & eius cōiugi Sophiæ in hæc verba ſuggeſſerūt dicentes: Quia expedierat Romanos Gotthis potius ſeruire, quàm Græcis, vbi Narſes Eunuchus imperat, & nos ſeruitio opprimit, & hoc noſter piiſſimus princeps ignorat, aut libera nos de manu eius, aut certè & ciuitatem Romam, & noſmetipſos gentibus tradimus. Cumque hæc Narſes audiſſet, hæc breuiter retulit verba: Si malè feci cum Romanis, malè inueniam. Tunc Auguſtus in tantum aduerſus Narſetem commotus eſt, vt ſtatim in Italiam Longinum præfectum mitteret, qui Narſetis locum obtineret. Narſes verò his cognitis valde pertimuit, & in tantum maximè à Sophia Auguſta territus eſt, vt regredi vltra Conſtantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, quod Eunuchus erat, hoc fertur mandaſſe, vt cum puellis in gynæcio lanarum faceret penſa diuidere. Ad quæ verba Narſes dicitur hæc reſponſa dediſſe: Talem ſe telam orditurum, qualem ipſa dum viueret, deponere non poſſet. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolim Campaniæ ciuitatem ſecedens, legatos mox ad Langbardorum gentem dirigit, vt paupera Pannoniorum rura deſererent, & ad Italiam cunctis repletam diuitiis poſſidendam venirent. Simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos poſſit allicere. Langbardi læta nuncia, vt quæ ipſi præcipuè optabant, gratanter ſuſcipiunt. Denique

futuris commodis animos attollunt. Continuo apud Italiam terribilia noctu signa visa sunt, hoc est, igneæ acies in cœlo apparuerunt, eum, qui postea effusus est, sanguinem coruscantes. Narses verò de Campania Romam regressus, ibidem non post multum tempus ex hac luce subtractus est. Cuius corpus positum in loculo plumbeo cum omnibus eiusdem diuitiis Constantinopolim est perlatum. *Paulus Diaconus libro septimo.*

IVSTINIANVS, condita sancta Sophia, repurgauit aulam, & marmoribus exornauit; cùm priùs Augustale esset; & statuam suam equestrem in columna posuit; quæ læua globum tenet, cruce in eo defixa: quæ significaret eum ob fidem in crucem, terræ dominum factum. Globus enim is terra est, ob rotundam eius figuram: Fides autem est crux, ob incarnatum Deum illi affixum. Dextram porrigit versus Orientem, seditionem Persarum significans; & extensione ac repulsione manus clamitans, ne Romanas prouincias ingrediantur: State ne progredimini, neque enim id vobis expediet. ¶ Iustinianus, Imperator Romanorum, rectissimè de religione sentiens, rudis fuit omnium literarum, & quod dicitur, analphabetus. Hic condidit aureum triclinium in palatio, & S. Pauli orphanotropheum, aucta de se opinione Iustini Imperatoris, à quo grauitatis & exquisitæ diligentiæ laus ipsi tributa fuerat. ¶ Tribonianus Macedoniani F. à dicegoris, hyparchis, gentilis & impius fuit omnibus modis à Christiana religione alienus; adulator & impostor: qui persuadere conaba-

tur

tur Iustiniano, cum non moriturum, sed cum carne in cœlum assumptum iri. Fuit autem quæstor Iustiniani. Hic & ingenij facultate vtebatur, & ad summam peruenerat eruditionem; nemine suæ ætatis inferior: pecuniæ ad miraculum auidus, ius pretio vendere solitus: & legum dies alios plerumque tollebat, alios scribebat, pro cuiusque necessitate accepto pretio. Eo in honore cùm annos multos vixisset, morbo decessit; nihil iniucundi à quoquam perpessus. Nam & facundus erat, ac cætera suauis; & auaritiæ morbum amplitudine doctrinæ solertissimè occultabat. *Suidas.*

IVSTINIANVS reparando imperio animū admouit. Persas qui transgressis limitibus Mesopotamiam, Cælesyriam, Syriamque prædati sunt, Belisarius legatus ab Augusto missus, prælio fudit, fugauitque: trans Euphraten abire coëgit: veteres firmauit limites. Iura imperij toto Orienti asseruit: cum victoria redeuntem & aureo curru triumphantem, Iustinianus magna lætitia excepit, idemque dux triumpho insignis, & rebus gestis clarus, recuperata Africa, Gelimerem Vuandalorum regem vinctum catenis Constantinopolim misit: Carthaginem firmiùs quàm antea restituit. Triumphus maior ac pretiosior Persico fuit: præferebantur puluinaria ornata auro ac gemmis, signa militaria, tapetes, mensæ, pocula, vestes pretiosæ, pepla, regiaque hæc supellex distincta auro, lapillis & margaritis, septem magna vasa plena auro & vasa quædam è gemmis. Quid gratius præberi oculis potuit, quàm captiuum intueri regem cum vxore & regia fa-

milia? Cùm ad conſpectum Imperatoris ventum eſt, iuſſuſque eſt rex adorare principem, ferunt eum pleno ore ſemper riſiſſe. Exiſtimabant ingenti dolore perculſum, mente captum eſſe, illumque dixiſſe ſe ridere fortunæ humanæ viciſſitudines, vt qui modò rex fuiſſet, iam ſeruiret. Eadem ſententia fuiſſe Aemilij Pauli memoratur, cùm poſt captum Perſen Macedoniæ regem, de mutabilitate fortunæ non ſine lachrymis diſſeruiſſet. Conſul factus Beliſarius (quæ dignitas prima poſt imperatorem erat) è Sicilia in Africam rediit, rebellantes compreſſit. Solomoni præſidi partem inuictarum copiarum reliquit. At verò in Italia Atalarico defuncto, qui regnauit annos IIII. ſucceſſit Theudatus: qui cùm ſuſpectus eſſet in loco qui dicitur Quinctus, tumultu militari occiſus eſt. Opinio fuit Vitigitem, qui ſtatim regnum accepit, autorem cædis fuiſſe. Beliſarius cum victore exercitu, iuſſu principis in Italiam nauigauit, Neapolim reſiſtentem vi cœpit, ſæuitumque eſt ſine ſexus, ætatis & ſacerdotij diſcrimine. Romam cùm veniſſet, pauidi Gotthi Rauennam profugerunt. Vitigitis coadunatis innumerabilibus copiis, Romam contendit, obſidet: nihil cùm proficeret, ſuburbana omnia incendit. Ita Beliſario acriter defendente, vrbs non capta eſt. Poſt annum Vitigitis re infecta Rauennam reuerſus. Deinde quod vix credibile eſſet, Beliſarius cum parua manu, cum tanta multitudine conflixit, profligatoque hoſte Vitigitem fugauit: captus à Iohanne Magiſtro militiæ Romam ductus eſt, & inde à Beliſario Conſtantinopolim.

• Iuſtinianus

Iustinian⁹ regij nominis memor, ne sine dignitate viueret, Persico limiti in ripa Euphratis hominem præposuit. Vbi sequẽtibus annis diem obiit. Dum hæc in Italia geruntur, Gothi in Africa duce Gundorico rebellarunt. Belisarius rem sedauit, cæso auctore qui dux erat. Gothi Circumpadani Hildebrandum regem creãt: cui pòst paulò interfecto substituitur Vatrius, qui vix annum præfuit, & cæsus est. Eius locum assentientibus copiis, accepit Badula, cognominatus Totila, quo ductore Gothi populationibus & incendiis totam Italiam infestam reddiderunt. Auxratium pont. Ausinatum legatum ad Imperatorem misere, vt eis liceret vrbem & Italiam tenere, quemadmodum maiores corũ tenuerant. Quibus respondit Iustinianus, res Italicas commisisse Belisario & Iohanni, cum illis agerent. Gothi intellexerunt sibi armis decernendum fore: itaq; sine spe veniæ ac pacis omnia rapinis, cædibus, incendiis, ruinis, antequam Belisarius rediret, ingenti miseratione fœdarũt. Vrbem Rom. proditione Isaurici militis XVI. Calend. Ian. porta Cęlimontana ingressi, imperio potiti sunt; nec eo contenti, bona diripiunt: mœnia bona ex parte solo æquãt, domos aliquot igni absumunt. incolas omnis cuiusq; gradus atq; ordinis rex potissimum Totila ab vrbe abire præcepit, ducturus alio in loco coloniam. multitudo omnis in propinquas vrbes se recepit, sine habitatoribus vrbs relicta est, mansitq; in ea solitudine amplius XL. diebus. Hæc sunt tua monumenta parens Romule: hæc est illa æterna vrbs, terrarum dea, gentiumq; Roma: cui par est nihil & nihil secundũ,

Pompon. Lætus.

quæ vndiq; victo penè orbe aduectos triũphos recepit: cuius imperium Occidentis, Oceano & Transtigritanis regnis terminatum. Túne illa Roma, ad quam quot sunt sub cœlo gẽtes, conuenire ius erat, quæ innumerabiles colonias emisisti? sed iam ciuili intestinoq; odio eò lapsa es, vt honorificentior habereris, si nomẽ tuum tantummodo extaret. Quoniã dissensione partium, & assidua vastatione Romani agri, ita à tuis præsertim dilaniata es, vt exactam vetere pomœrio, mutilatamq; in campo vix consistẽtem, nostra ætas non sine lacrymis conspiciat. Auget præterea dolorem, quod qui præsunt, licet velint, adiumentum tamen ferre non possunt. Interea Belisarius morbo liberatus, silentio & ruina squalidam vrbem, & graui dolore depasti incendij fœtidam, ingressus est. Ferunt incendium surgentibus flammis XIII. dies emicuisse. Dux cautus mœnia raptim reparauit, lignis & ruinis. ciues redire iussit, quorum maior pars etiam non vocata reuersa est: sed non omnia ædificia in cineres ierant, quæ magno redeuntibus adiumento fuere. veruntamen regiones tres, porta Capena, piscina publica, & Auentinus, adeo consumpsit, vt neq; tunc, neque postea restitui potuerint. Totila accepto huius rei nuncio, cum infesto exercitu ad euertendam vrbem rediit: sed repulsus Æmiliam petiit. Et si Belisarius persecutus esset, Gothicæ victoriæ laudem Narseti ademisset. Belisarium à rebus Italicis fama belli Gallici reuocauit. Germanus patritius Augusti patruelis contra Gothos missus, in Illyria morbo occubuit. itaque Italicę expeditioni præficitur Narses. in A-

frica

frica Artabanes Stozam tyrãnum prælio vicit, ac cepit. dumq; Cisalpinæ Galliæ Totilas auxilium pręstat, à Longobardis occisus est. Deinde Gothi audito Narsetis aduẽtu, obsides Romanos, quos & secum habebant, ad vnum interfecere omnes. Narses deinde cum Gothis magno prælio conflixit, & felici vsus victoria, omnes penè deleuit: etiam rex ipse ne superstes dedecori esset, gladio pugnando transfixus vnà interiit. Ob victoriam ludi editi, & in Circẽsibus ex factione Prasinorum & Venetorum tanta seditio ex certamine orta est, vt magnam fecerit cædem. Tale spectaculum aurigæ præbent, & inanis spectãtium fauor nunquam quiescit. sic Russati, Albati, Veneti & Prasini mappas in circo quærũt, sed vltima ferè semper in ambiguo est. sic pro vili panno, miserorum mortalium animi, huc illuc distracti pendent. Princeps tandem affectus morbo, Iustinum ex filia nepotẽ consortem imperij fecit, caputq; diademate exornauit, fortunæq; fauentis signum in cubiculum illius transferri iussit. ingrauescẽte morbo non sanus mente decessit. Imperauit annis XXXIX. *Pompon. Lætus.*

NEpos Iustino ex sorore, cùm annum quartum & quadragesimum ageret, imperare cœpit: quod per annos vndequadraginta administrans, veterem Romani imperij gloriam mirum in modum ampliauit. Primum enim Persas Belisarij opera intra suos fines cõtinuit: inde eodem duce Romam a Gothorum seruitute asseruit: Africam imperio pulsis Vandalis restituit: Narsete duce Gothicum tandem nomen deleuit. Bis triumphatum ex instituto veterum

Romanorum de Persis, & Vandalis à Belisario: leges infinitis voluminibus antea dispersas in quinquaginta Digestorum libros contraxit. Institutionum libros quatuor edidit. Codicē inuulgauit. Maximus certè princeps, nisi auaritiæ, & delirij Eutychiani reus fuisset. Serici vsus è Persis ad Græcos hoc tēpore transiit, iampridem desitus. *Egnatius.*

IVstinianus Iustini ex sorore filius, cùm annū quartum & quadragesimum ageret, imperare cœpit, quod per annos vndequadraginta administrans, veterem Romani imperij gloriam mirum in modum ampliauit. Maximus certè princeps, nisi auaritię & delirij Eutychiani reus fuisset: & Belisario duci clarissimo, cuius operâ res multò præclarissimas cōfecerat, ex leui admodum suspicione citra culpam oculos effodi iussisset, & profligasset. Tā graui oppressus fortuna Belisarius à prætereuntibus victum quærere coactus est. Serici vsus è Persis ad Græcos hoc tempore transiit, iampridem desitus. Iustinianus tandem affectus morbo, Iustinum ex filia nepotem Cæsarem fecit, nec multò pòst ingrauescente morbo, non sanus mente, decessit; cùm edictum, auctore Eutropio lib. 16. vbique à pietate alienum promulgasset. Nobile Sophiæ templum, Iustiniani iussu, Constantinopoli ædificatur. Hoc tempore fames ingens adeò in Italia inualuit, vt membra humana ederent indigenæ. Syluerius Papa, Theodoræ vxoris Iustiniani fraude, falsis testibus conuictus, à Belisario in exilium mittitur, vbi etiam obiit. *Appendix Sex. Aurel. Victoris.*

IVSTI-

IVSTINVS VEL IVSTINIANVS II.

PEr hæc tempora apud Constantinopolim, vt suprà præmissum est, IVSTINIANVS minor regnabat, vir in omni auaritia deditus, contemptor pauperum, senatorum spoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, vt arcas iuberet ferreas fieri, in quibus ea quæ rapiebat, auri talenta congregaret. Quem etiam ferũt in hæresim Pelagianam delapsum. Hic cùm à diuinis aurem cordis auerteret, iusto Dei iudicio, amisso rationis intellectu, amens effectus est. Hic & Tiberium Cæsarem adsciuit, qui ei palatium vel singulas prouincias gubernaret, hominem iustum, vtilem, strenuũ, sapientem, eleemosynarium, in iudiciis æquum, in victoriis clarum, &, quod his omnibus supereminet, verissimum Christianum. Hic cùm multa de thesauris, quos Iustinian9 aggregauerat, pauperibus erogaret, Sophia Augusta frequentiùs increpabat eum, quòd Rempubl. redegisset in paupertatem, dicens, Quod ego multis annis congregaui, tu intra paucum tempus prodigè dispergis. Aiebat autem ille, Confido in domino, quia non deerit pecunia fisco nostro, tantũ vt pauperes eleemosynam accipiant, vt captiui redimantur: hoc est magnus thesaurus, dicente domino: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neq; ærugo, neq; tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his quæ dominus tribuit, congregemus thesauros.

in cœlo, & Dominus nobis augere dignabitur in seculo. *Paul. Diaconus lib. 7.*

Iustinus patrē Illyrico, matre Augusti filia, à teneris annis nō vt nepos, sed vti filius in aula principis educat⁹, magno in honore habitus est, natura facili & ad omnia dexteriore. ab initio principatus, orante Sophia eius vxore, æs alienum soluit. tanta liberalitate vsus animos ciuium, simul & militū coniunctissimos habuit. Cum Persis solutis induciis pacē fecit. Narses post Gothicā victoriam tenuit Italiā annis sedecim, accusatus à quibusdā seditiosis ciuibus apud Iustinū, quòd nimis austerus ac sæuus in iudiciis esset, per literam se expurgauit. Sophia vt hōminē irrideret, ad eum scripsit, vt ad pēsa, muliebre opus, rediret (eunuchus enim erat) Ille indignatus solicitauit Longobardos, qui in Pannonia erant, quorū auxilio delendis Gothis vsus fuerat, vti Italiam occuparent. Natio fuit Germanica, quę ex Cimbrica peninsula ad quęrendas sedes profecta erat, & non statim cepit arma. ferè triennio pòst, cum vxoribus & liberis, & omni supellectile Italiam petierunt: numerus fuit CC. milliū. sub rege Albuino subactam ac domitā Italiā in potētatus diuisere. Tenuerūt annos CCIIII. illo tēpore Vgri glacialis Oceani accolæ, quærendo sedes, Pannonias ingressi, ibi commorati sunt, quam adhuc pacificè tenēt rebus bellicis ita clari, vt nulli ferocissimarum gentiū cedant. Iustinus cùm grauiter dolore pedū laboraret, obiit. Tiberius quē antè adoptauerat, ei successit. *Pompon. Lætus.*

Hic æmulus Iustini, & vt filius à Iustiniano in regia semper habitus, facili admodum


ingenio

ingenio, atq; ad promerendam ex liberalitate hominum gratiam nato fuit. Cum Persis pacē fecit, tributo, quod Romani annuum his expēderent, sublato. Langobardi, Germanica gens, à Narsete indignato contra Sophiam in Italiam hoc principe irrupere: quam ab Alboino rege ad Desiderium per CCIIII. annos in principatus diuisam tenuere. Obiit graui pedum dolore anno XI. Imperij. *Egnatius.*

IVstinus minor, Iustiniani ex filia nepos, Iustiniani æmulus, ac perinde ac filius in regia semper enutrit⁹, facili admodū ingenio, & ad promerendam, ex liberalitate, hominū gratiam nato, à Iustiniano Imperator declaratus est. Cum Persis fœd⁹ pepigit, tributo, quod Romani annuum his penderent, sublato. Longobardi, Germanica gens, Narsetis suasu, quem Imperator falsò delatum proscripserat, in Italiam irrumpunt, quam ab Albuino rege ad Desiderium CCCIIII. annis, in principatus diuisam, tenuêre. Scripsit enim Sophia Iustini vxor ad Narsetem, vt ad pensa muliebria rediret: Eunuchus enim erat Narses. Responderat vtiq; Sophiæ Narses, Se talem texturū telam, quam ipsa discutere & diuellere nequiret. Iustinus ex liberali auarissimus euasit: simul & fidei Christianæ contemptor maximus, & Pelagianæ hæreseos assertor acerrimus. Longinum cum nouo exarchatus magistratu in Narsetis, quem reuocauerant, locum misit. Exarchatus sedes quondam fuit Rauēnæ, qui magistratus cœpit anno mundi 4535. à Christo nato 571. ab hoc Iustino minore primùm excogitatus, vt Imperatoris quodammodo vicarius in Italia foret: eaq; fuit ag-

ctoritate, vt Pontifex Romæ creatus, ab eo confirmaretur. Durauit annis hic magiſtratus 164. *Volaterr. in Rauenna.* Iuſtinus graui pedum dolore obiit, anno imperij XI. Hoc principe Armeni fidem Chriſtianam amplectuntur. Monothelitæ cum ſua hæreſi emergunt. Contra hos ſynodus Conſtantinop. CL. epiſcopis celebratur, in qua Græcis ſacerdotibus vxores permiſſę, Latinis nequaquã. *Appendix S. Aurel. Victoris.*

TIBERIVS.


Igitur cùm Iuſtinianus vndecim annis regnaſſet, amentiam quam incurrerat, tandem cum vita finiuit. Bella ſanè quæ per Narſetẽ patritium Gothis, vel Francis illata ſuperiùs per anticipationẽ diximus, huius temporibus geſta ſunt. Deniq; & cùm Roma temporibus Benedicti Papę, vaſtantibus omnia per circuitum Lãgbardis, famis penuria laboraret, multa frumenti millia nauibus ab Ægypto dirigens, eam ſub ſtudio miſericordiæ releuauit. Mortuo igitur Iuſtiniano, TIBERIVS Conſtãtinus Romanorum regum quinquageſimus ſumpſit imperium. Hic cùm, vt ſuperiùs diximus, Iuſtiniano adhuc Cæſare palatiũ regeret, & multas quotidie eleemoſynas faceret, magnam ei dominus copiã ſubminiſtrauit. Nam deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux dominicę ſculpta, & ait: Crucem domini, qua frontẽ noſtrã & pectora munire debemus, eam ſub pedibus conculcamus? & dicto citiùs iuſſit

eandem

eandē tabulā auferri de fossa. Qua leuata atq; erecta, inueniunt subter & aliam hoc signū habentem: qui & ipsam iussit auferri. Qua amota, repererunt & tertiam: iussuq; eius cum hæc fuisset ablata, inueniunt magnum thesaurū habentem supra mille auri centenaria Sublatūq; aurū, pauperibus adhuc abundantiùs quàm cō suetus fuerat, largitur. Narses quoq; patricius Italiæ, cum in quadam ciuitate intra Italiā domum magnam haberet, ad supra memoratam vrbem aduenit, ibiq; in domū suam occultè cisternam magnā fodit, in qua multa millia centenariorum auri atq; argenti reposuit, interfectisq; omnibus consciis, vni tantummodo hoc per iuramentū ab eo exigens cōmendauit. Defuncto verò Narsete, supradictus senex ad Cæsarem Tiberium veniens dixit: Si mihi aliquid prodest, inquit, magnam rem Cæsar dicam. Cui ille, Dic, ait, quid vis: proderit enim tibi, si quod nobis profuturū est narraueris. Thesaurum, inquit, Narsetis reconditū habeo: quod in extremo vitæ positus celare nō possum. Tunc Cæsar Tiberius gauisus mittit vsq; ad locum pueros suos. Præcedente verò sene, hi sequuntur attēti: peruenientesq; ad cisternam, deopertam ingrediuntur. In qua tantū auri vel argēti repertum est, vt per multos dies vix à deportantib potuisset euacuari. Quæ ille penè omnia secundū morem suū erogatione largiflua dispensauit egenis. Hic cū Augustalem coronā accepturus esset, eūq; secundū cōsuetudinē ad spectaculū cùm populus expectaret, insidias ei præparauit Sophia Augusta, vt Iustinianū Iustini nepotē ad dignitatē imperatoriā sublimaret. Ille per loca

sancta prius procedēs, deinde vocato ad se pontifice vrbis, cum consulib. ac præfectis palatiū ingressus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impositus, cū immensis laudib. in regni gloria est confirmatus: qđ eius aduersarij audiētes, nihilq; ei qui in dño spem suam posuerat, officere valētes, magno sunt cōfusionis pudore cooperti. Transactis aūt paucis diebus, Iustinianus pedibus se proiecit imperatoris, ob meritum gratiæ XV. ei auri centenaria deferens, quem ille secundū patientiæ suæ meritum colligēs sibi in palatio assistere iussit. Sophia verò Augusta immemor promissionis quā quondam in Tiberiū habuerat, insidias ei tentauit ingerere. Procedente autē eo ad villam, vt iuxta ritum imperialem XXX. diebus ad vindemiam iucūdaretur, vocato clam Iustiniano, voluit eum sublimare in regno: quo comperto, Tiberius cursu veloci Constantinopolim regreditur, apprehensamq; Augustā omnibus thesauris expoliauit, solū ei victum quotidianū in alimenta relinquens. Segregatisq; pueris eius ab ea, alios ex fidelibus suis posuit, qui ei parerēt: mandans prorsus vt nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Iustinianū verò verbis solummodo obiurgatū, tanto in posterū amore dilexit, vt filio eius filiam suam promitteret, rursusq; filio filiā suam expeteret. Sed hæc res minimè, quam ob causam nescio, ad effectum peruenit. Huius exercitus ab eo directus, Persas potentissimè debellauit, victorq; regrediēs tantam molem prędæ cum viginti pariter elephantis detulit, vt humanæ crederetur posse sufficere cupiditati. *Paul. Diaconus lib. 8.*

Tiberius

TIberius, Rom Imperator Constantinopolitanus; quem Iustinus commēdat, vt virū clementē simul & humanū; hominem alienū ab auaritia, qui felicitatē in eo vno reponat, vt & floreat populus & omnibus rebus abundet: communē hominum felicitatē præclarū & inuiolatum thesaurū æstimans: quiq; tyrannicā insolentiam perosus, & humanitatē amplexus, regi à suis, quā illos crudeliùs tractari; paterq; maluerit à suis dici quàm dominus. Cùm optimus esset in adolescentia, ingrauescente ætate subitò in deterius mutatus est; vt & dementia & dæmonio agitari putaretur; & ad omnem impietatem, insaniam ac furorem, nō solum in iis quæ secundùm naturam sunt, sed etiam in iis quæ repugnant naturæ, rueret, & omni iniustitia & tyrannide grassaretur. Ita deprauatus vitā cum morte commutat. *Suidas*.

TIberio pax erat cū Langobardis, qui se paratos fore ad omnia principis mādata per legatos fuerant polliciti. Regem sibi creauerūt Cephen, qui cùm à suorum sanguine etiam nō abstineret, in insidias lapsus, cædi meruit. Quo cæso, Langobardi XXX. duces legêre, qui Italiā regerent: quæ à Samnitibus ad Alpeis, præter vrbem Romam & portum, ditionis eorum erat. Tiberius in Oriente Persas sæpe profligatos intra suos fines compulit, recepta Mesopotamia. Langobardi rupto cum Imperatore fœdere, vrbē Rom. graui obsidione premunt: sed eos multitudo decidentium imbrium à mœnibus repulit. Qui existimantes sacrum quoddam violari, magno silentio eo animo concesserūt, amplius cum hostilibus armis non redituri. Secuta est


imbres longa ſiccitas, & inde caritate annonæ laboratum eſt. Tiberius Mauricium generum ſuum adoptauit. Tiberij felicitas multi nominis fuiſſet, ſi res in Occidente, vt in Oriente ei ſucceſſiſſent. Imperauit annis VII. Mauricium generum ſuum conſortē imperij fecit, qui ſucceſſit. *Pomponius Lætus.*

TIberius adoptatus à Iuſtino rē per ſeptennium foris ſatis feliciter geſſit, domi ſumma cum pietatis & liberalitatis opinione. ꝙ ſi quemadmodū Perſas grauibus afflixit præliis, ſic aduerſus Langobardos felix fuiſſet, nihil illo principe fortunatius. Obiit Mauritio genero ſucceſſore declarato. *Egnatius.*

TIberius II. contrariis Iuſtino moribus, & ab eodem adoptatus, peculium ab eo coactum longa auaritia, Sophia tradente, ſimul & omnes Narſetis ducis clariſs. theſauros in Italiæ puteo, monſtrante quodam ſene, repertos, egentibus dedit. In Oriente Perſas ſæpe profligatos inter ſuos fines compulit, recepta Meſopotamia. Perſarum captiuos omnes honeſtè veſtitos in patriam remiſit. Longobardos rupto cum Imperatore fœdere vrbē Rom. graui obſidione prementes, multitudo decidentium imbriū à mœnibus repulit. Secuta eſt imbres longa ſiccitas, & inde caritate annonæ laboratum eſt. Tiberij felicitas multi nominis fuiſſet, ſi res in Occidente vt in Oriente ſucceſſiſſet. Mauricium generum adoptauit, eiq; imperium adminiſtrandū tradidit, præſentibus Ioanne Patriarcha, qui coronā impoſuit, & Senatu. Vixit cum ſumma pietatis & liberalitatis opinione. Imperauit años VII. *Appendix S. Aurel. Victoris.*

MAVRI-

MAVRITIVS.



Iberius igitur Constantinus postquam imperium septem rexerat annis, sentiens sibi diem mortis imminere, vnà cum consilio Sophiæ Augustæ MAVRITIVM genere Cappadocem virum strenuum ad imperium elegit, ornatamq; suam filiam regalibus ornamentis tradidit ei, dicens: Sit tibi imperiũ meum cum hac puella concessum: vtere eo felix, memor semper vt æquitate & iustitia delecteris Hæc postquam dixit, de hac luce ad æternam patriam migrauit, magnũ luctum populis de sua morte relinquens. Fuit enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in iudicio iustus, in vindicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona volũtate complectẽs, omnes diligens: ipse quoq; est dilectus à cunctis. Quo defuncto, Mauritius indutus purpura, redimitus diademate, ad curiã processit, acclamatisq; sibi laudib⁹, post largita populo munera, primus ex Græcorũ generein imperio cõfirmatus est. Hoc tempore Mauritius Imperator Childeperto Francorũ regi L.M. solidorum per legatos suos direxit, vt cum exercitu super Langobardos irrueret, eosq; de Italia exterminaret: qui cũ innumera Francorũ multitudine in Italiam subito introiuit. Langbardi vero in ciuitatib. se cõmunientes, intercurrentib. legatis, oblatisq; muneribus pacẽ cum Childeperto fecerunt. Qui cùm ad Gallias remeasset, cognito Imperator Mauritius, quia cum Langobardis fœdus inierat, quod ei ob detrimentum

Paulus Diaconus.

Langbardorum dederat, repetere cœpit. Sed ille suarum virium fretus potētia, pro hac re nec respōsum reddere voluit. His ita gestis, Autharis rex Brixellum ciuitatem super Padi marginem positā expugnare aggressus est, in qua Dociruph dux à Langobardis confugerat, seseque partibus Imperatoris tradens, sociatus militib. Langobardorū exercitui fortiter resistebat. Iste ex Sueuorum, hoc est Alamannorum gente oriundus, inter Langobardos creuerat: & quia erat forma idoneus, ducatus honorē meruerat. Sed vbi occasionem vlciscendæ suæ captiuitatis reperit, contra Langbardorū illico arma surrexit. Aduersus quem Langobardi grauia bella gesserūt. Tandemq; eum cum militibus quos ducebat, exuperantes, Rauennā cedere cōpulerunt. Brixellus capta est, muriq; eius vsq; ad solum destructi sunt. Post hæc Autharis rex cum Smaragdo patricio, qui tunc Rauennæ præerat, vsq; in annum tertium pacem fecit. Deniq; per Benedictū Papam Pelagius Romanæ Ecclesiæ pōtifex absq; iussione principis ordinatus est, eo ꝙ Langbardi Romam per circuitum obsiderent ne posset quisquam à Roma progredi. Hic Pelagius Heliæ Aquileiensi Episcopo nolenti tria capitula Chalcedonensis synodi suscipere, epistolam satis vtilem misit: quam B. Gregorius cum esset adhuc Diaconus, conscripsit. Rursum Mauritius August⁹ legatos ad Childepertum mittens, eum vt contra Langbardos exercitum in Italiā dirigeret, persuasit. Childepertus existimās suam adhuc germanā apud Constantinopolim viuere, legatis Mauritij acquiescens, vt suam posset sororem accipere, iterum

aduerſus Langbardos Francorum exercitũ ad Italiã direxit: contra quos dum Langbardorum acies properarent, Franci & Alemanni inter ſe diſſenſionẽ habentes, ſine vllius conquiſitione ad patriam ſunt reuerſi. Eo tempore fuit diluuium in finibus Venetiarum & Liguriæ, ſeu cęteris regionibus Italiæ, quale poſt Noë tempora creditur non fuiſſe. Factæ ſunt lacunæ poſſeſſiones, ſeu villarum hominumq; pariter & animantium magnus interitus. Deſtructa ſunt itinera, diſſipatæ viæ. Tantũ tunc Atheſis fluuius excreuit, vt circa Baſilicam ſancti Zenonis martyris quæ extra Veronenſis vrbis muros ſita eſt, vſq; ad ſuperiores feneſtras aquæ pertingerẽt: licet, ſicut B. Gregorius poſtea Papa ſcripſit, in eandem baſilicam aqua minimè introiuit. Vrbis quoq; eiuſdẽ Veronenſis muri ex parte aliqua, eadem ſunt inundatione ſubruti. Facta eſt autem hæc inundatio XVI. Cal. Nouembr. Sed & tantæ coruſcationes & tonitrua fuerunt, quantæ fieri vix æſtiuo tẽpore ſolent. Poſt duos quoq; menſes eadem vrbs Veronẽſium magna ex parte incendio concremata eſt. In hac diluuij effuſione in tantum apud vrbem Romã fluuius Tiberis excreuit, vt aquæ eius ſuper muros vrbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alueum eiuſdem fluminis cum multa ſerpentum multitudine Draco etiam magnæ miræque magnitudinis per vrbem tranſiens, vſque ad mare deſcendit. Subſecuta eſt ſtatim hanc inundationem grauiſſima peſtilentia, quam inguinariam appellant: quæ tantæ populum ſtragi deſtinauit, vt de inæſtimabili multitudine vix pauci remanerẽt.

Paulus Diaconus.

Primumq; Pelagiũ Papam virum venerabilem perculit, & sine mora extinxit. Deinde Pastore interempto, sese per populum extendit. In hac tanta tribulatione beatissimus Gregorius, qui tunc Leuita erat, à cunctis generaliter Papa electus est: qui dum septiformẽ Litaniã fieri ordinasset, vnius horæ spatio, dum hi Deũ precarentur, octoginta ex eis subitò ad terrã corruentes spiritum exhalarũt. Septiformis aũt Litania dicta est, quia omnis vrbis populus à B. Gregorio in septẽ partib. deprecaturus Dominũ est diuisus. In primo nanq; choro fuit omnis clerus, in secũdo omnes abbates cum monachis suis, in tertio omnes abbatissæ cum congregationibus suis, in quarto omnes infantes, in quinto oẽs laici, in sexto vniuersę viduę, in septimo omnes mulieres coniugatæ. Ideo autẽ de beato Gregorio plura dicere omittimus, quia iam ante aliquot annos eius vitã Deo auxiliante texuimus: in qua ea quę dicenda erãt, iuxta tenuitatis nostræ vires vniuersa descripsimus. Hoc tempore idem B. Gregorius Augustinum, & Melitum, & Ioannem cum aliis pluribus monachis timentibus Deum, in Britanniã misit, eorumq; prædicatione ad Christum Anglos conuertit. His diebus defuncto Helia Aquileiensi patriarcha, postquam XV. annis se sacerdotem gesserat, Seuerus huic succedens regendam suscepit ecclesiam: quem Smaragdus patricius veniẽs de Rauenna, in gradus per semetipsum basilica trahens, Rauennã eum in curiam duxit, cum aliis tribus ex Histria episcopis, id est, Ioanne Parentino, & Seuero atq; Vindemio, necnon etiã Antonio iam sene ecclesiæ defensore: quibus com-

minans

minans exilia, atq; violentiam inferens, cõmunicare cõpulit Ioanni Rauennati episcopo triũ capitulorũ damnatori, qui a tempore Papæ Vigilij vel Pelagij Romanæ ecclesiæ desciuerãt societate. Exempto vero anno, e Rauenna ad gradus reuersi sunt. quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri episcopi eos receperunt. Smaragdus patricius a dæmonio non iniustè correptus, successorem Romanorũ patriciatus accipiẽs, Constantinopolim remeauit. Post hęc facta synodus decem episcoporũ, in Martiniano congregatur: vbi receperunt Seuerum Patriarcham Aquileiensem dantem libellũ erroris sui, qui trium capitulorũ damnatorib. communicarat Rauennæ. Nomina vero episcoporũ qui se ab hoc schismate continuerũt, hæc sunt: Petrus. de Altino clarissimus, ingenuus de Sabione, Angelus Tridẽtinus, Iunior Veronensis Horõtius Vincẽtinus, Rusticus de Taruisio, Fõteius Feltrinus, Agellus de Acedo, Laurentius Belunensis, Maxentius Iubentius & Adrianus Polensis. Cum patriarcha autem communicauerunt isti episcopi, Seuerus Parẽtinus, Ioãnes Patricius, Vindemius, & Ioannes. *Paul. Diacon.*

MAuritius, Romanorum Imperator, dicitur eloquentiã maximi fecisse, & in optimis quibusq; disciplinis versatos maximis honoribus affecisse. Fertur & trientem vectigalium remisisse subditis. Designatus a Tiberio Cæsare dux Orientis: quamuis in bellis & prælijs non versatus, fuit tamen cordatus fuit, & grauis & acutus: ac duas res inter se contrarias coniunxit: summa & magnitudinem animi & clementiam, ab omni despiciẽtia, & supercilio alienã.

Hoc ingenio præditus Mauritius, principatu suscepto, magis etiam gloriam suam illustrauit. ¶ Philippus, dux orientalium militum, habuit Heraclium, Imperatoris Heraclij patrem, ducem partium secundarum. Cùm autem male bellum gereret Philippicus, & ad pugnã inutilis esset, Heraclio eius sunt commissę copiæ. Erat autem Philippicus Mauritij gener, filia eius in matrimonium accepta. *Suidas.*

MAuritius gerẽdis rebus in initio felix. Armenos & Persas per legatos fudit. Mœsia Scythas repulit. In Italia Langobardos repressit. Deinde auspiciis Theodosij filij sui, & Germani soceri, victos Hunnos Pannoniisq; eiectos ad solitudines fugauit, & Chaganum affligit illorum ducem. Romanus quidã patricius non abnuente Augusto, cum Langobardis felicius pugnauit, & Victor prim⁹ Italiæ exarchus factus est. Fœlix est qui victoriã assecutus temperare se didicerit. Romanus Græcis mundiciis nutritus, ad delicias animum flexit, simulq; ad rapinas, Mauritius vero vetuit: cuius mẽs, (quia pax erat) cumulandis thesauris accensa finem non inueniebat; Ea de causa tenax factus, stipendia aut rara aut nulla dabat: factaque contra eum conspiratio est ab exercitu, qui Sarmatico limiti præpositus erat: cuius dux Phocas. Rumor ad Augustum peruenit, qui Philippicum generum se accersire iubet: cui aperuit, quomodo per nocturnã quietem bis terve admonitus erat, vt cum tota familia à Phoca se præcaueret. Philippus admirans dixit se nosse hominem, qui tale facinus non auderet, cũ nimis timidus esset, improbus tamen. Propter ad

id inquit Mauritius, mihi cauendum est: nam qui timidi sunt postquam scelera ineunt, parcere nesciunt, & sæuius agunt. Cogitemus igitur ne res eueniat. tum Philippicus, liberalitate opus est, ea sola milites etiam irati sedãtur. Mauritius surdis auribus audiebat, aut cogitabat inferos pecunia placare, ne acciperent admitterentq;: aut ne priuatus vt antea inter notarios lateret. notarius enim fuerat.& ob diligentiam a Iustino præfectus vigilum factus:inde Tiberij gener.post Augustus.Longè auarius quã ante,oĩa negotia principis agebantur,vt opinor, ob fatorum necessitatem. Cùm milites id amplius ferre nõ possent, præsertim qui contra impetum Scytharum positi erãt,loco sterili ac difficili & gelu horrido, coniurauere in caput Mauritij:sed cùm ad opus ventum est,Chalcedone tota dom⁹ fere cum principe cæsa est. quod ei non contigisset, si non fraudasset milites stipendio,si,vt decebat,vixisset. Ferũt enim nihil esse in eo qui imperat auaritiâ detestabilius fœdum crimen est & parens omnium malorum. Hinc rapinæ, hinc cædes, hinc dominandi cupido ortum habuere. Hæc in Pertinacem (cætera virum integrum ac sanctum)milites armauit: contrà liberalitas Alexãdro Magno imperium propagauit. Vtinam Maurici aut Iustinum aut socerum tuum imitari didicisses. ab illo Iustino æs alienum persolutum est. hic Tiberius cũ vxore Anastasia placido certamine indigentibus largas opes dedit. Sed tu venti tacito concederes,thesauris inhiando gladio iugulum præbuisti. Imperauit Mauricius annis XX. *Pompon. Lætus.*

CAppadocem hominem virtus, & rei militaris scientia, partaq; eius ductu de Persis insignis victoria, Imperio facile imposuit: qui sub initia Persis victis, Scythis afflictis, Longobardis repressis & Hunnis e patrio solo in solitudines pulsis, feliciter administrauit. Mox auaritiæ studens, cum frustra Phocæ insidias somnio etiam admonitus præcauisset, dum miles stipendio fraudatus seditiosius agit, ab eodem Phoca Imperio & vita priuatur: cùm imperasset annos XX. vixisset tres & sexaginta: eius etiam omnis prosapia sublata est. Turcaicu nomen tunc primùm Asiæ auditum. *Egnatius.*

MAuritius genere Cappadox, successor Tiberij soceri, præfuit imperio annos 20. in rebus gerendis in initio felix fuit. Armenos & Persas per legatos fudit. Mœsia Scythas repulit, in Italia Longobardos repressit. Deinde auspiciis Theodosi, filij sui & Germani soceri victos Hunnos, Pannoniisq; exactos, ad solitudines fugauit. Constātinopolitanum Patriarcham οἰκουμένικον, id est vniuersalis ecclesiæ præsulem vocitauit: ex humili notario ob diligentiam à Iustino præfectus vigilum factus, mox Tiberij gener, postremo Augustus, multis victoriis illustris Rempub. feliciter administrauit. Postremo ob insatiabile pecuniæ studium, militibus qui Sarmatico limiti præpositi erant loco steriili ac difficili & gelu horrido, infensus, quod nulla aut rara stipendia persolueret, a Phoca centurione limitis Scythici, cuius insidias, somnio etiam admonitus, præcauebat, imperio & vita priuatur. Magnæ vir patientiæ & fortitudinis exemplum. Cùm enim in conspectu suo vxor &

[illegible] infectarentur, forti animo perferens tantam calamitatem, exclamauit: *Iustus es Domine, & recta iudicia tua.* Turcicum nomen tunc primum in Asia auditum est: & Angli cum Gothis ad fidem conuersi sunt Christianam. *Appendix S. Marci Victoris.*

PHOCAS.

Egitur Mauritius Augustus postquam vno & viginti annis rexit imperium cum filiis Theodosio & Tiberio Constantinoq;, à PHOCA qui fuit strator Prisci patricij, occiditur. Fuit autem vtilis Reipub. nam sæpè contra hostes dimicans victoriã obtinuit. Hunni quoq;, q & Auares appellantur eius virtute deuicti sunt. His diebus defuncto Seuero patriarcha, ordinatur loco eius Ioãnes Abbas patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu regis [illegible] Gisulphi ducis. In gradus quoq; ordinatur [illegible] à Romanis Candianus antistes. Rursus mense Nouembri & Decembri stella cometes apparuit. Candiano vero defuncto, apud gradus [illegible] patriarcha Epiphanius: qui primicerius notariorũ ab episcopis, qui erant sub [illegible] & ex illo tempore cœperũt esse duo patriarchæ. Phocas igitur vt præmissum est, [illegible] Mauritio [illegible] filiis, Romanorum [illegible] annis [illegible] annorũ [illegible] papa Bonifacio [illegible] ecclesiæ vt caput [illegible] ecclesiarum [illegible] ecclesia Constantinopolitana [illegible] omnium ecclesiarum scribebat.

Idem alio papa Bonifacio petente iussit in veteri fano qđ Pantheon vocabatur, ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ, & omnium sanctorum martyrum fieri, vt vbi quondam omnium non deorũ sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum. Huius tempore Prasini & Veneti per Orientem & Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternũt. Persæ quoq; aduersus Rempublicam grauissima bella gerẽtes, multas Romanorum prouincias, & ipsam Hierosolymam auferunt, & destruẽtes ecclesias, sancta quoq; profanantes, inter ornamenta locorum sanctorum vel communium, etiam vexillum Dominicæ crucis abducunt. *Paulus Diaconus lib.* 8.

PHocas ab scelerato exercitu, cuius dux erat, Imperator lectus est, qui pene Mauricij oblitus nec tanta cæde edoctus, auarissime tributa exigenda mandauit: tenaciùs priore aurum seruans, secreto cum suis aulicis Persico more omnia disponens. & hi legatos audiebant iudicia pendebant, magistratus dabant. quo in eo qui imperat miserius & deterius nihil est. Palatini enim fumi grauiter lędere solent. Gratiores apud eum erãt, qui implebili rapacitate populos vexabant. stipendia nunquam negauit, quæ tamen parcissime dabat. vnum porro sanxit, quod laudem meruit, hoc est, vrbem Romã totius salutaris vitæ caput esse, cùm antea propter sedem principis Constantinopolis haberetur. Desidia & ignauia Imperatoris, Romanorũ hostes potentiores facti Occidentis diœcesi, Germanias cũ insulis, Gallias, Hispanias,

&

& bonā partem Italiæ, Pānoniasq; & Mœsiam abstulerant, & magnam partem Africæ. Orientis vero Iberos, Armenias, Arabas, & hinc Dardanos, & mediterranea Macedoniæ & Thraciç. Chaganus Thrax, Hunnorū rex, modo huc, modò illuc vndiq; discurrebat. Mesopotamiā, Assyriam Persæ occupauerunt. Ægyptum Saraceni vastauerant. Pro dedecus, nostræ vires adeo defecerant per luxum ac libidinem, vt imperiū Romanum solo tantùm nomine constaret. Res enim P vindices non habebat. magnam spem in initio præbuit de se Phocas, quod homo militaris, sed omnes fefellit opinio. Itaq; ex omni parte reges soluti metu, irruebant. eoq; ventum est, vt aut nomē imperij deleretur aut Phocas occumberet. Erat acceptus Imperatori Priscus patritius gener Heraclonæ. Huius filius Heraclius pro prætore Africam administrabat: ij tres de Imperatore occidendo coniurationem inierūnt. Heraclonas quia magister militiæ erat, in Thracia velut defensurus regionem & propulsurus Barbaros exercitum coegit. Heraclius ex Africa Constantinopolim venerat, ne pauor defectionis suspicionem faceret. Conueniunt statuto tempore, fit de industria tumultus, dum milites prætoriani accurrūt, coniurati principem obtruncant. Milites primùm Heraclium Imperatorem, Cæs. Aug. pronunciant. Populus deinde & senatus ingenti acclamatione probauit. *Pompon. Laetus.*

A Deo præcipites in malū homines agimur, vt Phocas nec Mauritij auaritia admonitus, adepto imperio per Mauritij cædem, ab hoc vitio temperarit. Quin longe studiosiùs colliges

dæ vndiq; pecunia incubuit & [illegible] ficæ seruitutis instituto egit. Vnum in hoc [illegible] mine laudes, quod Romanum pontificē [illegible] pem omnium iure declarauit. Cæter[illegible] adeò [illegible] cors & ignauus, & frequentibus adulter[illegible] famis: vt cum Romanum Imperium vndique Barbari vastarent, staretq; solùm eius [illegible] vmbra, conspiratum sit in illum ab H[illegible] na, & Heraclio, & Prisco: qui captum [illegible] mum hominem priùs interfecère, quàm [illegible] suppetias eius milites potuerint, omni [illegible] principis impurissimi sublata. *Egnatius.*

PHocas Scythici limitis præfectus, ab exer[illegible] tu scelerato, cuius dux erat, Imperator ele-ctus est, qui pene Mauritij oblitus, nec [illegible] cæde edoctus, auarissimè tributa exigēda man-dauit, tenaciùs priore aurum seruans, [illegible] cū suis aulicis, Persico more, omnia dispo[illegible] & hi legatos audiebant iudicia [illegible]debant [illegible] gistratus dabant, quo in eo, qui imperat, [illegible] rius & deterius nihil est. Grati illi [illegible] explebili rapacitate populos vexabant. [illegible] dia militibus debita parcissimè exol[illegible] Rom. Pontificem primatum omni[illegible] uit, solicitatus à Bonifacio tertio. Huiu[illegible] dia & ignauia Romanorum vires ad[illegible] fra[illegible] & debilitatæ erant per luxum & libidin[illegible] perium Rom. solo nomine consta[illegible]ret, eoq; ven-tum est, vt aut nome imperij deler[illegible] cas occumberet. Erat acceptus Imp[illegible] scus Patricius gener Heracleonæ. [illegible] [illegible] us pro[illegible] ter A[illegible]cā administr[illegible] tres de Imperatore o[illegible]dendo con[illegible] incit. Heracleon[illegible] quia magister militiæ erat,

in Thracia, velut defensurus regionem & propulsaturus Barbaros exercitum cogit. Heraclius Constantinopolim ex Africa venit, ne pater defectionis suspicionem faceret. Conueniunt statuto tempore, fit de industria tumultus: dum milites Prætoriani accurrunt, coniurati principem impurissimum obtruncant imperij anno VIII. *Appendix S. Aurel Victoris.*

HERACLIVS.



Contra hūc Phocam Heraclianus, qui Africam regebat, rebellauit, atq; cum exercitu veniens, eum vita, regnoq; priuauit, remq; publicam Romanā HERACLIVS eiusdem filius regendam suscepit. *Paulus Diaconus lib. 8.*

Heraclius, Romanorū Imperator, ab Athanasio Iacobitarū patriarcha, & Sergio Syro Constantinopolitano, in sectam Monothelitarum est deuolutus. Heraclio Imperatori, in Persidem descendenti, filij duo & filiæ duæ obierunt. Ipse vero acceptis viuificis lignis obsignatis, quemadmodum accepta fuerant atq; permanserant, Hierosolyma profectus Modesto pontifici eiusq; clero monstrauit. Hi & sigillum inuiolatum atq; intactum agnouerunt, & clauē ab eo sumpserunt. Imperator igitur ea Byzantium misit quæ Sergius in Blachernis reposuit. Nec multo post Heraclius Byzantium e Perside iter faciens, multis cum laudibus susceptus, in vrbem duxit quatuor Elephantes, quos in equestribus certaminibus in triumpho duxit, omni

genere magnificentiæ vsus. Et quidē opidum magnæ Ecclesiæ pecuniam sumpserat, cōstituit vt e fisco & ipsi Ecclesię & clero annua pecunia penderetur. Filium suum Constantinum collegam fecit: & Heraclium Martinæ F. Cæsare designauit. Cuius morte audita in palatiis Eriæ versabatur. Ac præfectus conductis & constructis nauigiis in freto quod Augustum dicitur, transit iuxta litora sinus Phidaliæ; & per pontem Barybyssi fluminis in vrbem introiit. Decessit ex aqua intercute. Sub hoc Imperatore Heraclio, ducenta millia virorum bello Isaurico perierunt. Hic cum Sergio patriarchæ maximam pecuniam, & aurum & argentum & gemmas pretiosas mitteret, illa omnia submersa sunt. *Suidas.*

HEraclij Sergius Constantinopolitanus pōtifex caput diademate cinxit, eademq; die Fabiam Eudoxiam duxit vxorem: simulq; & sacratissimæ coronæ, & nuptiarum pompa celebrata est. Totum Orientem vastauerant Persæ, & legiones sæpius reparatas, sæpius deleuerāt. Hinc Scythæ & Auari Europam diripuerant & Rom. milites interfecerāt: paucissimi in tot cædibus supererant, ex his qui militauerant sub Mauritio & Phocate. vix crediderim qd' quidā scribūt, duos tantū superfuisse. Ambiguus erat Heraclius, Europámne an Africam vindicaret. Crispum Cappadociæ præfecit fœdus cū Chagano ante longum murum Athanasij percussit. cum Langobardis induciæ nondum exierāt. Africam firma præsidia tuebantur. Itaq; tota mole ad Orientem liberandū conuersus est. priusquam bellū gereret, legatos eos misit ad Cos-

[illegible], vt à [illegible]statione vrbium, & Romanorū cæde [illegible] vtq; iā satur humano sanguine rediret in Persida deinde frustra orauit inducias. ille, [illegible] animus omnia perdendi erat, bis legatos contempsit tandem spretis conditionibus pacis, superbè & contumeliosè respondit, se nunquam cum Romanis quieturum, nisi postposita & abnegata I[illegible]sv Nazareni crucifixi religione, Mitram, hoc est Solem qui vnicus est Deus, adorarent. Imperator indignatus, desperata pace, expeditionē quam cœperat, parauit: acrem delectum vndiq; haberi iussit. nouas legiones scripsit. Nam veteres occiderant, & priusquam ad bellum duceret exercuit, vt solet de tyronibus fieri. ad liberandum Orientem pergit. Cosroes factus de bello certior, Palæstinam Iudæamq; diripuit. Hierosolymas post longā Christianorum occidionem, exhaustis omnibus, & omni supellectile, consumpsit. Lignum salutiferæ crucis, vnà cum sanctissimo vrbis episcopo in auita regna ferri iussit. Ostanem satrapā cum valido exercitu, contra venientem Heraclium [illegible]sit. res primū leuibus prælijs tentata est, deinde totis viribus pugnatum est. Persæ vi [illegible] terga dedere. Cæsa sunt hostium supra XXX. millia. Ostanes fugit. Saraces & Sarabasses duces cecidere. nec tanta cæde vlti sumus. Iamq; iterum ac tertiò victores, deleto ac cæso supplemento longe maiore, cum duce Saie & Razene, in viscera Persidis superato Tigride penetrauimus. sæuitūq; est nō modo in homines verum in vrbium direptiones. nec temperatū est à prophanis hostiū templis. qua strage nostra vulnera recōpensauimus. secundo & tertio prælio

Egnatius.

cœleſti auxilio vſi, victoria [illegible] tertius ille congreſſus cæſis multis [illegible] nem bello Perſico fecit. Coſroes d[illegible] bus Cteſiphontem aufugit, vbi a Siro[illegible] terfectus eſt, quòd pater Medarſæ filio [illegible] ſed natu minori, regnum tradiderat. Quare [illegible] hic cecidit, vxoresq;, negotio per[illegible], Siro[illegible], ablatas opes quas reperit, captiuosq; Roma-nis & Lignũ vitæ reſtituit Heraclio, & [illegible] ipſe de morte patris ac fratris ſcripſit ad [illegible] pem. Paxq; ei data eſt iis cõditionibus, vt limes Perſici ac Romani Imperij Tigris eſſet, atque Perſæ Meſopotamiam non attentarent. Tertiæ pugnę dies, faſtis Rom. aſcriptus adhuc n[illegible] venerationis eſt. Exercitus victorum & laurea-tus onuſtus ferculis atq; trophæis magna læti-tia & ingenti gloria Conſtantinopolim rediit. Dux purpuratus aureo inuectus curru non lau-ream manu, ſed lignum crucis tenens, ſe la[illegible] tibus populis ſpectandum præbuit. Gra[illegible] & ſalutiferum ſpectaculum occurrentibus ſacer-dotibus regio ornatu inſignibus, pompaq; ad-mirabili, præeũte pont. in ſacratiſſimo templo poſitum eſt. Maior hic certè triumphus, quam qui de Gilemere victo & Africa recuperata ha-bitus eſt. Imperauit Heraclius annis X[illegible] runt hydropiſi occubuiſſe. Alij ſcribunt [illegible] cladis genere, teſtium folliculo ſurſum [illegible], ſimul cum virili membro & ſemper tecto [illegible] vt quoties meieret, niſi tabula v[illegible] admo-ta prohibente, vultum lotio ſp[illegible]. [illegible] mant ob illicitas nuptias id accidiſſe. [illegible] etiam fertur in hæreſim Monothe-litarum.

De Magmed.

HVius tempore prodiisse in lucem Magmed memoriæ proditū est, obscuris genitum in Arabia parentibus captūq; a Scenitis (Numidarum more viuūt) & mox venditū Abdimonepli Ismaelitici generis emit, locuples mercator, qui nō vt seruum, sed liberū loco educauit. Forma puerū commendabat, cū adoleuisset, mercimoniis præpositus, qui dexteritate ingenij cum valeret, cōmercio vsus Christianorū Iudęorūq; & aliorū, & lucro augendo diligens, primū domino gratus, inde in notitiā plurimorū venit. Erat tum in Arabia Sergius monachus. Eo enim e Byzantio fugerat, scelestæ opinionis pœnas metuens, inq; domū Abdimoneplis consuetudine admittebat, Magmedi plurimū fauens: nactiq; iuuenis facilitatē atq; promptitudinem in diuersa haud difficulter deduxit. Interea herus moritur sine liberis. Vxor vidua cùm virum quæreret, & esset quinquagenaria, domiq; haberet validū annis iuuenē, domesticis vsa nuptiis traditur, Sergio (vti ego existimo) persuadente. Iuuenis magicę vanitatis non expers, potēs pollensq; carmine, intra paucos dies muliebri mēti mirū de se studiū immiscuit, adeo vt illa nimio ardore deperiret. Corripiebatur Magmed comitiali morbo; qđ vbi vxor animaduertit, ægre ferens rogauit quidnā rei esset: tum ille monitis Sergij, *[illegible]*, inquit, *morbus abest: sed conspectu [illegible] ad me Dei iussu venientis, ferre cū [illegible] mens & membra obstupescūt:* idemq; cōtinuo omnia prophetis narrabat, se quoq; prophetam esse dictitās. Vana spe elusa fœmina, fidem præstitit, & quē modò amabat, obseruare.

ſimul & colere cœpit. In ea perſuaſione cum diem obiiſſet, hæredem virum toto (vt aiunt) aſſe ſcripſit. Iis opibus fretus palā de ſe loquebatur. multi aſſentiebantur, præſertim fœminæ, inter quas antea gloriabunda vxor, nomen laudesq; mariti & cœleſtiū congreſſus diſſeminauerat: ſi qui verò repugnarent, cogebantur armis. breuiq; ſermone & metu exercitū ſatis amplum coegit. Negligentia Cæſaris Auguſti animos præbuit, qui exiguis copiis primos illos conatus effringere potuit. Neglectus ignis paulatim augeſcens; cū fomes ſuppetit, abſumit omnia, deſidiaq; noſtrorum, pernicioſa tabes creuit; cui fomentū medicæ manus adhiberi nequeunt. Arabes primi defecere, proximæ deinde regiones, ipſaq; inuaditur Syria, in qua ferax Damaſcus vi expugnata, viuētis Phylarchi & templū & diuinos honores princeps inſpexit. Pugnaſſe poſtea fertur cū Perſis, & partē copiarum amiſiſſe, rediiſſeq; ad ſuos Arabes, copiasq; ſuppleuiſſe Scenitis, manu tum bello validiſſima & rebus geſtis clara. quę indignatio ob negata ſtipendia fraude quæſtorū & Romani ducis tenacitate, Magmedi hæſit. & tūc defeciſſe prouincias quidā ſcribūt. Scriptor haud ignobilis, qui paulo poſt illa tēpora fuit, tradit Magmed cum pleriſq; aſſeclarū cohortib. Syriā intraſſe, & per legatos petiiſſe ab Heraclio regiones ad incolendum, atq; impetraſſe. & ingentē illum numerum, cum alimenta deeſſent, direptionibus agrorū, villarumq; & vrbiū quęſiuiſſe. addiciunt poſt rapinas reuerſum eum ad antiquas ſedes, aperuiſſeq; leges, & fuiſſe legiſlatorem. tandem natum annos XL veneno interiiſſe,

isse, quod affines dñorum, ad quos hæreditas spectabat, parauisse ferunt.& clam cibis immiscuisse. Eo sublato Ismaelitica gens, qđ ab duce didicerat, ferre palā deterrita non est. Tota ferè quæ antea cœperat cessit Aphrica, sed orę medi terranei maris longè serius. Demũ desidiā Romanorum principũ, cò superstitio creuit, vt magnitudine eius atq; armis perterritus Oriēs, & bona pars Europæ, nō sine clade, & nostra ignominia desciuerit. *De progenie Heraclij.*

HEraclius ex Fabia Eudoxia vxore suscepit Epiphaniam & Heracliũ, qui Constātinus nouus appellatus est. quem ab ineunte ętate sacro diademate adornauit pater. Defunctę Fabię funus cum efferretur, puella sorte quadā spuit per fenestrā, contigitq; tetigisse elatũ cadauer: nulla facta mora cōprehensa, & rogo Fabiæ posita viua exusta. Duxit postea Martinam filiam fratris lata lege, vt idem omnib liceret: ex qua genuit Heraclonam. Successit primũ patri Constantinus nouus, qui regnũ à patre accepit non malũ fidei dogma: nondũ annũ imperans, à nouerca veneno sublatus est. Arripuit imperium Martina cum Heraclona, qui natus erat annos decem & ij conspiratione senatus ante biennium capti, & in exilium Cappadociam missi mulieri linguam præcidunt, ne oratione, qua plurimum valebat, populos cōmoueret, puero abscidunt nasum, ne decor aut gratia in vultu miserationem facerent. Senatus tunc sine militib. principem fecit, quod raró contigit, & ante & post Tacitũ. Augustus electus est Cōstans Constantini filius; genitus ex Gregoria filia Nicetæ patritij. & is fil.* Gregoria q multu dilectus ab

Egnatius.

Heraclio fuerat, magnisq; honoribus [illegible]. Constans verò dum frustra in Langobardos [illegible] petum facit, in su[o]s conuertit iram. laminas [ar]genteas quib. Pantheon tegebatur, & alia quædam pretiosa, reliquias hostiliū prædarum [et] incediorum substulit, & secū in Siciliam [illegible]. Dumq; ibi in balneis se lauat, à ministro, au[ct]ore Mazese, interfectus est. Qui dum pace C[on]stantinopoli fruitur, mortem obiit regnumq; per manus filio Iustino tradidit. In hoc defecit Heraclij progenies, X imperij anno, deiectus [so]lio a Leontio patritio, exul in Pōto, afflictus calamitate occubuit, abscissis naribus. Soli Heraclio inter oēs principes Rom. quantū rerum gestarum monimenta docent, stirpis suę apud inferos sextum legere Augustū, Lachesis suo inextricabili volumine concedit. Præfuerunt oēs annis LXXXVII. *Compendij Romanæ historiæ per Pomponium Lætum, finis.*

LAbenti iampridem Imperio & prægrauantibus Persarum armis, Syria cum ipsis Hierosolymis expugnata, Heraclius accepto diademate à Sergio Pontifice primum omnium Persicum bellū parat: ad quos legatis antea missis pro inducijs impetrādis, cōtemptim ab his habitis, adeò excanduit, vt differre amplius rem non potuerit. Respondērūt enim impij hostes, non prius se Romanis pacem daturos, quam Christum abnegasset Imperator. Quare ingentibus copijs in Chosroen ductis, victis eius sæpe ducibus, & cum omnib. copijs cæsis, mox profligato Chosroe, Persideq; omni in vltionē nostram igni, ferroq;, vastata, lignū salutiferæ crucis recepit. Celebris adhuc est Christianis dies festus

fessos argumentum victoriæ insignis, pacis videlicet partæ, & Tigridis fluuij inter vtrunque Imperium termini. Triumphatumque egregiè, cruce prælata. Imperauit Heraclius annos XXXI, nouo morbi genere periit, virili membro semper ita distento, vt quoties meieret, lotium vultum aspergeret, nisi obiecta tabula id prohibuisset. Creditum est, hæreseos Monothelitarum in quam inciderat, & nequitia supplicium luisse. Hoc tempore Saraceni Mahomete duce caput extulere. Quare breuiter de eius ortu, & successu interim quædam perstringamus.

De Mahometis ortu.


EX Arabia constanti veterum scriptorum fide hoc malum orbi prodiit. Inde enim humili loco natus, dum locandis, cōducendisq; camelis victum quærit, adolescens ingenij vafri, viduæ dominæ nuptiis & opibus mox auctus, Sergium monachum nostratem familiarem habuit: cuius adiutus opera, cùm Christianos & Iudæos accusaret: hos vt impios, qui summum prophetam excruciassent: nos vt simpliciores, qui de CHRISTO ridicula prodamus, paulatim latronum manum coëgit, & diuinitate quadam inde sibi astructa, facileque leuissimo hominum generi persuasa, consilium armis addidit. Inde rerum successu prosperiore elatus, Syriam vastat, & Damascum regionis caput expugnat. Tum verò in Persas arma conuersa, quibus congressus, & primò victus, reparandis copiis intentus, Scenitas sibi Arabas adiungit, gentem per ea tempora Romanæ militiæ ascriptam: & quos ob negata ab Heraclio stipendia, rebelles animos induerat. Sicque paulatim firmato

Imperio, & diuinitatis cuiusdam opinione [illegible] suasa, quam armis tuendam contra aduersantes præceperit; quadragesimo vitæ anno, veneno (vt aiunt) à domesticis dato periit. In quo homine nescio magis-ne ingenij calliditatem admirer, an gentis eius stultitiam, an potius Christianorum principum socordiam: qui nec nascentem comprimere flammam (factu tunc facile) voluere, nec magnis postea rerum successibus auctam potuere. Vnde labes illa iam ad hoc æui non Asiam solùm, & Africam, sed magnam Europæ partem infecerit, vt iam de Christiana pietate tuenda in discrimen ventum sit. *Egnatius.*

HEraclius, Heracleonæ filius, Africæ propraetor, occiso Phoca, a militibus Cæsar declaratus, acclamante populo Augustus consalutatur. Hic vno eodemque die & diadema à Sergio Patriarcha accepit, & Fabiam Eudochiam duxit vxorem, simulq; & sacratissimæ coronæ, & nuptiarum pompa celebrata est. Hierosolymā, Syriam & Aegyptum restituit imperio, & Persis victis & Cosdroa eorum rege à proprio filio interempto, quòd fratri natu minori regnum tradidisset, lignum salutiferæ Crucis recepit, illudque primùm Constātinopolim, deinde Romam transtulit. Durauit autem hoc bellum Heraclij aduersus Persas annos sex cōtinuos. Post hæc Heraclius cura reip. aliis tradita, otio & quieti sese tradidit. Iudæos, etiam inuitos, ad Baptismum compulit, Matheseos studiis operam dedit, aruspiciis & præstigiis dæmonum fidem adhibuit, & in Monothelitarum hæresim prolapsus, Martinam fratris filiam in matrimonium duxit.

[illegible] data lege, vt omnibus idem liceret. Imperauit annis xxxi. Ferunt hydropisi occubuisse. Alij scribunt nouo cladis genere, testiũ [illegible] sursum verso, simul cum virili membro, & semper tento: adeò vt quoties meieret, nisi tabula vmbilico admota prohibente, vultum lotio sparsisset. Existimant ob illicitas nuptias id accidisse. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

CONSTANTINVS HERACLII, SEV HERAclius II.



Ic annum vnum cùm imperasset, rectæ ac veræ pietatis cultor, Martinæ nouercæ insidiis, quæ Heracleoni Imperium astrueret, veneno tollitur. *Egnatius.*

Heraclius, qui & Constantinus iunior dictus est, Heraclij filius, veræ pietatis cultor, patri succedens dolis nouercæ Martinæ, quæ filio imperium astruebat, quarto regni mense veneno necatur. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

¶ *Mirum est Paulum Diaconum hunc Constantinum iuniorem, Constantium vocare, & Heracleonã successorem facere hoc modo.* Heracleona Heraclij filio descendente, successit in loco eius Constantius germanus, eiusdem filius Heraclij, imperauitq; mens. vi. *nisi traiecta hæc [illegible] ex[illegible] sit apud Diaconum, vt ita [illegible].* Defuncto Heraclio Augusto apud Constantinopolim, successit in locũ Constãtius ger-

manus eius [*hæc duo verba aut suppositia esse censeo, aut in Heracleonam post referenda*] filius Heraclij, imperauitq; sex mensib. Quo decedente, Heracleonas eius [*subintellige Heraclij*] germanus eius cum matre Martina, &c.

HERACLEONAS ET MARTINA.

HEraclio defuncto Augusto, apud Constantinopolim HERACLEONAS eius filius cum matre MARTINA regni iura suscepit, rexitq; imperiū duobus ann. *Paul. Diac.*

ILla verò cùm Imperium malè partū cum filio vix biennio tenuisset, à Senatu cum decem filio expellitur, amputata priùs matri lingua, filio naribus. *Egnatius.*

HEracleonas Heraclij filius cū matre biennio in Oriente imperauit, post [illegible] Constantinum. Senatus populusq; Constantinopolitanus cognito scelere in matrem & filium cōsurgens, hunc naribus abscissis, ne decus aut gratia ad cōmiseratonē populos flecteret, illā lingua, ne oratione, qua multum valebat, commoueret, in exiliū in Cappadociam relegarunt, vnà cum Patriarcha, a quo adiuti erant in perpetrando scelere. *Appendix S. Aurel. Victoris.*



CON

CONSTANS SEV CONSTANTINVS F. CONſtantini filij Heraclij.



HOc mortuo, CONSTANTINVS eiuſdem filius ad regni dignitatem aſcendit, tenuitque regnum annis viginti octo. Circa hæc tempora regis Perſarum coniunx nomine Cæſarea de Perſide exiens, cum paucis ſuis fidelibus priuato habitu propter Chriſtianæ fidei amorem Conſtantinopolim venit. Quę ab imperatore honorificè ſuſcepta, poſt aliquot dies, vt deſiderabat, baptiſmum conſecuta eſt, & ab Auguſta de ſacro fonte leuata eſt. Quod vir eius Perſarum rex audiens, legatos Conſtantinopolim ad Auguſtum direxit, quatenus eidem vxorem ſuam redderet: qui ad imperatorem venientes, verba regis Perſarum nunciant, qui requirebat ſuam reginam. Imperator hoc audiens, remq́ue omnino ignorans, eis reſponſum reddidit dicens. De regina, quam quæritis, fatemur nos nihil ſcire præterquam quod ad nos hîc aliqua mulier priuato habitu aduenit. Legati verò reſponderunt dicentes: Si placet, noſtro conſpectu volumus hanc, quam dicitis, mulierem videre. Quæ cùm iuſſu imperatoris aduenisſet, mox vt eam legati conſpiciūt, ad eius veſtigia prouoluuntur, eiq́ue venerabiliter, quia eam vir ſuus requireret ſuggerunt. Quibus illa reſpondit: *Ite renunciate regi veſtro, ex domino, quia niſi ſicut ego iam credidi ita & ipſe Chriſtum crediderit, me iam vlterius conſortem thori habere non poterit.* Quid multa? Legati

reuersi ad patriam, vniuersa quæ adierant, Imperatori renunciant. Qui nihil moratus, cum LX nobilibus viris Constantinopolim pacificè ad Imperatorem venit: à quo gratanter & satis dignè susceptus est: qui cum vniuersis Christum dominum credens, pariter cum omnibus sacri baptismatis vnda perfusus, & ab Augusto de fonte leuatus, catholica fide confirmatus est: multisque muneribus ab Augusto honoratus, acceptaque sua coniuge, lætus & gaudens ad suam patriam repedauit. *Paul. Diaconus 8. in Heraclio eiusq; posteris.*

HIs diebus Constantinus, qui & Constans est appellatus, Italiam à Langbardorum manu eruere cupiens, Constātinopolim egressus per litora iter habens, Athenas venit, indeque mare transgressus, Tarentum applicuit. Qui tamen prius ad solitarium quendam, qui prophetię spiritum habere dicebatur, adiit, studiosè ab eo sciscitans, vtrum gentem Langbardorum, quæ in Italia habitabat, superare, & obtinere posset: à quo cùm seruus Dei spatium vnius noctis expetisset, vt pro hoc ipso dominum supplicaret, facto mane ita eidem Augusto respondit: Gens Langbardorum superari modò ab aliquo non potest, quia regina quædam ex alia prouincia veniens, basilicam beati Iohannis Baptistæ in Langbardorum finibus, construxit. Et propter hoc ipse beatus Iohannes pro Langbardorum gente continuò intercedit. Veniet autem tempus, quando ipsum oraculū habebitur despectui, & tunc gens ipsa peribit. Quod nos ita factum esse probauimus, quia ante Langbardorum perditionē, eandem

bead

Beati Ioannis Basilicam, quæ vtiq; in loco qui Modo etiam dicitur est constituta, per viles personas ordinari conspeximus ita vt indignis personis, & adulterinis, non vitæ merito sed præmij datione largiretur. igitur, vt diximus cùm Constans Augustus Tarentū venisset, egressus est inde Beneuentanorum fines inuasit, omnesque per quas pene venerat, Langbardorum ciuitates cepit, Luceriamq; opulentā Apuliæ ciuitatem expugnatā fortiùs inuadens diruit, & ad solū vsq; prostrauit. Acheruntiam sanè propter munitissimā loci positionem capere minimè potuit. Deinde cū omni suo exercitu Beneuentum circundedit, & eam vehementer expugnare cœpit. vbi tunc Romualdi filius adhuc iuuenculus ducatū tenebat qui statim vt imperatoris aduentū cognouit, nutricium suū nomine Sesualdū ad patrē Grimoaldū trans Padum direxit, obsecrās eū, vt quātocyus veniret, filioq; suo, ac Beneuentanis, quos ipse nutrierat, potēter succurreret. Quod Grimoaldus rex audiēs, statim cū exercitu filio laturus auxiliū, Beneuē tū pergere cœpit. Quē plures ex Langbardis in itinere reliquerūt, quia expoliasset palatiū, & iam non reuersurus repeteret Beneuentū. Exercitus interimConstātis Beneuentū diuersis machinis vehemēter expugnabat, & cōtràRomualdus cū Langbardis fortiter resistebat. Qui quāuis cū tanta multitudine congredi manu ꝓpter paucitatem exercitus non auderet, frequenter tamen cum expeditis iuuenib. hostiū castra irrumpens, magnas eisdē inferebat vndiq; clades. Cumque Grimoaldus eius pater iam properaret, eundē nutricium eius, de quo præmisimus,

ad filium misit, qui ei suum aduentum nunciaret: qui cùm prope Beneuentum venisset, a Græcis captus, imperatori delatus est: qui ab eo vnde veniret requirēs, ille se a Grimoaldo rege venire dixit, eundēq; regē citius aduentare nunciauit. Statimque imperator territus, consilium cum suis iniit, quatenus cum Romualdo paciscere-tur, vt Neapolim possit reuerti: acceptaque obside Romualdi sorore cui nomen Gisa fuit, cum eodem pacem fecit. Eius vero nuncium Gesualdum ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, si aliquid Romualdo, aut cuiquam de Grimoaldi aduentu nunciaret: sed potius quidem asseueraret, eundem venire minime posse. Quod ille se facturum, vt ei præcipiebatur, promisit: sed cùm prope muros aduenisset, velle se Romualdum videre dixit: qui cùm Romualdus citius aduenisset, sic eum allocutus est: Constans esto Domine Romualde, & habens fiduciam, noli turbari, quia tuus genitor citius tibi præbiturus auxilium aderit. Nam scias eum ista nocte iuxta Saturni fluuium cum valido exercitu manere. tantum obsecro vt misericordiam exhibeas cum mea vxore, & filiis, quia gens ista perfida me viuere non sinet. cumque hoc dixisset, iussu imperatoris caput eius abscissum, atque cum belli machina quam petrariam vocant, in vrbem proiectum est. Quod caput Romualdus sibi iussit deferri, idque cum lacrymis osculatus est, dignoq; in loco tumulari præcepit. Metuens subito Grimoaldi regis aduentum imperator dimissa Beneuenti obsidione, Neapolim proficiscitur: cuius tamen exercitum Micola Capuanus

nos omnes iuxta fluenta Caloris fluminis, qui vsque hodie pugna dicitur, vehementer attriuit. Postquam vero Imperator Neapolim peruenit, vnus ex eius optimatibus cui nomen Saburrus erat, ab Augusto, vt fertur, viginti millia militum expetiit, seque cum Romualdo pugnaturum, victoremque spopondit. qui cùm accepto exercitu ad locum cui nomen Forinus est aduenisset, ibique castra posuisset, Grimoaldus, qui iam Beneuentum aduenerat, hæc audiens, contra eum proficisci voluit. Cui filius Romualdus, Non est opus, inquit: sed tantùm nobis partem de vestro exercitu tribuite. Ego deo fauente cum eo pugnabo: & cum vicero, maior vtique gloria potentiæ vestræ adscribetur. Factumque est, & accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum suis hominibus contra Saburrum proficiscitur: qui priùs quàm bellum cum eo iniret, à quatuor partibus tubas insonare præcepit. Cumque vtræque acies forti intentione pugnarent, tunc vnus de regis exercitu nomine Amangus, qui contum regium ferre erat solitus, quendam Græculum eodem conto vtrisque manibus fortiter percutiens, de sella super quam equitabat, sustulit, eumque in aëra supra caput suum leuauit. Quod cernens græcorum exercitus, immenso pauore perterritus in fugam conuertitur, vltimaque pernicie cæsus, sibi fugiens mortem, Romualdo & Langbardis victoriam peperit. Ita Saburrus, qui se imperatori suo victoriæ trophæum de Langbardis promiserat patrare, ad eum cum paucis remeans, ignominiam deportauit. Romualdus verò patrata de

inimicis victoria Beneuentanis triumphans ingressus est, patriq; gaudiu & cunctis securitatem sublato hostium timore conuexit. At verò constans Augustus, cum nihil se contra Langobardos gessisse conspiceret, omnes sæuitiæ suæ minas contra suos, hoc est Romanos, retorsit. Nam ingressus Neapolim, Romam perrexit: cui sexto ab vrbe milliario Vitalianus papa cum sacerdotibus & Romano populo occurrit. Qui Augustus cùm ad beati Petri Limina peruenisset, obtulit ibi pallium auro textum: & manens apud Romam diebus duodecim, omnia quæ fuerant antiquitus instituta ex ære in ornamētum ciuitatis, deposuit, in tantum, vt etiam basilicam Beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, & condita fuerat in honorem omnium deorum, & iam ibi per concessionem superiorum principum locus erat omnium martyrum, discooperiret, tegulasque æreas exinde auferret, easque simul cum omnibus aliis ornamentis Constantinopolim transmitteret. Deinde reuersus imperator Neapolim, in littore Tyrrheno perrexit ciuitatem Rhegynam. Ingressusque Siciliam per indictionem septimam habitauit Syracusas: & tales afflictiones in suo populo, seu habitatoribus, vel possessoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ exercuit, quales antea nunquam auditæ sunt, ita vt etiam vxores à maritis, vel filij à parentibus separarentur. Sed & alia multa & inaudita harum regionum populi sunt perpessi, ita vt alicui spes vitæ non relinqueretur. Nam & vasa sacra vel similia sanctarum dei ecclesiarum, imperiali iussu, & Græcorum

eorum auaritia sublata sunt. Mansit autem imperator in Sicilia ab indictione septima vsque in duodecimam. Sed tandem tantarum iniquitatum pœnas luit, vt qui dum se in balneo lauaret, à suis extinctus est: & ibidem magna cum solennitate à suis, vt decuit, tumulo traditus est. *Paulus Diac. lib. 8.*

CONstans ex Gregoria & Constãtino proximè relato proles rerum potitur, adnitente Senatu qui Martinæ scelus execrabatur. Hic auitæ impietatis hæres, Martinũ Romanum pontificem sibi aduersantem, comprehendi iussum, in exilio mori coëgit. Cætera hominẽ non improbares, si impietatẽ & auaritiã demeres. Saracenis classe congressus, victus aufugit: quibus paulò pòst dissidio laborantibus biẽnij induciis impertratis Italiam petiit, vt eam à Langobardico iugo liberaret. Sed quum Romam venisset, victus à Langobardis acie, quicquid antiqui operis signorumve fuit, intra quintum diem inde sustulit: vt plus ornamentorum paucissimis diebus vrbi detraxerit, quam Barbari per tot annos. Inde in Siciliã traiiciens, cùm sextum ibi annum ageret, & auarè, & crudeliter tributum exigeret, dolo suorum interficitur, postquàm annos VII. ac XX. imperasset. *Egnatius.*

COnstans, qui & Constantinus III. pulsis Heracleona & Martina à Senatu, sine militibus, quod rarò accidit, Imperator declaratur. Hic auitæ impietatis hæres & Monothelitarum dogma sectatus, Martinum I. Pont. per Olympium exarchum comprehendi iussit. & in exilio mori coegit, quòd is Paulum Patriarchã in synodo præsulatu deiecerit, ac Cyri Alexan-

drini, Sergij & Pyrrhi condem nationem probauerit. A Saracenis victus aufugit. Posthac ab iisdem impetratis induciis, vt Italiam à Longobardorum tyrannide liberaret, filio Constantino domi relicto, Tarentum classe appulit. Fideque Luceria capta ac diruta, Beneuentum obsidet. Obsidione relicta Capuam versus contendit, vbi obuium habuit Mitolam eius vrbis Ducem armatum, à quo fusus fugatusque Romam contendit. Cui Vitilianus pontifex obuiam ad VII. lapidem processit. Romæ quicquid erat pulchri pretiosíve ex veterum monumentis expilat, ablatis inter cætera Pantheí tegulis æneis. Post dies duodecim in Siciliam abiit: vbi cum auarè, & crudeliter exigeret tributum à suis, necatur, cùm in principatu vixisset ann. XXVII. *Appendix S. Aurel Victoris.*

CONSTANTINVS
CONSTANTIS F.

INterfecto igitur apud Syracusas Constante imperatore, Mezentius in Sicilia regnũ arripuit, sed absque orientalis exercitus voluntate: contra quem Italiæ milites, alij per Histriam, alij per partes Campaniæ, alij vero à partibus Africæ & Sardiniæ venientes in Syracusas, eum vita priuarunt: multiq; ex iudicibus eius obtruncati Constantinopolim perducti sunt: cum quibus pariter & falsi imperatoris caput est deportatum. Hæc audiens gens

Sara-

Saracenorum, qui iam Alexandriam & Aegyptum peruaserant, subito cum multis nauibus venientes, Siciliam inuadunt, Syracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, vix paucis euadentibus per munitissima castra, & iuga confugerunt montium, auferentes quoque prædam nimiam, & omnem illum quem Constans Augustus a Roma abstulerat ornatum in re & diuersis speciebus, sicque Alexandriam simul reuersi sunt. Porrò regis filia, quam de Beneuento obsidis nomine sublatam diximus, in Siciliam veniens, diem suum clausit extremum. Igitur extincto, vt diximus, apud Siciliam Constante Augusto, punitoque qui ei successerat Mezentio tyranno, Romanorum regnum Constantinus Constantij Augusti filius suscepit regendum, Romanisque principatus est annis decem & septem. Constantij sanè temporibus Theodorus archiepiscopus, & Adrianus his temporib⁹ abbas existens, vir æquè doctissimus, à Vitaliano tunc papa missi in Britanniam, plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fœcundarunt. E quibus etiam Theodorus archiepiscopus peccantium iudicia quantis supplicijs, sed pro vnoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & discreta consideratione venustissimè ac multum notabiliter descripsit. Dum hæc geruntur, hæresis apud Constantinopolim orta est, quæ ita opinando errauit, quia vnā in Domino nostro IESV CHRISTO voluntatem & operationem asseuerabat. Hanc autem hæresim excitarunt Gregorius patriarcha Constatinopolitanus, Macharius, Pyr-

rhus, Paulus, & Petrus. Quam ob causam Constantinus Augustus centum quinquaginta episcopos congregari fecit, inter quos fuerunt etiam legati sanctæ Romanæ ecclesiæ, missi ab Agathone papa, Ioãnes Diaconus, & Ioãnes Portuensis episcopus: qui omnes eandem hæresim damnauerunt. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, vt omnes mirarentur: ac per hoc significatum est quòd sordes hæreticæ prauitatis depulsæ sunt, & Gregorius quidem patriarcha correctus est: cæteri verò in sua defensione perseuerantes, anathematis sunt vltione compulsi. Eo tempore Damianus Ticinensis ecclesiæ episcopus sub nomine Mansueti Mediolanensis archiepiscopi hac de causa satis vtilem, rectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata synodo non mediocre suffragium tulit. Recta autem & vera fides est, vt sicut in domino nostro Iesv Christo duæ sunt naturæ, hoc est Dei, & hominis, sic etiam duæ credantur esse voluntates, siue operationes. Vis audire de eo quod deitatis est? Ego, inquit, & pater vnum sumus. Vis audire quod humanitatis? Pater maior me est. Certè secundùm humanitatem euangelista ait: Iesus autem dormiebat in puppi super ceruical. Vide diuinitatem. Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Hæc est sexta synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata & græcorum sermone conscripta, tempore papæ Agathonis, & obsequente & adsistente Constantino principe intra septa palatij sui. *Paulus Diaconus libro octauo.*

Meliores

MEzentio ob his fato Constantinus imperium excepit: natu maximus natu relictus à patre Byzantij, vt Imperium administraret, audita eius morte, in Siciliam venit: vltusque Mezentium tyrannum, & cædis paternæ conscios, bellum aduersus Saracenos VII. annos, terra marique feliciter gessit. Fatigati enim bello maritimo Arabes, quod ex Cyzico à se capto, Byzantio singulis æstatibus inferebant, maximè ignis miraculo territi qui sub aqua arderet (Callinici inuentum) tempestate etiam graui oppressi, ferè omnes periêre. Nec terra felicius res eorum administrata. Victi enim vna acie, XXX. suorum millia amisêre. Quare pax honestissima secuta, pollicitusque Mauias eorum dux, Iohanni legato imperatori ad id misso, tributum annuũ, auri pondo III. millia, seruorum etiam honestorum, & equorum totidem. Sexta hoc principe veræ pietatis celebrata synodus Constantinopoli. pax vbique etiam floruit, præterquàm quòd Bulgari trans Danubium repentine bellum ostentarũt: quod cùm infeliciter gereretur, inhonesta pace Mysia his ad inhabitandum data est, tributo etiam annuo promisso. Imperauit annos XVII. Iustiniano filio hærede, cùm fratribus minoribus nares amputasset. Pogonatus appellatus, quòd imberbis in Siciliam profectus, barbatus redisset: πώγωνα enim Græci barbam appellant. *Egnatius.*

COnstantinus IIII. Constantis natu maximus filius, imperium Byzantij patre absente administrans, vt mortem patris audiuit, in Siciliam statim aduolat & Mezentium, (vt alij,

volunt) Mizizium tyrannum paternæ cædis autorem interficit. Bellum in Saracenos annis septem terra marique feliciter gessit: quorum vnico congressu triginta millia fudit: eorumque vires adeò debilitauit, vt coacti sint pacis conditiones petere, quæ concessæ sunt illis hac lege, vt quotannis tributa penderent Cæsari. Bulgari Thraciam & Pannoniam inuadunt, & Imperatoris permissu partem eius possident. Sextam Synodum Constantinop. celebrauit contra Monothelitas, Agathone Pontifice impulsore, vbi vtraque conuenit ecclesia. Fratribus pueris, ne ad imperium aspirarent, nares amputauit. Rex Persarum cum vxore Cæsarea & multis suorum millibus Constantinop. (autore Plátina) baptizatur. Tandem morbo correptus, vel (vt nonnulli scribunt) è palatio præcipitatus, obiit anno imperij XVII. Pogonatus appellatus est, quòd imberbis in Siciliam profectus, barbatus rediit: πώγωνα enim barbam appellant. Fames maxima hoc tempore Galliam inuadit: cui vt succurat rex Clodoueus, thesauros & opes, quibus ædem D. Dionysij pater Dagobertus ornarat, aufert. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

IVSTINIANVS RHINOTMETOS.



Ehinc apud Cōstantinopolim imperator moritur Constantinus, & eius minor fili⁹ IVSTINIANVS Romanorum regnū suscepit, cuius per decem años gubernacula tenuit

tenuit ac Africam à Sarracenis abstulit, & cum eisdem pacem terra mariq; fecit. Hic Sergium Pontificem qui in errorem illius synodi, quam Constantinopoli fecerat, fauere & subscribere noluit, misso Zacharia Protospathario suo, iussit Constantinopolim deportari: sed militia Rauennę, vicinarumq; partium, iussa principis nefanda cõtemnens, eundem Zachariam cum contumeliis ab vrbe Roma, & iniuriis expulit. Contra hunc Iustinianum Leo Augustalem dignitatem arripiens, eum imperio priuauit, regnumque Romanorum tribus annis regens, Iustinianum exulem in Ponto seruauit. Rursusque Tiberius contra hunc Leonem insurgens, regnum eius inuasit, eumq; toto quo ipse regnauit tempore, in eadem ciuitate in custodia permaxima tenuit. Hoc tempore Aquileia ob imperitiam fidei quintum vniuersale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati Papæ Sergij monitis instructa, & ipsa huic cum cæteris Christi ecclesiis annuere consensit. Facta est autem hæc synodus Constantinopoli temporibus Papæ Iulij sub Iustiniano principe contra Theodorum & omnes hæreticos qui beatam Mariam solum hominem, non Deum & hominē genuisse affirmant. In qua synodo catholicè est institutum, vt beata Maria semper virgo Θεοτόκος diceretur: quia sicut catholica fides habet, nō solum hominem, sed verè Deum, & hominem genuit. Hoc tempore apud Gallias in Francorum regnum Anchis Arnulfi filius, qui de nomine Anchisæ quondā Troiani creditur appellatus, sub nomine Maioris domus gerebat principatum. At verò Iu-

Paulus Diac.

ſtinianus, qui amiſſo principatu in Ponto exulabat, auxilio Trebellij Bulgarorum regis regnum rurſus recipiens, eos qui ſe expulerant patricios occidit. Leonem quoq; & Tiberium, qui locum eius vſurparant, cepit, & in medio circo coram omni populo iugulari præcepit. Gallicinum verò patriarcham Conſtantinopolitanum erutis oculis Romam miſit: Cyrumq; abbatem, qui eum in pōto exulem aluerat, epiſcopum in loco Gallicini conſtituit. Hic Conſtantinum Papam ad ſe venire iubēs, honorificè ſuſcepit, ac remiſit. Quem proſtratus in terra pro ſuis peccatis intercedere rogās, cuncta eius eccleſiæ priuilegia renouauit. Qui cùm exercitum in ponto mitteret ad comprehendendum Philippicū, quem ibi relegauerat, multum eum idem venerabilis Papa prohibuit nè hoc facere deberet: ſed tamen inhibere non potuit. Exercitus quoq; qui miſſus cōtra Philippicum fuerat, ad partem ſe Philippici contulit, eumq; imperatorē fecit: qui Conſtantinopolim contra Iuſtinianum veniens, cum eo ab vrbe milliario duodecimo pugnauit, vicit, & occidit, regnūq; eius adeptus eſt: Imperauit autem Iuſtinianus cum filio Tiberio in hac ſecunda vice añis ſex: quem Leo in expulſione illius naribus detruncauit. Qui poſt iterū aſſumpto imperio, quoties defluentem guttam rheumatis manu deterſit, penè toties aliquos ex iis qui contra eum fuerant, iugulari præcepit. *Paulus Diac. lib. 5.*

IVſtinianus Rhinotmetus (id eſt præciſo naſo) Romanorum Imperator, Conſtantini F. præter mala cætera, Reipubl. muneribus præficiebat viros inhumanos & crudeliſſimos: quorum

rum

rum erat Stephanus Eunuchus Persa, imperatoriæ pecuniæ quæstor (qui cum obuios quosq; multum vexaret, audacia sua etiam aduersus Imperatoris ipsius matrē vsus, flagellis eam in curru, vt litteratores pueros cecidit) ac Theodotus quidam qui in claustro fuerat, in Thracię partibus angustiarum, publicorum vectigalium quæstor; quem vulgus Logothetam generalem fecit. Is insigni crudelitate pecuniam exigebat, funibus sublimes suspendendo, & palearum fumo illustrissimos quosq; necādo. Leontium ducem Orientis, & Patricium Isaurum, trienniū in custodia tenuit Iustinianus: post Græciæ ducem designauit. quem Paulus, Monasterij Callistrati monachus, Astronomus, & Gregorius Cappadox, monasterij Flori ductor, imperio potiturum prędixerunt: itaq; factum est. Theodotus sub Iustiniano legionum fuit præfectus. Quo abdicato, Imperator ei magistratui p̄fecit Barsyaminen cognomento: qui cūm olim ad mensam æris sederet, sordidissimas ex eo quæstu corrasit opes; obolorum fur sollers & contrahentes cum ipso celeritate digitorum decipiens: & deprehensus, peierare paratus, manuum peccatum linguæ tegens confidentia. Inter præfectorum verò duces ascitus, eò insolentiæ venit, vt Imperatori maximè placeret, & rerum iniustārum consilia inexplicabilia facilimè explicaret, tum milites omnibus stipendiis fraudando, tum magistratus magis etiam quàm olim venditando. ¶ ἀέναον, perenne, perpetuò fluens.] Iustinianus verò, vt fluuius perennis in dies singulos populabatur, ac deprædabatur subditos. *Suidas.*

VLtimus Heraclianæ stirpis Iustinianus imperio præfuit, praui vir ingenij, & varij, atq; à fide recta abhorrentis. Siquidem synodum aduersus sextam à patre celebratam indixit, bonis omnibus aduersantibus, & inprimis Romano pontifice, quem comprehendi mandauit. Bellum aduersus Arabas, & Bulgaros contra fœdera motum, vtrunq; calamitosissimum gessit. Qua re & crudelitate etiam in suos inuisior factus, Leontij patricij, & Callinici patriarchæ dolo deturbatur Imperio, atq; Chersonam relegatur, nare priùs abscissa. Vnde mox fugiēs, & ad Trebellium Bulgarorum regem fuga lapsus, eius opera restituitur: Tiberio, qui Leontio successerat fugato, & Callinico patriarcha luminibus priuato. Illud sæuitiæ hominis argumentum traditur, quòd quoties truncas nares emungeret, toties vnum ex iis, qui Leontio fauerant, ad supplicium rapi iubebat. Sexto demum & decimo año à Philippico pulsus, quem reclamante Constantino Pontifice, acriùs insectabatur (venerat autem ad illum Romanus antistes accersitus, & ab Imperatore honorificentissimè exceptus) vitam & Imperium pariter amisit sexto anno post exilium, cùm X. antè præfuisset. *Egnatius.*

IVstinus IIII. quem nōnulli Iustinianum II. vocant, Constantini IIII. filius, & successor, vltimus ex stirpe Heraclij, sedecim annorum adolescēs, vir certè varius & impius, imperium adeptus, à fide aberrauit, patris synodum alia synodo infirmando: quam cùm Sergius Pont. Rom. minimè ratam haberet, vti comprehendi iussit; ob hoc misso Zacharia Protospa-

tario

tario, qui reclamante Pop. Rom. re infecta rediit. Quam ob rem pœnas ob hæc aliaq; scelera dedit. Nam postquam X. añis imperio præfuisset, à suis ducib. Leontio & Tiberio Absimaro & Callinicho Patriarcha truncatus naso & auribus, imperio exutus in Chersonesum relegatus est iterum regnaturus Childericus Francorum rex I I. circa hæc tempora cum vxore vterum ferente, à Rodillo (quem palo alligatum flagris cædi iusserat) occiditur. *Appendix Sexti Aurelij Victoris.*

DE LEONTIO.

LXXXVII. annos ab Heraclio ad Iustinianum in vna gente imperatum, quod nescio an vlli priorum contigerit, cùm Leontius Iustiniano relegato, Imperium sibi vendicauit: qui classe aduersus Arabas Africam occupantes ingenti parata, cùm infecta re rediret, Imperio expellitur, postquàm treis tantùm annos rerum potitus esset. Hunc ergo Tiberius captum (sic enim quàm Absimarus dici voluit) adepto Imperio, naribus truncatum custodiri iussit. *Egnatius.*

LEontius, vel Leo I I. Imperator factus, præest rebus pessimè ann. I I I. tandem & ipse mutilatus naso ab Absimaro duce in carcerem detruditur. Frisij hoc tempore Rabodo eorum duce superato, in Christianismum à Pipino, aulæ Gallicæ magistro equitum, inducuntur.


Appendix Sexti Aurelij Victoris.

De Tiberio seu Absimaro.

HVnc classis in Creta, Imperatorem dixit, qui Heraclium fratrem statim aduersus Arabas omnia vastãtes cùm misisset, eius forti opera hactenus repressit, vt à nostris abstinerent. Inde Philippicum nobilitatis præcipuæ Chersonam relegauit, quòd aquila caput obumbrasse videbatur dormienti. Cæterùm septimo pòst anno cum Leontio captus, à Iustiniano interficitur. *Egnatius.*

TIberius III. cognomento Absimares, à militibus imperator designatus, Philippicũ, cuius viribus fretus rerum potiebatur, in Pontum relegat: quòd eum suspectum haberet, ob aquilę augurium, quę Philippico dormienti caput obumbrasse visa fuerat. Præfuit imperio annis septem. Post quod tempus Iustinus (de quo suprà) III. opera Bulgarorum ab exilio reuocatus, Constantinopolim cum ingenti exercitu reuertitur, & denuo cum filio imperat añis VI. & captos Leontium & Tiberium, spectante populo interfici iubet: & Gallinicum Patriarcham exoculatum Romam relegat. Mox vocatum ad se Constãtinum Pont. summum, huius nominis primum, & honore & pietate summa excipit, humi proiectus pedes ei osculando &, Romani dogmatis decreta per synodum probando, veniam petiit præteritorum. Ad vltimum à Philippico aduersario, quem relegatum in Ponto, ipso dehortante Pontifice, bello oppugnabat, superatus, vnà cum Tiberio filio interficitur. Circa hæc tempora Saraceni Africam & maximam partem Hispaniç vi occupant, quã ad DCC. ann. tenuêre. *Appendix S. Aurelij Vict.*

PHILIPPICVS.



T verò PHILIPPICVS, qui & DARDANES, poſtquam imperiali dignitate confirmatus eſt, Cyrum, de quo dixeramus, de pōtificatu eiectum, ad gubernādum monaſteriū ſuum Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Conſtātino Papæ literas praui dogmatis direxit: quas ille cum apoſtolicæ ſedis conſilio reſpuit: & huius rei cauſa fecit picturam in porticu ſancti Petri, quę & geſta ſex ſanctarum ſynodûm vniuerſalium continet. Nam huiuſmodi pictura cùm haberetur in vrbe regia, Philippicus iuſſerat auferri. Statuit popul⁹ ne hæretici imperatoris nomen, aut chartam, aut figuram ſolitas ſuſciperent. Vnde nec eius effigies in eccleſia introducta eſt, nec nomē ad miſſarum ſolemnia prolatum. Hic cùm annum vnum & ſex menſibus regnum geſſiſſet, contra eum Anaſtaſius, qui & Arthemius dictus eſt, inſurgens, eum regno expulit, oculiſque priuauit, nec tamen occidit. *Paulus Diac. lib. 8.*

PHilippicus, qui & Bardanes, Iuſtiniano Imperatore interfecto, viſus eſt inhoneſtè & ſupinè imperiū adminiſtrare. Et patres in Oecumenico concilio anathemate notauit, diuinitus ab illis decretas duas in ſeruatore voluntates & actiones, non probans: cùm adiutores haberet Iohannem tum Pontificem vrbis, & Germanum Zyzici metropolitanum, & alios ſacerdotes ac ſenatores plurimos. *Suidas.*

NVnquam maior principum impietas, maiórve, quod grauiùs doleas, ſocordia

Quippe hic adeptus Imperium, sextæ synodi decreta, altera synodo infirmare contendit: gratificaturus monacho, qui imperaturum illum prædixerat, hoc prędictionis præmium petent:: quare cùm loquentiæ multum huic inesset, sapientię parum, opesq́; Imperij iampridem congestas dissiparet, passus etiam Bulgaros Thraciam populari, priuatus oculis in ordinem redigitur, anno vno, & mensibus VI. vix expletis. *Egnatius.*

PHilippicus Bardesanes, occiso Iustino & eius filio in acie, imperium adeptus, edicto sanxit vt Sanctorum statuæ & imagines è templis raderentur. Sextæ synodi decreta, altera synodo infirmare contendit, gratificaturus monacho, qui imperaturum illum prædixerat, id prædictionis præmium petenti. Quapropter cùm eloquentiæ multum huic inesset, sapientiæ parum, opesque imperij iampridem congestas dissiparet: pateretur etiam Bulgaros Thraciam populari, à Constãtino Pont. Rom. sacris, vt schismaticus, interdictus, ab Anastasio Anthemio præfecto suo, priuatur oculis, & in ordinem redigitur, anno vno & mensibus sex vix expletis. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

ANASTASIVS SEV ARTEMIVS.


PHilippicus cùm annum vnum & sex mensibus regnũ gessisset, contra eum ANASTASIVS qui Arthemius dictus est, insurgens eum regno expulit, oculisq́; priuauit,

maauit, nec tamen occidit. *Paulus Diaconus lib. 8. in Philippico.*

HIc Anastasius literas Constantino Papæ Romam per scholasticum patricium, & exarchum Italiæ direxit, quibus se fautorem catholicæ fidei, & sanctæ sextæ Synodi vel concilij prædicatorem esse declarauit. *Paul Diacon. lib. 6. in Anastasio.*

ARtemius, qui & Anastasius, Romanorum Imperator; cùm Sarracenorum classem vrbem petere sensisset, Ioannem bello præficit, magnæ Ecclesiæ diaconum, ratiocinatorem tributorum, quem generalem dicũt. Is cùm Rhodum appulisset, orta seditione, à populo interficitur. *Suidas.*

HIc adeptus Imperium, cùm optimè quæ ad pietatem rectam attinent, instituisset ex Pontificum assensu classem ingentem aduersus Arabas in Alexandriam emisit. Verùm classiariis quibusdam contumaciùs agentibus, qui illum oderant, domum reuersi, Theodosiũ ignobilem alioqui virum Imperio præficiunt: captaq; Constantinopoli, monasterio Anastasiũ includunt, cùm annum vnum, menses tres imperasset. *Egnatius.*

ANastasius II. cognomento Anthemius, ab exercitu imperator salutatus, Romanorum pontificum decreta probauit, sacrosanctaq; habuit Hic cùm optimè, quæ ad veram pietatem attinẽt, instituisset, ex Pontificum assensu, classem ingentem aduersus Arabas in Alexãdriam emisit. Verùm classiariis quibusdam contumaciùs agentibus, qui illum oderant, domum reuersi, Theodosium ignobilem alioqui virum

imperio præficiunt, qui capta Constantinopoli, Anastasium regno exutum, monasterio inclusit, cùm annum vnum, menses tres imperasset. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

THEODOSIVS III.



HOc tempore Anastasius imperator classem in Alexandriam contra Sarracenos direxit: cuius exercitus ad aliud versus consilium, ab itinere medio Constantinopolitanam vrbem regressus, THEODOSIVM orthodoxum inquirens, imperatorē elegit, atq; coactum in solio imperiali confirmauit. Qui Theodosius apud Niceam ciuitatem Anastasiū graui prælio vicit, datoq; sibi sacramento, eum clericum fieri, ac presbyterum fecit ordinari. Ipse verò vt regnum suscepit, mox in regia vrbe imaginem illam venerandam, in qua sanctæ synodus erant depictæ, & à Philippico fuerat deiecta, pristino in loco erexit. His diebus ita Tiberis fluuius inundauit, vt alueum suum egressus, multa Romanæ fecerit exitia ciuitati, ita vt via lata ad vnam & semis staturam excresceret, atque sancti Petri vsque ad Pontem Miluium aquæ descendentes contingerent. Mansit autem diebus septem, donec agentibus litanias crebras ciuibus, octauo demum die reuersæ sunt. *Paulus Diaconus lib. 8.*

OBscuro licet loco natus, non pœnitendum Imperatorem egisset, si diutius illi p Leonem & Cononem Orientis præfectos imperare licuisset. Verùm cùm Leonem exercitus Imperatorem dixisset, pertæsus belli ciuilis Theodosius

ſius ceſſit Imperio, monaſticamque vitam amplexus, ſatis diu ac felix in ea vixit, cùm annos duos imperaſſet. *Egnatius.*

THeodoſius tertius Adramitenus, coactus à militibus imperium adipiſcitur. Is quamquam obſcurus genere, pius tamen animo & ſide orthodoxus, Sanctorum imagines à Philippico diiectas, templis reſtituit: ad Niceam graui prælio Artemium vicit. Imperium deſeruit, cùm videret ſe inuadi à Leone, qui ab exercitu Imperator dictus fuerat, & diffideret regnum ſe poſſe retinere: pertæſus etiam belli ciuilis, quod contra Leonem geſſit, cœnobium ingreditur, vbi ſatis diu ac felix in eo peregit, cùm annos duos imperaſſet. *Appendix S. Aurel. Vict.*

LEO III.



INter hæc defuncto imperatore, Theodoſio, qui vno ſolummodo imperium rexerat año, eius in loco LEO Auguſtus ſubrogatur. Hoc etiam tempore eadem Sarracenorum gens cum immēſo exercitu Conſtantinopolim circumdedit, ac per continuū triennium obſedit donec ciuibus multa inſtātia ad Deum clamātibus, plurimi eorum fame & frigore, bello, peſtilētia, tabeq; perirent, ac ſic partes obſidionis abſcederent. Qui inde egreſſi, Bulgarorum gentem, quæ eſt ſupra Danubium, bello aggrediūtur: & ab hac quoq; victi ad ſuas naues refugiunt. Qui cùm altū peterēt, irruente ſubita tempeſtate, plurimis etiā merſis ſiue cōtritis nauibus, perierunt. Intra Conſtantinopolim verò trecenta millia peſtilentia perierun

Hac tempestate Leo imperator apud Constantinopolim sanctorum imagines depositas incendit. Romanoq; pontifici similia facere, si imperialem gratiam habere vellet, mandauit. Sed pontifex hoc facere contempsit: omnes quoq; Rauennæ exercitus vel Venetiarum talibus iussis vno animo restiterunt: & nisi eos pontifex prohibuisset, imperatorem super se constituere aggressi fuissent. Eo tempore Langbardorum rex Liutprandus Rauennam obsedit, classem inuasit, atq; destruxit. Tunc Paulus Patricius extra Rauennam misit qui pōtificem interimerent. Sed Langbardis pro defensione pontificis repugnantibus, Spoletanis in solatio positis, & ex aliis partibus Langbardis Thuscis resistentibus, consilium Rauennatium dissipatum est. Rursus cùm Rauennam Liutprandus regis nepos, & Peredeo Vicentinus dux obtinerent, irruentibus subitò Venetis, Liutprandus ab eis captus est, Peredeo viriliter pugnans occubuit. Per idem tempus Leo Augustus ad peiora progressus est, ita vt compelleret omnes Constantinopolim habitantes, tam vi, quàm blandimentis, vt deponerent vbicunque haberent imagines, tam saluatoris, quàm eius sanctæ genitricis, vel omnium sanctorum: easque in medio ciuitatis incendio concremari fecit, & quia pleriq; è populo tale scelus fieri præpediebant, aliquāti ex eis capite truncati, alij parte corporis multati sunt. Huius errori Germanus patriarcha non consentiens, à propria sede depulsus est, & eius in loco Anastasius presbyter ordinatus est. *Pauli Vuarnefrid Langbardi, qui fuit filius Diaconi Foroiuliensis, librorum quos ad Eutropij compendium addidit, vltimi finis.*

OBscuritatem generis (quippe qui apud Isauros natus exercuerat sedẽtariam) cùm aliis sceleribus, tum verò impietate in Deum, ac eius imagines, facile Leon æquauit, vnde illi cognomen εἰκονομάχου, & θεομάχου Græcis. quarum perdendi tantus hominem ardor inuaserat, vt Iudæis duobus gratificaretur, qui illum tantò antè imperaturum prædixerant, vt & Constantinopolitanum pontificem, Germanum nomine, aduersantem, sede extruserit, & Romanum antistitem obsistentẽ comprehendi iusserit. Saraceni certè, ducibus Masgalda, & Solymano Constantinopolim triennali obsidione, terra mariq; fatigarunt. Verùm peste, fameque confecti, à Bulgaris etiam sæpe victi, classe magna ex parte igne sub aquis ardenti consumpta, paucissimis ex tanto naufragio seruatis, manifestam in se numinis iram sensêre: nec minori interim clade in vrbe sæuitum, trecenta & amplius ciuium millia peste, fameque consumpta. Ridicula planè quidam de cœlesti igne, & nauium numero prodidere. Inde Siciliam Sergij præfecti opera rebellantem, ad officium retraxit. Circa finem imperij, quod quartum & vigesimum durauit annum, graui terræ motu Bithynia, Thraciaq; concussa, muriq; Byzantij magna ex parte collapsi, quo Theodosij maioris, & Arcadij filij statuæ ad terram deiectæ. Et quæ res flectere impij principis animum ab impietate debuerat, tanquam in manifesta Deûm ira, ille verò ad priuatum quæstum retulit, tributo ad restituendos muros imposito, vt in singula numismata quatuor & viginti obolos ærario principis inferrent: quod postea in


Egnatius.

multas ætates abiit. Hoc principe Romani pōtifices ad Francos primùm respexêre. *Egnatius.*

LEO III. Isaurus siue Conon sceleratus, obscurissimi generis (quippe qui apud Isauros natus sedentariam exercuerat) post Theodosiū vnà cum filio imperat. Iconomachus appellatus est, hoc est, imaginum expugnator: propterea quòd imagines ac sanctorum statuas è templis auferri & incendi iussit, concilio Byzantij celebrato: vt gratificaretur duobus Iudæis, qui illum imperaturum prędixerant, Constantinopolitanum pontificem, Germanum nomine, aduersantem, sede extrusit. Stephanum pont. Romanum minimè consentientē comprehendi ac necari iussit. Hoc principe Constantinopolis octo annorum spatio obsidionem passa est à Saracenis, qui propter famis & pestilentię magnitudinem summa calamitate pressi, discedere coacti sunt. Pręterea naues eorum igne peculiari arte facto sub aquis incensæ, conflagrauerunt. Inde Siciliam, Sergij opera rebellantem ad officium retraxit. Circa finem imperij, quod quartum & vigesimum durauit annum, graui terræmotu Bithynia Thraciaq; cōcussā, muriq; Byzantij magna ex parte collapsi. Gregorius pont. III. Syrus Leoni imagines Sanctorum templis restituere nolenti sacris interdicit, & neglecto eo Carolum Martellum Franciæ regē contra Longobardos, qui iam pacem cum Romanis, reiecto imperatore, inierant, in Italiam vocat. Saraceni Aquitaniam occupauere: at à Francis pulsi, supra CCCLXXIII. millia interfecti sunt. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

CON-

CONSTANTINVS COPRONYMOS.



ONSTANTINVS, Imp. Romanorum, Leonis Iconomachi Isauri filius. E Leone autē nata est versuta pardalis; de serpentino semine, aspis atrox & serpens volaticus: è Dane Antichristus. Hic patris Imperij & impietatis successor, & libidinibus, & dæmonum inuocationibus, & aliis improbis studiis deditus atq; vacans, eximium instrumētum & supra modum opportunum patris sui, & præceptoris extitit Diaboli: eo vecordiæ & insaniæ redactus, vt lege sanciret, ne quisquam prorsus seruorum Domini sanctus diceretur: sed & vt eorum reliquiæ conspuerentur, nec eorū intercessio peteretur: nihil enim eos posse. Deinde adiecit homo profanus; Ne Mariæ quidem intercessionē quisquam petat: neq; enim iuuare quemquā potest. Neq; etiā hæc Deipara nominetur. In manus itaq; sumto sacculo auri pleno, & omnib. mōstrato rogauit, quāti esset? Qui cū dixissent, Magni: rursus effuso auro quæsiuit, quāti esset sacculus? cū respōdissent nullius esse pretij: Sic, inquit, Maria etiā. (neq; enim Deiparam miser ille vocari voluit) Dū enim Christū in se haberet, honorata fuit: postquā autē eum peperit, nihil ab aliis differt mulieribus. O audacem blasphemiam Saracenicæ religionis, & Iudaicæ sententiæ! Venerem enim colebat, & humanas hostias immolabat vltra vrbē: vbi S. Mauræ æde destructa, & in carnificinā mutata, Maurā locū illū dixit, in quo sacra illa pagebat, & pueros mactabat. Testimonio est Flauij puer

quem occultè ab eo immolatum Deus patefecit. *Suidas.*

IMpio patri sceleſtiſſima ſuccedit proles Cõſtantinus cognomēto Copronymi, quòd infans baptiſmi lauacro admotus, mediis ſacris alimoniæ excremento aquam pollucrat. Is non ſolùm patris impietatem in abolendis diuorũ imaginibus reddidit, verùm etiã grauiore ſcelere reliquias eorum aut contempſit, aut combuſſit: quam in numina impietatem immanitas hominis inuiſiorem fecerit, dum nobiliſſimum quemq; tollendum è medio curat. Antiſtites certè Conſtantinopolitanos vnum & alterum ignominioſè priùs habitos, & grauiter adhęc excruciatos, capite plectit. Hic Bulgaricũ variante fortuna bellum terra, marique geſſit. Artabaſdum primæ nobilitatis hominem Imperatorem ab Orthodoxis creatum, poſt biennium à ſe captum, oculorum vſu cum liberis priuat. Grauiſſimam hyemem, vti Pontus, Boſphorusq́; ipſe Thracius perglaciauerit, expertus, poſt infinita flagitia exquiſitiſſimo cruciatu conſumptus obiit. Imperij anno XXIIII. duobus menſibus minùs. *Egnatius.*

COnſtantinus V. Leonis Iſauri filius Orienti præeſt. Patris retinuit impietatem, de imaginibus abolendis graue edictum promulgando. Magicis artibus ad inſaniam vſq; deditus, nullo ſcelere abſtinuit: non Chriſtianus, non Græcus, non Hebræus: ſed omnis impietatis mãcipiũ. Conſtãtinopolitanos antiſtites duos grauiter excruciatos capite plectit. Bulgaricum variante fortuna, bellum terra mariq; gerit. Artabaſdũ primæ nobilitatis hominũ, imperatorẽ

ab Or-

ab Orthodoxis creatum,oculorum vſu cum liberis priuat. Signum futuræ in eo impietatis iam inde ab initio,dum è ſacro puer fonte leuaretur,præ ſe tulit, ſacris lymphis ventris ſolutione commaculatis, cuius rei gratia cognomentum Copronymi meruit. Perijt Elephantiæ morbo anno imperij *XXXV*. Hoc tempore Pipinus Francorum rex Ariſtulpho Longodardo deuicto, Rauennatem Exarchatum (repupugnante Copronymo Imperatore) dono dat Rom.pontifici: Parlamentum in Francia inſtituit. Turcæ gẽtes Scythicas, ex hyperboreis mõtibus procedentes, Alanos, Colchos & Armenios inuadunt. *Appendix Sex. Aurel. Victoris.*

LEO CONSTANTINI F.

NOn Imperij ſolùm,ſed paterni ſceleris hęres aduerſante matre Bulgarici ſanguinis piẽtiſſima ſucceſſit LEO,qui ad impietatẽ ſacrilegiũ etiã addiderit. Nã coronã à Mauricio principe Deo dicatã, nefario capiti imponens,captus gemmarum & auri ſplendore, breuì pœnas luit: caput enim impium carbunculi apoſtemate ſtatim intumuit:tandem ardentiſſima febri ſubſecuta, impium ſpiritum nefarius exhalauit,imperij anno vno. *Egnatius.*

LEo IIII. paterni ſceleris atq; imperij hæres, vnam omnino in Syria expeditionem fecit. vnde leui certamine repulſus, domũ redijt: pauloq; pòſt impium ſpiritum nefarius exhalauit,anno imperij quinto,relicto Conſtantino filio,quem ex Irene vxore Athenienſi proba & ſpecioſa ſuſcepit. *Appendix Sex. Aurel. Victoris.*

LIBER V.

DE IMPERATORIBVS Constantinopolitanis à Constantino Irenes, ad Constantinum vltimum & captam à Turcis Constantinopolim.

CONSTANTINVS IRENES.



CONSTANTINVS VI. cum Irene matre imperauit annos decem. Quo tempore apud Niceã Synodo celebrata, cum Romano pontifice, de imaginibus, & de Spiritus processione, conuênit. Expulsa tandem à filio mater quæ omnia magna prudentia administrabat: pòst paulò à ciuibus in pristinum statum restituta, annos tres sola imperio præfuit; ac Constantino in carcerem coniecto, occulos effodit, vbi breui tempore extinctus est. Ea fere tempestate Landulphus, & quidam alij scriptores scribunt, inuẽtam in sepulchro laminam æneam supra mortuum hominẽ his verbis: *Christus nascetur de virgine; credo in eum: tempore Constantini & Irenes ô sol iterum me videbis.* Cum Carolo Magno de Imperij diuisione conuênit. Expulsa demum à Nicephoro patricio, successore ipsius, in exilio vitæ reliquum egit. Mulier vnà rebus omnino administrandis nata. *Raphaël. Volaterranus lib. 23.*

Redditus

REdditus tandem his principibus veteri religioni suus nitor, reddita vetus pietas, Irenes matris opera: quæ Attici sanguinis, forma insignis, sed probitatis opinione insignior Leoni nupserat. Quare conuentu C C C. & L. Patrum Niceæ indicto, quæ septima synodus habetur, templis, diuisque suæ restitutæ sunt imagines. Nec multò pòst tamen Constantinus iam adultus matrem haud amplius passus, Imperio deijcit eiectam in ordinem redigit. Nicephorum Imperatorij & ipsum stemmatis, in quem suffragia multorum tacitè inclinabant, oculorum & linguæ vsu priuat. Et ne quid sceleris deesset, Maria vxore monasterio obtrusa, Theodoram concubinam inducit matris consilio, vt filium inuisum omnibus faceret: vnde mox rerum sola potita, filium in potestatem redactũ excæcat, eadem die qua sexto antè anno Nicephorum ille eodem supplicio affecerat: ipsaque non multò pòst à Nicephoro pulsa, in Lesbum insulam relegatur. Huius Imperio, quod fuit cum filio annorum X lamina inuenta est super cadauer his verbis: *Christus nascetur ex virgine, in eum credo: Constantini & Irenes imperio ô Sol iterum me videbis* Sed & Carolus à Leone Romano pontifice Imperij corona donatur virtutis, & pietatis ergo. *Baptista Egnatius.*

COnstantinus V I. Leonis I I I I. filius, cum Irene matre imperat annos decẽ. Quo tempore apud Niceam synodo celebrata cum Romano Pont. de imaginib⁹ restituẽdis, & de Spiritus processione cõuenit. Expulsa tandẽ à filio mater quæ omnia magna prudẽtia administrabat: post paulò à ciuibus Cõstantini flagitia nõ

ferentibus, reuocata ab exilio in pristinum statū restituitur: annos treis sola imperio præfuit, ac Constantino filio in carcerem coniecto, oculos eruit, vbi breui tempore extinctus est. Ea ferè tēpestate inuenta est lamina ænea supra mortuum hominem his verbis: *Christus nascetur de virgine, credo in eum. Tempore Constantini & Irenes ô Sol iterum me videbis.* Expulsa demum à Nicephoro. Patricio, successore ipsius, in Lesbū insulam, reliquum vitæ egit. Mulier vna rebus omnino administrandis nata. Cōstantinus cum matre X. annos præfuit, solus V. *Appendix Sex. Aurelij Victoris.*

NICEPHORVS, INVASOR IMPERII.




NICEPHORVS Irene capta occupatoque Imperio, pacem illicò cum Carolo Magno ab ipsa Irene constitutam seruauit: Vti videlicet Apuliam Calabriamque cum Sicilia sibi haberet, reliqua Italia illi concessa. Cum Venetis item pepigit, vt nullius imperio subessent, legibusque proprijs vterentur. Admiratum Saracenorum (qui cum trecentis millibus aduersus venerat) pactione annui tributi CCC. nummûm aureorum à se repulit. Stauracium filium Imperij consortem fecit. Populoniam, immissa classe, partim viribus, partim fraude captam diripuit. Cum Bulgaris in superiori Mæsia congressus, tandem in bello occubuit, anno IX. Imperij. *Volaterranus lib. 23.*

Piget

PIget planè, ac pariter me pudet, tot portentis veriùs quàm principibus referendis immorari: nisi quòd præterquam quòd rei series ita exigit, nonnihil & huiusmodi homines vitæ prosunt, dum eorum exitu & deterrētur pessimi, & optimus quisque ad virtutem, honestumq; accenditur. Nemo enim maiore hominum opinione ad Imperium venit, dum singulos aut muliebris impotentiæ, aut flagitiosissimi principis tædet: nemo auariùs, aut crudeliùs administrauit, quorum scelerum mox pœnas meritas luit. A Bulgaris enim paulò antè à se victis, improuiso noctis assultu oppressus, ipse cum toto exercitu ad internecionem cæditur. Stauracius filius saucius humerum, vix Adrianopolim euasit. Hic Venetam rem sociali classe aduersus Gallos iuuit. Populoniam dolo magis, quàm vi captam diripit. *Baptista Egnatius.*

NIcephorus Patricius Irene in Lesbum relegata, occupatoque Orientali imperio, pacem ilico cum Carolo Magno ab Irene constitutā seruauit: vti videlicet Apuliā Calabriamq; cum Sicilia sibi haberet, reliqua Italia illi concessa. Cum Venetis item pepigit, vt nullius subessent imperio, legibusque proprijs vterentur. Almiratum Saracenorū qui cum trecentis millibus venerat, pactione annui tributi CCC. nummûm aureorum, ab se repulit. Venetos sociali classe, aduersus Gallos iuuit. Apolloniam, immissa classe, partim viribus, partim fraude captam diripuit. Stauracium filium imperij consortē fecit. Cum Bulgaris in superiori Mœsia congressus, occubuit, anno imperij IX. *Appendix Sexti Aurelij Victoris.*

STAVRACIVS F. NICEPHORI.



TAVRACIVS filius in eodem bello Bulgarorum vulneratus, patre interfecto statim reuersus Constantinopolim, Imperium inijt. A Saracenis rupto fœdere (quod pater iniuerat) multa accepit incommoda. Denique ab eius sororio Michaële, mense tertio quàm imperare cœperat, deiectus est. *Volaterranus lib. 23.*

ADrianapoli in quam euaserat, post patris interitum Imperator ab amicis salutatus: non multò pòst à Michaële Curoplate Rangabe cognomento, qui Procopiam sororem eius in vxorem duxerat, Imperio deturbatur; & monasterio includitur, postquam cũ patre annos IX. imperasset. *Baptista Egnatius.*

STauracius Nicephori filius in Bulgarorum bello vulneratus, patre interfecto statim Constantinopolim reuersus imperium init. A Saracenis rupto fœdere, quod pater inierat, multa accepit incommoda. Denique à Michaële Curoplate, qui Procopiam sororem eius in vxorem duxerat, imperio deturbatur; & monasterio includitur. Paucis diebus post patrem imperauit. *Appendix Sex. Aurelij Victoris.*

MICHA-


MICHAEL CVROPALATES, COGNOMENTO RANCABE, gener Nicephori.

MICHAEL CVROPALATES, (cognomento *Rancabe*) gener Nicephori supradicti, inito statim Imperio, cum Carolo conuenit: Vt ille Occidentem, sibi verò retineret Orientem. Venetorum quoque tunc vrbem Gotfredus Viterbiensis scribit ea conditione Græcis partibus cessisse: vt immunitate priùs à Carolo concessa vterentur. Hic quum aliquandiu aduersus Bulgaros bellum gessisset superior, tādem apud Hadrianopolim fusus fugatusq;, amissis copijs domum se recepit: vbi mox coniuratione Leonis Armeniaci captus: & in insulam Primam in exiliū missus, ibidem in cœnobio quodam, Monachum perpetuò egit, biennio postquam imperauerat. *Volaterranus lib.23.*

MElior pacis artibus, & pietate maior duobus à me proxime relatis successerat Michaël, si quam in toga bonus, tam bellicis rebus administrandis viguisset, à quibus tantùm abhorruit, vt ad vnam aduersam cum Bulgaris pugnam, à quibus castris etiam exutus est, ita conciderit, vt accepto nuntio de Leonis Imperio, monasterio sese abdiderit, habenas regni facilè concedens post annum alterum Imperij. Hic cum Carolo Frācorum rege fœdus ita inijt, vt Veneti suis legibus, ac iure viuerent: immunitate his seruata, quam ad eam diem in terra Italia retinuerant. *Egnatius.*

MIchaël Curoplates, cognomento Rancabe, gener Nicephori supradicti, fororius Stauracij, inito statim imperio, cum Carolo cōuenit, vt Carolus Occidentem, sibi verò Orientem retineret. Venetorum quoque tunc vrbs ea conditione Græcis partibus cessit, vt immunitate prius à Carolo Francorum rege concessa, quam ad eam diem retinuerant, vterentur. Hic cùm aliquandiu aduersus Bulgaros bellum gessisset superior, tãdem apud Hadrianopolim fusus fugatusque, amissis copijs domum se recepit. vbi mox coniuratione Leonis Armeniaci captus, & in insulam Protē in exilium missus, ibidem in cœnobio quodam monachum perpetuò egit, biennium postquam imperauerat. His fortunæ vicibus, ab alijs ad alios transferũtur imperia, & opes, gloria, voluptas, & quicquid est commodorum & incommodorum.
Appendix Sex Aurelij Victoris.

LEO ARMENIACVS, INVASOR IMPERII.



LEO ARMENIACVS (Pardi patricij filius) qui exercitui præerat Orientis (quòd rerum ponderi sufficere videretur) à populo Imperator creatus, Cruminum Bulgarorum regem Hadrianopoli potitum, & in Constantinopolim iam arma vertentem, eruptione facta circa vrbis mœnia interfecit. Quæ res aliquandiu Orientis statum pacauit. Interfectus demum & ipse à Michaële Thraulo, per coniurationem. Vir fuit omnium crudelissimus

mus: quo sanè vitio res multas benè gestas obscurauit. *Volaterranus lib. 23.*

PArdi Patricij filius magno omnium gaudio maiore spe rei Romanæ præficitur: nec conceptã de se hominũ animis spẽ frustratus esset, nisi egregias virtutes crudelitate in suos, & impietate in Deũ mox fœdasset. Quippe qui parta de Bulgaris insigni victoria, cũ ab armis quies esset, ad cædẽ multorũ conuersus, diuorũ imagines deleri penitus iubet: nec præsagijs, aut somnijs maternis cladẽ imminentẽ euadere potuit. Nã à Michaële Thraulo, quẽ in custodia detinebat, noctu per insidias, dũ sacris operatur, cęsus, obijt post annos Imperij VII. & menses quinque. *Egnatius.*

LEo Armeniacus Pardi Patricij filius, qui exercitui præerat Orientis, quòd rerum ponderi sufficere videretur, à populo Imperator electus, Cruminũ, Bulgarorũ regem, Hadrianopoli potitum, & in Constantinopolim arma vertentem, eruptione facta, circa vrbis mœnia interficit: quę res aliquandiu Orientis statum pacauit. Parta de Bulgaris insigni victoria, cũ ab armis quies esset, ad cædem multorum conuersus, Diuorum imagines penitus deleri iubet: nec præsagijs, aut somnijs maternis cladem imminentem euadere potuit. Nam à Michaële Thraulo, quem in custodia detinebat, noctu per insidias, dum sacris operatur, multis vulneribus confoditur, post annos imperij VII. & mẽses V. Vxor in monasterium detruditur: filij in exilium pelluntur. Vir fuit omniũ crudelissimus, quo sanè vitio res multas bene & præclarè gestas obscurauit. *Appendix Sex. Aurelij Victoris.*

MICHAEL THRAVLVS, SEV BALBVS, INVASOR Imperij.



ICHAEL Imperator Romanorum, post Leonem Armenium, nonnihil remissa superioris temporis vexatione, tantisper dum ij qui in carcere, ærumnis, exsilio erant, libertatem & relaxationem somniarent, clam sui antecessoris, infamis & impij, Deo inuisam sententiam fouebat: eodemq; reti atrocis sectæ, veluti piscis irretitus, putidis & impijs dogmatibus per summam vecordiam & amentiam est immortuus. Supra modum enim & profanus, & illiteratus fuit; cùm inscitiam paternæ vecordiæ & insolentiæ, iusti patrimonij loco, hereditario iure accepisset. *Suidas.*

MIchaël *Thraulus*, id est Balbus (nam lingua fuerat balbutienti) præterea è Phrygia superiore oriundus, secta etiã illius regionis contaminatus, apud Leonem Imperatorẽ Comes domesticorum, maximoq; in honore: cuius etiã filium ille de sacro fonte leuauerat: & tamen ingrato animo, mentcq; subdolus, simulque (quòd à mathematico persuasus erat habere genesim) non dubitauit contra Leonem coniurare, eumq; de medio tollere. Vxorem tamẽ nutrijt: filios verò in insulam Primam in exilium misit. Thomam quãdam qui exercitui præerat Orientis, rebellantem compescuit. classe LXX. triremium Cretam inuadentes Saracenos superauit: crudelis alioquin, aduersusque clericis

ac

ac monachis omnibus. Hoc tempore quum Saraceni Siciliam inuasissent, Sergius pontifex Ludouicum II. est hortatus ad occurrendum. Ille rem in Michaëlem reiecit, eius esse ditionis dicēs. Michael verò Veneris amicis persuasit, vt classem auxilio mitterent. Perijt morbo dysenteria, quum imperasset annos nouem. *Volaterranus lib. 23.*

AMoriū Phrygiæ superioris oppidulū dedit hūc principē nō humili solùm, sed sordido etiā loco natū: ad quæ impietas quoq; accesserat ex hæresi Iudæorū, atq; Thinganorum hausta: Linguæ præterea vitio balbutiētē, vnde Græci τραυλὸν appellauêre. Hic post interfectum Leonē, à quo ad tātā fortunā euectus erat, Thomā, qui Tyrannidē inuaserat, vario primùm rerum euentu, tādem oppressit: defectionisq; socios cū ipso Thoma sustulit. Saraceni hoc principe ex Africa profecti, Cretam insulam occupant, totamq; ferè in ditionē redigūt, Græcosq; duplici prælio vincūt. Ipse princeps cùm annos VIII. menses IX. imperasset, Theophilo filio per manus Imperiū tradidit. Vetus oraculū innotuit, tum rem Romanam in lapsum præcipitem ruituram, cùm balbus & auarissimus princeps imperaret, qualis hic vir fuit. *Egnatius.*

MIchaël Thraulus, id est, Balbus: nàm lingua fuerat balbutienti, præterea è Phrygia superiore non humili solùm loco, sed etiam sordido oriundus, atq; Iudæorum regionis illius secta contaminatus, interfecto Leone, à quo ad maximos honores euectus fuerat, & filijs in exilium missis, imperiū inuadit. Thomā, qui exercitui Oriētis præerat, rebellātem tandē oppressit,

defectionisque socios cum ipso Thoma sustulit. Saracenos, Cretam inuadentes vicit. Auersus clericis ac monachis omnibus, ventris profluuio extinguitur, anno imperij nono. Vetus oraculum innotuit, *tum rem Romanam ruituram, cùm & balbus & auarissimus princeps imperaret.* *Appendix Sex. Aurelij Victoris.*

THEOPHILVS MICH. F.

THEOPHILVS Imperator Romanorũ, Michaëlis Amorrhæi filius, Michaëlis pater; in id Dei odium & amentiam incidit, vt odiosam Copronymi & detestandam sectam susceperit & renouarit; nec vlla re inferiorem se impietate illius & væcordia & tyrannide & furore præbuerit; homo vecors & delirus. Ea igitur impiorum illorum & sicariorum fraude ac stupore implicatus, qui à Manichæa insania & Ariana rabie propagati sunt, persecutionem & ipse eodem modo contra Ecclesiã instituit, alter Nectenabo: collega & adiutore, & conscio patriarcha Ioanne, vel potius mantiarcha aut dæmoniarcha; nouo omnino Apollonio aut Balaamo nostris temporibus exorto, lecanomãte, & omnis inuisæ Deo actionis, præstigiarum omnium acri ministro. A quo literas etiam edoctus homo infelix atq; instabilis, probatus odiosissimarum rerum minister, & idoneum diaboli instrumẽtum extitit: quos iure diuinus sermo exsecratur cũ querimonia dicens: Væ ipsis: quia viam Caini sunt ingressi, & errore mercedis Balaami sunt effusi; & adaccusatione Coræ perierunt. *Suidas.*

THEO-

THEOPHILVS vnà cum patre Michaele imperauit annis septem. Is Theodosius pro Theophilo male à scriptoribus nostris recentioribus scribitur. Fuit à patre missus cum Venetis contra Saracenos, qui paulò antè duce Saba Siciliam occupauerant, indeque per Bonifaciũ Corsicæ Comitem in Africa eos oppugnãtem auertit. Verùm breui pòst tempore, eandem maiore vi repetiere. Indeque Crotoniẽat finũ in Italia ceperunt. Hic igitur pugnatum à nostris infeliciter. Venetorum naues LX. periere. Ex quo illi victores per mare superum debacchantes, Illyricum omne vastauerunt, Ragusiũmque (vbi & Venetæ quasdam merciũ naues) postremò Anconam inuaserunt, indeq; per Nicephorum Basilij Imperatoris præfectũ repulsi, maiores instaurãt vires, ac ad mare inferum deflectentes, Ostiam vsque adplicuere. Inde Romam petentes, basilicas incommodo adfecerunt. A Leone IIII. demum repressi, vt rursus alibi dixi. Theophilus igitur ex pugna Crotoniate malè re gesta, domum reuertit. Nec multò pòst ex animi dolore decessit, superstite filio Michaele, anno Imperij XII. Bonus aliòquin est habitus princeps. *Volaterranus lib. 23.*

MAior iustitiæ cultus in Theophilo filio: quippe qui facillimum sese statis diebus adeũtibus exhiberet. & ad seueritatẽ interdum propẽsior, acriùs delicta puniret: sed par impietas, vt qui diuorum imagines ex paterna æmulatione auersatus, non paucos, qui eas colerent, ad mortẽ vsq; cædĩ iusserit. Saracenis Asię prouincias vastãtibus bis congressus, bis victus est, castrisque exutus. Quinetiam Amoriam, vnde

illi genus, ab illis obſeſſum, & proditione captum diripitur Cumq; annos duodecim rebus præfuiſſet, dyſenteriæ morbo periit. *Egnatius.*

THeophilus Michaëlis Balbi filius, poſt patrem, cum quo ſeptē annis imperauit Conſtantinopolit. pręficitur imperio. Hic erga ſubditos æquum ſe ac iuſtum præſtitit. Diuorum imagines execratus, non paucos qui eas colerent, ad mortem vſque cædi iuſſit. Cum Saracenis, Aſiæ prouincias vaſtantibus, bis cōgreſſus, bis victus eſt, caſtriſque exutus. Quinetiam Amorium, vnde illi genus, ab iis obſeſſum & proditione captum diripitur. Tandem cùm rebus XII. annis præfuiſſet, dyſenteriæ morbo periit, ſuperſtite filio Michaële. Bonus alioqui habitus eſt princeps. *Appendix Sex. Aurelij Victoris.*

MICHAEL F. THEOPHILI, CVM MATRE THEODORA, & Baſilio Macedone.



MICHAEL cum matre Theodora XI. Solus verò, XIII. annos imperauit. Legatos Romam miſit, Nicolaū primum pontificem & apoſtolorū Baſilicas ſalutatum cum ingentis ponderis aureo calice. Baſilium Macedonem, virum ſtrenuum, conſortem Imperij ſibi adſciuit: à quo mox (vt ſolus potiretur) interfectus eſt. *Volaterranus lib. 23.*

FEcit irenes Conſtantini matris adminiſtratio, vt fœminei nō peniteret Imperij. Quare Theophilo vita functo, Michaele filio adhuc infante,

infante, & ſub tutela matris, ac principum virorum relicto, Bulgari (Scythicum genus) pietatem noſtram populariter ſunt amplexi, cùm Theodora genitrix rebus adhuc præeſſet. Verùm impotentiam muliebrem quis æquo animo ferat, vbi præſertim impietatem afferat? Nam & illa diuorum imagines execrata eſt. Cæterùm impietatis pœnas mox dedit à filio monaſterio incluſa: qui auo ſimilior quàm patri, per ſummam ignauiam, ac prodigalitatem rem afflixit: à Saracenis etiam caſtris exutus, nec minore inſania Circenſibus ludis oblectatus eſt: quibus dum plus genio indulget, Baſilium Macedonem Barda interfecto, conſortem imperij aſciuit: à quo mox occiſus eſt Imperij anno XIII. quorum treis cum matre egerat. *Egnatius.*

MIchaël Theophili filius, ſub matris Theodoræ, ac principum virorum tutela, quæ pro eo imperium Conſtantinopolitanum adminiſtrauit, adhuc infans patri ſuccedit. Legatos, vt primùm imperij regimen aſſecutus eſt, ceſſitque ei mater, Romam miſit Nicolaum I. Pont. Romanum & Apoſtolorum Baſilicas ſalutatum, cum ingentis ponderis aureo calice. Hic auo quàm patri ſimilior, per ſummam ignauiam & prodigalitatem rem afflixit: irruentibus multis bellis, à curſu equorum, in quem omne ſtudium collocârat, auocari non potuit. Matrem, quòd Diuorum imagines execraretur, monaſterio incluſit. Baſilium Macedonem, Barda interfecto, dum ludis Circenſibus cum maxima inſania indulget, conſortẽ imperij ſibi adſciuit, à quo mox occiſus eſt.

anno imperij XII. quorũ treis cũ matre egerat. Bulgari, Scythicũ genus, cùm Theodora rebus adhuc præesset, pietatem nostram populariter amplexi sunt. *Appendix Sex. Aurel. Victoris.*

BASILIVS MACEDO, INVASOR IMPERII.

BASILIVS MACEDO annos XI. Orientis imperio præfuit, quo tempore Ludouicus II. Occidentis. Hic annuente Hadriano II. pontifice, synodum Cõstantinopoli pro Bulgaris tunc factis Christianis celebrauit: vbi post lõgam cõtentionem decretum, vt illi pontificis Romani auctoritatem sequerentur. Per Nicephorum Phocam Saracenos ex Ancona Dalmatiaq; fugauit, vti supra narraui. Post hæc Hecmam Tarsi almiratus, cum triginta nauigijs (quæ Saracenica vocant) ac paucis armatis ad Eurypum vsq; Constantinopolitanum ausus accedere, turpiter etiam fugatur. Erat Basilius vir frugi, victitabat ex ruris vectigali. *Volaterranus lib. 23.*

QVis crederet & hũc captiuum inter venales Cõstantinopolim adductum. Romanę rei præfuisse, qui nec patriam, nec parentes saltem scire posset? præfuit tamen & eo rerũ successu, vt ad eius nepotes imperij maiestas transierit. Primùm igitur adepto Imperio profusissimas Michaëlis largitiones reuocauit. vt dimidium eorum, quæ accepissent, ærario inferrent; & treis liberos Imperij hæredes instituit. inde in Saracenos, qui Cretam occuparãt, profectus, ab

ab his nauali prælio ſuperatur: quos tamē alieno ductu poſt vicit. Hoc imperante, Saraceni ex Africa ſoluentes, cùm Italiam magna ex parte vaſtaſſent, Dalmatiam quoque populati ſunt, Rhaguſio etiam capto, quos tamen Nicephori Phocæ ductu, inde poſt eiecit, Bario in ditionem ſuam redacto, tametſi Veneti vna atque altera expeditione rem Chriſtianam iuuiſſent. Cæterum cum annos XX. imperaſſet a ceruo in venatione cornu ictus, mox periit. Vir frugi, & quem principem non contemnas. *Egnatius.*

BAſilius Macedo, qui Michaelem occidit, eo tempore Orientis imperio præeſt, quo Ludouicus II. Occidentis. Adepto imperio profuſiſſimas Michaelis largitiones ita reuocauit, vt dimidium earum quæ accepiſſent ærario inferret Annuente Adriano II. Pont. Synodum Conſtantinopoli pro Bulgaris factis Chriſtianis celebrauit, vbi poſt longam contentionem decretum vt illi pontificis Rom. autoritatem ſequerentur. Per Nicephorum Phocam Saracenos ex Ancona Dalmatiaque fugauit. Erat vir frugi, victitabat ex ruris vectigali. Decedens ex morbo, imperij anno XX. duobus filijs reliquit imperium Leoni & Alexandro. *Appendix Sex. Aurelij Victoris.*

LEO F. BASILII MACEDONIS.

DEcedens poſtremò ex morbo, duobus reliquit liberis Imperium LEONI & ALEXANDRO. Leo V. contra Turcas, qui Bulgaros oppugnabant, dum auxi-

lio venit, malè rem per Simonem legatum gessit. Cum Saracenis item (qui Lesbum occupauerant) conflixit. Decedens, fratri Alexandro reliquit imperium, filium paruum Constantinum ei commendans: quem paulò ante per Euthymum patriarcham diademate redimiuerat. Duas habuit coniuges, Theophaniam (cuius nomini templum dicauit:) alteram Zoën. Construxit & Lazaro templum aliud, eo corpore ipsius translato. *Volaterranus lib* 23.

Constantino filio maximo natu (viuente adhuc patre) vita functo, Leo, cognomento Philosophus, frater successit: qui Bulgaros desciscentes, Turcarum auxilio primò vicit. Verùm ab his per inanes inducias delusus magna clade afficitur. inde in Saracenos classe comparata, Nicetę ductu egregiam victoriam peperit. literarum omnium, & astrologię in primis eruditus, & qui filium Constãtinum imperaturum diuinaret. Tandem post annos V. & XX. menses treis alui doloribus fatigatus, Alexandro fratri Imperium per manus tradidit, cui filium commendauit. *Egnatius*.

Leo Basilij Macedonis filius, dum Bulgaris, qui à Turcis oppugnabantur, auxilio venit, malè rem per Simonem legatum gerit. Cum Saracenis item, Lesbum occupantibus, conflixit. Philosophus fuit, omnium literarũ, Astrologiæ in primis, studiosus, qua etiã filium Constantinum imperaturum prædixit. Decedens fratri Alexandro reliquit imperium, filium paruum Constantinum ei commẽdans, quem paulo ante per Euthymum Patriarcham diademate redimiuerat. Duas habuit vxores, Theophaniam,

phaniam, cuius nomini templum dicauit, alteram Zoén. Cõstruxit D. Lazaro templum aliud, eò corpore ipsius translato. Hic vt vigilum, siue custodiarum vrbis fidem experiretur, noctu solus è regia mutato habitu atque vestitu [illegible] prorupit: a primis custodibus numerata pecunia se liberat: ab aliis vero pugnis flagrisque cæsus, in carcerem detruditur. Hos muneribus donat, illos bonis exutos expellit. Hoc tempore Dalmatę facta regni diuisione vnà cum Sclauis Christianorum fidem amplectuntur. *Appendix Sex. Aurely Victoris.*

ALEXANDER Fr. LEONIS.



ALEXANDER igitur XX annorũ iuuenis singulari desidia, rebus cæteris omissis, tantum venationi, equis, canibus supellectilique lautæ ac luxui vacabat. Extinctus est sanguine e naribus erumpente ob saturitatem post cœnam. Dimissa fratris filio Constantino imperij successione, regnarũt ambo fratres annis XXVII. *Volaterranus lib. 23.*

NEc Basilio patri, nec Leoni fratri similis Alexãder successit, vir luxu & ignauia perditus, annum & mensem rerum potitus. Qui cùm nec ipse rectè administraret Imperium, & ignobilissimum quenq; ac turpissimum rebus præficeret, erumpente naribus sanguine extinctus est. *Egnatius.*

ALexander viginti annos natus, nec Basilio patri, nec Leoni fratri similis, imperio Cõnstantinop. præficitur, vir luxu & ignauia

perditus, rebus imperio pernecessariis omissis tantum venationi equis, canibus supellectilique lautæ vacabat, perditissimum quenque ac profligatissimum ad honores prouehebat. Extinctus est sanguine è naribus & pudendis, ob crapulam erumpente dimisso fratris filio Constantino imperij successore postquam imperasset annum vnum & mensem. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

CONSTANTINVS F. LEONIS CVM SOCERO, Romano Lecapeno.

CONSTANTINVS, VII. Leonis filius puer, post mortem patris, vna cùm Alexandro patruo biēnio: solus vero, XXXIX. rexit imperium: aliquandiu etiam sub Zoes matris, tutela quam postea in coniuratione deprehensam ab se amouit. Romanum Lecapenum (cuius filiam Helenam in matrimonium duxerat) imperij socium sibi adsciuit. Quapropter Nicolaus patriarcha ambos diademate cinxit. Vicit coniurationem Leonis Phocæ domestici Scholanorū, quem cōtra Bulgaros cum exercitu miserat. Præterea Sinibaticum Protospatharium in Italiam cum alio exercitu misit, qui Beneuentum, à Longobardis XXX. annis possessum, tertio obsidionis mense, in potestatem recepit. Sed anno post tertio ab eis iterum capitur. Constantinus inde in dissidium cum Romano venit eumque in exilium misit, vbi etiam, ... eius Christophorus (quem

Cæsarem fecerat, simul cum nepotibus fratribusq; absumptus est. Hoc tempore Turcæ excursiones fecere: quorũ dux Bulosides a Constantino ad Christi religionem est plane deductus, simul & patricius factus & diuitiis auctus. Haud multo post dux alter Gylas Cõstantinopolim veniens, eandem retulit fidem ac titulos, simul & Hierotheum præsulem suæ genti secũ duxit. Cuiusdam etiã Roxolanorum ducis (qui aduersus venerat) vxor, extincto viro, Christiana est facta. Constantinus post hæc decessit, superstite Romano filio, quem antea diademate redimiuit, eique vxorem Galliç regis filiam tradidit. *Volaterranus lib. 23.*

SEptennem hũc pater Leo sub tutela matris, & nobilium quorundã reliquit: quorũ diligẽtia Andronicus Ducas tyrãnidis inuasor oppressus est. Inde Bulgaris Thraciam vastãtibus bellũ indictũ: quod fœliciter sane Phocæ ductu successerat, nisi casu quodam cõsternati milites iam victores in fugã cõuersi fuissent. Eadẽ quoque fortuna alterius in Bulgaros expeditionis fuit ducum discordiâ, & ambitione: vt & Constãtinopolis a Bulgaro hoste sit obsessa, & Romanus Lecapenus Zoë Constantini matre prius eiecta, Imperij socius adscitus à Constãtino necessario fit, qui Helenã eius filiã in vxorẽ etiam duxit. Cæterum Romano in exiliũ pulso, Christophoroq; eius filio cũ tota Lecapenorũ gente extincto, ipse rem imperij per annos vndequadraginta satis prudẽter administrauit. Beneuẽtõ de Langobardis expugnato, & tyrannis quibusdã oppressis, Turcarũq; principibus aliquot Christiana pietate imbutis. Hic à literis, opti-

miſq; diſciplinis nõ abhorrẽs, quas penè extin-
ctas ab interitu vindicauit, librũ Romano filio
reliquit, in quo ſummã totius Imperii, ſociorũ
omniũ fœdera, hoſtiũ vires, rationes, cõſilia ex-
plicuit, quẽ nos in Bibliotheca noſtra tanquam
theſaurum ſeruamus, in quo multa de Venetis
etiam noſtris Imperator ipſe diſſerit. *Egnatius.*

Conſtantinus Leonis Baſilii filius, ſeptẽnis
a patre ſub matris & quorundam nobiliũ
tutela relictus (quorũ opera, Andronico Du-
cas tyrannidis [illegible] oppreſſus eſt) poſt Ale-
xãdrum patruum Cõſtãtinopoli imperat. Hic
Romano vtrique in exilium pulſo, Chriſtopho-
roq; filio eius cum tota Lecapenorum gẽte ex-
tincto, rem imperii per annos vndequadraginta
ſolus ſatis prudẽter adminiſtrat, Beneuẽto Lõ-
gobardis extorto, & tyrannis quibuſdã oppreſ-
ſis Turcarumq; principibus Chriſtiana pietate
imbutis. Hic literis optimisq; diſciplinis nõ
alienus, quas penè extinctas ab interitu vindi-
cauit librũ Romano filio reliquit, in quo toti
imperii ſummã, ſociorũ fœdera, hoſtiũ vires, ra-
tiones & cõſilia explicuit. quẽ Veneti in Biblio
theca, vt theſaurũ, adſeruãt. Nã & multa de eo-
rum rebus diſſerit. *Appendix S. Aurel. Victoris.*

De Romano Lecapeno.

NOn iuſiurandum ſanctiſſimũ, quod præſti-
terat, nõ gener Conſtantinus obſtitit quò
minus Imperium & ſibi, & Chriſtophoro filio
Romanus vindicaret Conſtantinumq; penè in
ordinẽ redigeret. Is vero cum Bulgaricũ bellũ
contra Simeonẽ eorũ ducẽ infeliciter geſſiſſet,
& ſextũ ac vigeſimũ annũ præfuiſſet, tandem à
Stephano filio captus, inſulę includitur. mox &

eius

... filij a Cõst... ... comprehensi, alter in Proconesum, in Lesbum alter relegatur. *Egnatius.*

ROmanus Lecapenus obscuro genere natus, non obstante sanctissimo iuramẽto, quod præstiterat, quo imperiũ sibi & Christophoro filio vindicaret, Constantinum generum imperio deturbare & in ordinem redigere conatus, cùm Bulgaricum bellum infeliciter gessisset & sextum ac vigesimum annum imperio præfuisset, a Stephano filio captus, imperio exuitur & insulæ includitur. Mox eius filij à Cõstantino comprehensi (cum idem in Constantinum quod in patrẽ molirentur, in foueã, quã fecerãt, incidũt) alter in Proconessum, in Lesbũ alter relegatur. *Appendix Sex. Aurel. Victoris.*

ROMANVS IVNIOR F. CONSTANTINI.

ROMANVS Iunior appellatus, nepos senioris ex filia: qui cũ Constantino patre rexerat Imperium. Vir omniũ ignauissimus fuit, vino deditus ac ocio, insuper crudelissimus: ... imq; voluptarios homines infamesq; circa se habebat, cura imperij cuidam Iosepho Bringæ præfecto tradita. Ingeniosus alioquin ac solers, vbi animum adplicaret. Matrem Helenam ab se abiecit. Sorores itẽ, ... q; imperialibus adẽptis, in cœnobio relegauit. Ille ob dolorẽ sese impudicitiæ tradiderũt: Mater verò paulo pòst in luctu & ęrumnis decedẽs, filiũ est diris imprecationib⁹ execrata. Hoc etiã tẽpore Chameda Turca Asiã vastabat, cõtra quẽ miss⁹ Nicephorus Phocas. Perijt Romanus anno Im-

perij XIII. ex veneno (vt putatur) Basilio ac Constantino filijs superstitibus, paruis ac successoribus cum matre Theophania, quam Annam cognominabāt. Cuius iussu Nicephorus è Turcis victor ex Syria vrbem ingressus est, Iosepho reclamāte, qui statuerat vti per insidias de medio tolleretur. Ille deprensis literis questus iniurias apud populum, meritaq; in rempublicam recensens, effecit vti imperator crearetur. *Volaterranus lib. 23.*

VIr omniū ignauissimus, luxuq; ac otio perditus post Cōstantinū patrē imperiū suscepit Romanus nomine: quod tamē alieno arbitrio rexit, ingenio alioqui nō malo, sed interdū solerti, vbi animū adiecisset: foris aduersus Saracenos, qui Cretā occupabāt, Nicephori ductu, & aduersus Turcas Asiā vastantes eiusdē Nicephori & Leonis fratris imperio felix. Domi in matrē, ac sorores impius vt regia eiectæ, quæstū meretriciū sint amplexæ: ipse ludis ac crapulæ intetus, post tertiumdecimum Imperij annum obijt veneno etiam potionatus. *Egnatius.*

ROmanus Constātini filius, Iunior appellatus, senioris ex filia nepos, luxu ac otio perditus, vir omniū ignauissimus, post patre imperio suffectus, imperij curā cuidā Iosepho Bringę præfecto tradidit: ingeniosus alioqui ac solers, vbi animū adplicaret. Saracenos Creta expulit: Turcas, Asiā vastātes, Nicephori Phocæ ductu, vicit. Matrē Helenā ab se abiecit. Sorores vestitu regio exutas, regia eiecit: illæ ob dolorē quęstum inde fecerunt meretricium: ipse ludis ac crapulæ deditus imperij anno decimotertio, veneno extinctus est. *Appendix Sexti Aurelij Victoris.*

NICE-

NICEPHORVS INVASOR IMPERII.



NICEPHORVS igitur statim Annā simul cū Ioſepho expellit. Illa in cœnobio relegata, biennio tātum poſtea vixit. Hic autē Nicephori Phocæ nepos fuit, ille quē à Baſilio (vti ſuprà narraui) miſſus cū claſſe contra Saracenos in Sicilia irruentes. Vir æqui ſeruantiſſimus ac pius. Quumque eos repreſſiſſet, paulò poſt reuerſi, & Siciliam, & Calabriæ magnā partem occuparunt. Hic igitur Nicephorus, quum minime poſſe reſiſtere videret, Euſtathio Calabriæ duci ei ſubiecto mandat, vti fœdus annui cenſus conditione cum Saracenis ineat. At quū poſt hunc, Ioannē patricium Muzalona, ducē item Calabriæ, interfeciſſent, Imperator Coſmum patricium cū exercitu miſit: qui cum Pandulpho partem Calabriæ tenente conuenit, vti de communi ſententia reſiſteret, ac partes Conſtantinopolitani ſequeretur. Pax poſt hæc in Italia ſubſecuta nō diu durauit, iterum atque iterum tumultuante Saraceno, Imperatore autem diuerſos ſemper duces ad reſiſtendum mittente. Qui tandem coniuratione Ioānis Zimiſces in palatio interfectus eſt, quod quidam paulò antè libello tradito (vbi ſcriptū erat, vti inſidias nocte ſequenti caueret) dicitur nuntiaſſe, ac ille legere neglexiſſe. Imperauit annos X. Antea enim per factionem pulſus, ac deinde ab Othone II. primo Othonis filio adoleſcente, iubente patre reſtitutus eſt, inſuper & ſororem ei ſuam matrimonio collocauit. *Volaterranus lib.23.*

Nobilissimus haud dubie Romano successit Nicephorus cognomento Phocas, Phocæ Nicephori nepos, qui in Sicilia contra Saracenos res egregias gesserat. Simul ac igitur adeptus Imperium est, classem in Saracenos occupantes Siciliam instruit: ipse in eosdem Asiam vastantes exercitum ducit. In Sicilia res infeliciter per duces acta; ipse Ciliciam & magnam Asiæ partem lætis auspiciis recepit: mox Antiochiam noctu aggressus, pulsis Saracenis, Imperio subdidit. Sed quam bellica re fortunatus, tam domi infelix, dum auaritiæ, socordiæque sese emancipat. Ex quo in odium ciuium incurrens, facile a Ioanne Zimisce, adiuuante Theophania Nicephori vxore, noctu intra cubile interficitur, cum rerum potitus esset annos sex, menses totidem. *Egnatius.*

Nicephorus Phocas post Romanum Iuniorem imperium adeptus, classem in Saracenos Siciliam occupantes instruit: ipse in eosdem Asiam deprædantes exercitum ducit. In Sicilia res per duces acta haud bene cessit: ipse Ciliciam & magnam Asiæ partem lætis auspiciis recepit: mox Antiochiam noctu aggressus, pulsis Saracenis, imperio subdidit. Bellorum prętextu, cum nouis tributis & exactionibus populum & ecclesias expilaret, numismata adulteraret, ac pondus imminueret, odiosus omnibus à Ioanne Zimisce noctu dormiens in cubili occiditur, intromittente etiam sicarios Theophania Nicephori vxore. Imperauit annos X vel (vt Egnatius scribit) annos sex, menses totidem. *Appendix Sex. Aurel. Victoris.*

IOAN.

IOANNES ZIMISCES, INVASOR IMPERII.

IOANNES Z[illegible]ISCES imperauit annos [illegible] vna cum Basilio & Constantino pueris Romani filiis, quorum sororem Theodoram in matrimonium duxerat. Hic antea magister scholarum Orientis fuerat a Nicephoro contra Saracenos in Siciliam missus: cum Barbaris diuersa bella gessit, postquam fuit Imperator. Vnum tamen gloriosissimum contra Roxolanos, qui omnem fere Bulgariam occupauerant, nec pactis stabant quibus cum Nicephoro conuenerant. Itaq; Sphendosthlauum eorum ducem (qui sibi Pazinacas & Turcas adsciuerat) cum toto exercitu cecidit. trophaaq; in templum Constantinopolim retulit, & in nummis seruatoris imagine percussit hac inscriptione Iesus Christus rex regum: quod postea Græci seruauerunt. *Volaterranus lib. 23.*

CLarus hic iam antea militari laude Imperium assecutus, Basilium & Constantinum fratres Romani iunioris filios, Imperij cōsortes adsciscit: in Rhoxolanos Bulgariā sibi vendicātes felicissime rem gerit: Phocā Nicephorū rebellātē capit: indeq; Bulgariā omnē Imperio adiecit, eiectis inde Rhoxolanis Sphēdoslauoq; eorum rege ad deditionem coacto: mox Constantinopolim reuersus, cum [illegible] triumphantis specie inuectus vrbi esset, [illegible] natus post Imperij annum sextum, & menses sex de[illegible] fuit. *Egnatius*

IOannes Z[illegible]isces Nicephoro Phoca interfecto, imperium assecutus, omnes Nicephori

necessarios è medio sustulit, & damnatos ab eodem exilio reuocauit. Basilium & Constantinu fratres, Romani Iunioris supradicti filios Cæsares fecit & imperij cōsortes adsciuit. Sphendoslanum Roxolanorum regem, qui Bulgariā ferè omnē occupauerat, cum exercitu toto cæcidit. Trophaeaq; in templum Constantinopolitanum retulit, & in nummis Christi Seruatoris imaginē percussit cum hac inscriptione: *Iesus Christus rex regum.* Quod iustè Græci ferunt, ueneno sublatus anno imperij sexto. *Appendix Sex. Aurel. Victoris.*

BASILIVS ET CONSTANTINVS FRATRES, ROMANI IVNIORIS FF.

BASILIVS & CONSTANTINVS fratres (Romani filij) ē post Ioānem tenuere annos LIII. Othonis II. Cæsaris tēpore. quem bello apud Apuliam (quam ipsi ceperant) superatum, turpi fuga discedere compulerūt. Basili⁹ in primis annos quinquaginta solus potitus, Bardam Sclerum (vnū ex suis ducibus) rebellantem in potestatem redactum exoculauit. Bulgaros deīde quotidie tumultuātes magnis ac pluribus prælijs tandem superauit vnà cum Samuele eorū duce, ac XV. millibus ex eis captis oculos effodit, vno tantum incolumi relicto qui cęteros ad Samuelem eorum ducem perduceret, qui fœdo spectaculo dicitur tertio post die ex animi dolore perijsse. *Volaterranus lib. 23.*

Nulli

NVlli diuturnius rerum potiti, quippe qui annos LIII. præfuerint & ne sine ciuili bello rem transigerent, Bardæ Scleri ambitio fecit: quem rebellatorem Imperij tandem acie victum ad Persas fugere compulere. nec multo post Phocas Barda cognomento ab exilio reuocatus, indignatusque post rem præclare aduersus Sclerum se duce nauatam, ab imperatoribus contemni, defecit: quem & ipsum cæsum in acie superarunt. inde in Bulgaros itum, quos prælijs aliquot victos ad deditionem tandem totius gentis Basilius compulit, vlus ad compescēdam eorum perfidiam grauiore in victos pœna. Nam XV. millibus eorum captis oculos eludit, vno tātum incolumi, qui eis ad Samuelem eorum ducem præiret. Quare dolore animi Samuel affectus, non multo post obiit. Bulgaria igitur omni subacta, & imperij terminis vndique amplíatis, post LXX. & alterum vitæ annum decedens, Constantinum fratrem successorem reliquit. *Egnatius.*

COnstantinus & Basilius fratres Romani Iunioris filij, rem post Ioannem tenuere annos LIII. Othonis II. tempore. Basilius in primis annos quinquaginta solus potitus, Bardā Sclerum vnum è Ducibus rebellantem, in potestatem redactum, oculis priuauit. Bulgaros deinde quotidie tumultuantes, magnis ac pluribus prælijs tandem superauit, vna cum Samuele eorum duce. Ac quindecim millibus ex eis captis oculos effodit, vno incolumi relicto, qui cæteros ad Samuelem eorum Ducē præiret. Ob id Samuel non multò post animi dolore confectus, perijt. Ampliatis imperij terminis,

Basilius post LXXII vitæ anni decedens, cum imperasset LII. annos Constantinum fratrem imperij successorem reliquit. *Appendix S. Audomi Victoris.*

CONSTANTINVS SOLVS.



CONSTANTINVS triennio tantum post fratrem imperauit. Vir omnino ignauissimus, Imperij totius cura alijs delegata: inter quos Diogenem (qui Sirmio præerat) Bulgariæ ducem constituit, ad compescendos præterea Pazinacas, qui excursiones quotidie in Bulgaros faciebant. Decessit ex morbo, relictis tribus tantum filiabus. Eudochia, Theodora & Zoe. quam Romano Argyropylo patricio (qui sibi successit) matrimonio locauit. *Volaterranus lib. 23.*

HIc cum fratre particeps dignitatis potius, quam potētiæ post fratrē per summā ignauiam & luxuriā ita se gessit, vti obscurissimis & barbaris hominibus rem totā traderet. Illud eo principe dignū laude gestū, quòd Diogenes, qui Syrmio & Bulgariæ præerat, Patzinacas Istrum superantes vicit. Decessit tertio Imperij anno septuagenarius, Zoe filia Romano Argyropylo in vxorem collocata. *Egnatius.*

COnstātinus triennio tātum post fratrē imperauit, vir omnino ignauissimus, imperij totius cura alijs demādata. Decessit septuagenarius, relictis filiab⁹ Eudochia. Theodora & Zoë, quā Romano Argyropylo patricio, qui sibi successit,

cessit, matrimonio locauit. Circa hæc tempora Hēricus Burgundiæ dux cum liberos nullos haberet, Ducatū suum regi Gallorum moriens testamento legat. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

ZOE filia, & ROMANVS ARGYROPYLVS eius maritus.

ROMANVS ARGYROPYLVS siue ARGYRVS imperauit annos quinque, menses sex. *Volaterranus lib. [illegible]*

HVnc Zoë filiæ Constantinus, virum omnium nobilissimum, qui imperij hæres esset, delegerat, optima de eo omnium spe: quam sub initia nequaquã frustratus est, cum multa in melius mutarit, summa etiã liberalitate in omnes vsus. Verum cùm Saracenica Asię expeditio parum ex sententia illi cessisset, repente mutatus, totum se ignauiæ, ac pecuniæ colligendæ tradidit: nec multò post Zoë vxoris insidiis & Michaelis Paphlagonis adulteri dolo, intra balneas aquis immersus obijt, cum annos quinq; & dimidium regnasset. *Egnatius.*

ROmanus Argyropylus, Constantini gener, Imperij hæres, multa in melius mutauit, summa liberalitate in omnes vsus. Verum cùm Saracenica Asiæ expeditio parum ex sententia cessisset, repente mutatus, totum se ignauiæ, ac auaritiæ tradit: nec multò post Zoë salacissimæ ac sterilis insidijs & Michaelis Paphlagonis adulteri dolo intra balneas aq. immersus obijt, cum annos quinque & dimidium imperasset. *Appendix Sex. Aurelij Victoris.*

ZOE ET MICHAEL PAPHLAGO, SECVNDVS eius maritus.

HVnc [Romanum] MICHAEL PAPHLAGO per coniurationem interfecit, ac Zoen eius cõiugem in matrimonium accepit: vir alioquin moribus lenis, ac fide orthodoxus, excepto tantum hoc parricidio, cuius etiam culpam in alios nonnulli referunt. Imperauit annos septem, menses VIII. *Volaterranus lib. 23.*

QVis non effrænem in quinquagenaria fœmina libidinem execretur? aut fortunæ ludum in hoc principe non admiretur? mancipium videlicet barbarum, nec vlla re nisi forma commendatum, mente etiam commotum, labensque ad singula momenta, spuma insuper oris fœda, septem tamen annos imperauit: nec malum omnino principem egit. Nam & tricennales inducias cum Ægyptio rege percussit, & Ædessam obsidione liberauit: & domi in suos facilis ac beneficus admodum fuit: Vni *Zoë* propter expertam libidinem parum æquus: qui cùm intercutis etiam morbo laborare cœpisset, Michaëlem Calaphatem heredem Imperij esse voluit. *Egnatius.*

MIchaël Paphlago Zoës adulter, quiq; eius virum Romanum Argyropylum e medio sustulerat ab eadẽ *Zoe* imperio pręficitur Cõstãtinopolitano. Mancipium fuit barbarũ nec vlla nisi forma commendatum, mente etiam

commotum, labensq; ad singula momēta, spuma insuper oris fœda. Quis non ostendem in quinquagenaria fœmina libidinem execretur? aut fortunæ ludum in hoc principe non admiretur? Asciuit sibi primum illi omnem imperij potestatem, Michaelē velut ministro vsa, sed non diu durauit hęc obsequij. nam Michael imperij habenas sibi retinuit, nec male rexit. Tricennales inducias cum Aegyptio rege percussit, Edessam obsidione liberauit: Domi in suos facilis, Zoæ propter expertam libidinem parum æquus fuit. Tandem intercutis morbo cum laborare cœpisset, Michaelem Calaphatem hæredem imperij esse voluit cum imperasset annos fere septem. *Appendix S. Aurelij Vict.*

ZOE ET MICHAEL CALAPHATES.


MICHAEL CALAPHATES eius consanguineus successit hac conditione, à Zoe (quæ hæres Imperij remāserat) factus Augustus: Vt illa veluti mater ab eo coleretur, pariterq; dominaretur: quod minime seruauit, haud multo post domo eiecta. At populus indignatus, (quum Zoen magnopere amaret) cum armis, domumq; circumsistunt. ille in concionem præfari conatus, saxis obruitur, fugiensq; tandem capitur, atq; oculis mulctatus, in exilium relegatur. *Volaterranus lib.23.*

HIc adoptatus à Zoe, præter sordes parentum, qui naues apud Paphlagonas pice oblinerēt, vnde Calaphates etiam dictus, auarè

ac crudeliter rem susceptam administrauit: ingratissimus enim in omnes patruum authorem tantæ maiestatis primùm eiecit: reliquos deinde consanguineos execuit: inde Zoen matrē in insulam relegauit: quod cum indignissime omnes ferrent, populi conspiratione restituta Zoe, fugiens cum fratre Constantino à turba capitur: & vtroque oculorum vsu, familiari Græcis pœna priuatur: mensibus quatuor & totidē dies rerum potitus. *Egnatius.*

MIchael Calaphates, ignobilissimus à Zoa adoptatus, cuius parentes apud Paphlagonas picem naues oblinirent, vnde & cognomē adeptus, consiliis dolosus, rei cuiuslibet simulator ac dissimulator, inuidus, iracundus, & ad quamlibet auram mobilis. Is Zoæ pedibus aduolutus sanctè iurat titulo tenus se imperaturum, potestatem totam penes eam mansuram. His blanditiis ad Constātinopolitanum imperium euectus, auare, perfide ac crudeliter rem susceptam administrat. Ingratissimus enim in omnes patruum, autorem maiestatis tantę, primum eiecit, reliquos deinde cōsanguineos sustulit, inde Zoen, fingens sibi ab ea structas insidias ac venenum positum, a quibus innocens erat, relegauit: ipse interim genio indulget. Id indignissime ferens plebs, Zoen ab exilio reuocatam, imperatricem creant. Michaelem fugientē capiunt, exoculant vna cum fratre Constantino, quæ familiaris Grecis pœna est. Menses quatuor & totidem dies rerum potitus est. *Appendix Sexti Aurelij Victoris.*

ZOE CVM THEODORA sorore & CONSTANTINO MONOMACHO marito.



OE [illegible] gratias populo [illegible] eiusque consensu imperio [illegible], adscita THEODORA sorore, ac tertio [illegible] CONSTANTINO MONOMACHO iungitur. Cuius ob ignauiam [illegible] bellum [illegible] cœperunt. Liberalis alioquin [illegible] in pauperes ac templa, cœnobium instituit, vbi senes [illegible]tur. Vexabatur podagra. [illegible] vna pestilentia eodem fere [illegible]. Imperauit annos XII. *Vol[illegible].*

FLagitia principum, vt mulie[illegible] imperium æquius videretur efficere. [illegible] duabus imperij fasces, ac [illegible] Cæterum vt varium ac mutabile semper est fœmina, facile Zoæ ardenti adhuc libidine persuasum, vt maritum asciisceret. Cumque aliquem [illegible]stidisset, Constantinum Monomachum ab exilio reuocatum, Imperatorij & ipsum [illegible]tis [illegible] sibi adiungit, & Imperatorem pronuntiat mensibus III vix exactis. *Egnatius.*

ZOe restituta & ab exilio reuocata gratia populo [illegible] consensu imperio præest [illegible] adscita Theodora sorore, ac [illegible] Constantino Monomacho ab exilio [illegible] quem Imperatorem [illegible] pronunciat mensibus tribus vix exactis. *[illegible] Sexti Aurelij Victoris.*

De Constantino Monomacho.

HInc prima Imperij labes, hinc reliquæ quæ consecuta sunt clades, ortum habuere: principe adeo ignauo, & libidine perdito, vt cõcubinam egregia alioqui forma, vxoris legitimæ loco habuerit, quam efflictim deperiret. Duplex illum factio sub initia Maniacis videlicet Georgij & Leonis Tornicij est aggressa: sed Maniacis motus, qui ex Italia in Epidrum transierat, vna pugna secunda & ducis morte facilè compressus. Torniciana defectio eo grauior, quo diuturnior: sed eo post aliquot prælia tandem capto & oculorum visu priuato, facile consedit. Hoc principe Turcarũ arma tũc primum per Asiam latius euagata: victi tamen interim Rhoxolani & Patzinacę Scythicum genus hominum. Zoeq́, vxore septuagenaria fato mox functa, & ipse tandem morbo prægrauante decessit post annos Imperij bissenos, & menses octonos. *Egnatius.*

COnstantinus Monomachus imperatorio stemmate ornatus, princeps ignauus & luxu totus diffluẽs, concubinam egregia alioqui forma, iustæ vxoris loco habuit, quam efflictim deperiit. Duo grauissima bella ciuilia sustinuit, alterum a Maniace Georgio, alterum à Leone Tornicio, illata: & multa externa. Turcarum arma per Asiam tunc latiùs euagata sunt: victi tamen sunt Roxolani & Patzinacæ, Scythicum genus hominũ. Hinc prima labes, hinc reliquæ quæ consecutæ sunt, clades ortum habuere, res pessum ob huius principis ignauiã ire cœpere. Demum ipse coniuxque vnà pestilentia eodem fere tempore interiere. Imperauit ann. XII. Liberalis

beralis in pauperes ac templa fuit Cœnobium instituit vbi senes aleeentur: vexabatur podâgra. *Appendix Sexti Aurelij Victoris.*

THEODORA CVM MICHAELE, BVLGARIÆ præfecto.

POst Constantinum & Zoen THEODORA senatu non cōsentiente, biennio rexit Imperium, ab Eunuchis amicis paternis, qui potentes erant cōfirmata, cùm senatus Nicephorum quendam qui Bulgariæ præerat Imperatorem elegisset. Hæc Isaacium Comnenum virum fortissimum exercitu præfecit. *Volaterranus lib. 23.*

NOn pudeat & Theodoram Zoes sororem quæ biennio vix imperitarit, nostris inserere commentariis: quandoquidem non muliebriter fœmina rebus præfuerit. Quinimo tanta domi, forisq; quies & otium fuit, tanta rerum omnium vbertas, vt fœminei Imperij neminē pœniteret. Verùm ingrauescente cum ætate morbo, illecebris eunuchorū Michaelem iam senem in curæ partem cùm adduxisset ipsa non multò post fatis natu æuiq; concessit. *Egnatius.*

THeodora Zoæ soror Senatu non consentiente, biennio rexit Imperium, ab Eunuchis amicis paternis, qui potentes erant confirmata, cùm Nicephorum quendam qui Bulgariç prçerat, Imperatorem Senatus elegisset. Hac imperatrice tanta domi forisq; quies & otium fuit, tanta rerum omnium vbertas, vt fœminei

imperij nomine [illegible] Verum ingrauescente cum ætate morbo [illegible] dicebris addu&ta, Michaelem iam senio confectum Imperij ac curæ participem fecit. *Append. S. Aurelij Victoris.*

MICHAEL SOLVS.

MICHAEL post Theodoram ab eisdem Eunuchis suffectus Imperio, tam senex hac conditione: vt titulo tenus Imperator esset illi vero administrator. Cumque Reipublicæ inutilis videretur, à Patriarcha senatuq; deiectus est. *Dilitteranus lib.23.*


VIx annum vnum rerum potitus erat, cùm Isacij Comneni motus in ordinem illum redegit, virum genere & opibus clarum, cætera minus ad imperandum idoneum, ætate etiam prægrauante: qui priuatus non multo post obierit. *E[illegible]na [illegible]*

MIchaël senior, vir genere & opibus clarus, & ad imperandum minus idoneus, ætate eum prægrauante, post Theodoram ab eisdem Eunuchis imperio preficitur hac conditione, vt titulo tenus imperator esset: illi vero administrarent. Cumq; Reip. inutilis videretur, à Patriarcha Senatuq, deiectus, in ordinem factione Comneni, cum vix annum rerum potitus esset, redactus est. Priuatus factus, nō multo post fatis ac naturæ concessit. *Appendix S. Aurelij Victoris.*



MAA-

ISAACIVS COMNENVS ex gente Comnena.



SAACIVS COMNENVS Imperator [illegible], biennio (nonnullis quadriennio) præfuit: qui bello fortior [illegible] reli-giosior [illegible] e du-bium: Paulo ante obitum [illegible] habitum sumpsit. Quinimo postremo ex renibus labora-ret, medicique iuberent remedia [illegible], constantissime renuit [illegible] & [illegible] vxore, a qua diu abstinuerat [illegible] prolem susce-ptam. Accusatus quod [illegible] in Michaelem Imperatorem vsus esset, [illegible] Reipublicæ causa fecisse iussum excusauit. *Volaterranus lib.23.*

TAndem virum fortem, & pace belloque il-lustrem, Constantinopolitana res sortita fuerat, Isaacium scil. Comnena gente nobili, si vltra bienniū sceptri regniq; potitus esset: verū ille lateris morbo inter venādū subito oppres-sus, cum de salute desperasset, cucullam mona-sticam indutus, regno se abdicat, Constantino [illegible] de Senatus, populiq; volūtate successore declarato. Sunt qui scribant tanta continentia eum fuisse, vti nec vxorem cognoscere vellet post prolem semel ex ea susceptam cum tamen ad morbi remedium medici in primis consule-rent, vt coitu frequentiore vteretur. *Egnatius*

ISaacius Comnenus gēte nobili [illegible] in ob-eundis negotiis expeditꝰ, fortis pace belloq; clarus [illegible], moribusq; arrogantioribus, post Michaelem in imperio præficitur, adiuuante Patriarcha, quem postea ingratus & accepti

beneficij immemor cum suis relegauit. Ipse vero dolore lateris morbo correptus, cum de salute desperaret, cucullam induit, ac imperio se abdicat. Accusatus quòd in Michaëlem tyrannide vsus esset, se Reip. causa id fecisse, dixit. Biennio & tribus mensibus imperio præfuit Constantinopolitano. *Append. ex S. Aurelij Vict.*

CONSTANTINVS DVCAS, DOMESTICVS Scholariorum.



ONSTANTINVS DVCAS, domesticus Scholanorũ, Andronici Ducæ filius, ex senatus auctoritate sine tumultu successit. Ex Eudocia vxore tres mares accepit; Michaëlem, Andronicum & Constãtium: Fœminas totidẽ, Annam, Theodorã, & Zoen. Is fratrem Cesarem fecit, consilio, & administrationi adhibuit. Moriẽs à populo sigillarium iuramentum exegit: Nullum Imperatorem, quàm filios facturum. Excessit e vita ætatis sexagesimo Imperij duodecimo. *Platina in lib. 23.*

ET hunc suorum conspiratio illo initio grauis exceperat: quam cum non sine discrimine compressisset, ad Reip. administrationem conuersus, non pessimum principem egit. Veræ pietatis cultor & æqui obseruãtissimus, sed auaritiæ studium prægrauabat: vnde inuisus suis, hostibus etiã ludibrio fuit, Imperij res vndiq; vexãtibus. Accessit ad externa mala familiaris Constantinopoli clades grauis terræ motus, quo templa ædesq; multa corruere: sed morbo ingualescente

[illegible] s [illegible] den [illegible] LX & amplius [illegible] excessit. [illegible]

CONstantinus Ducas Senatus populique consensu Isacij successor declaratus, conspirationem sub initia grauem excepit, quam non sine discrimine vitæ compressit. Tres ex Eudocia liberos suscipit, totidemque fœminas. Pietatem coluit, æquitatem obseruauit, Reip. prudenter satis præfuit, sed auaritiæ supra modum deditus, omnium sibi odium cōciliauit, hostibus imperij res vndique vexantibus ludibrio fuit. Ad externa mala Constatinopolis clades accessit, nempe grauis terræmotus quo templa ædesque multæ corruere. Excessit āno ætatis sexagesimo, imperij XII. vel vt alijs placet, VI. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

EVDOCIA, vidua Constantini, & ROMANVS DIOGENES eiusdem maritus.

EVDOCIA vxor superstes viro prudentissimo, vnà cum filijs paruis imperio successit: Cuius tempore Turcæ in Mesopotamia Cæsaream & Antiochiam, multaque loca Imperij vastabant. Quapropter senatus his periculis occurrere, ac Romanum Diogenis virum fortissimum principem deligere necessarium putauit, ac coniugem Eudociæ dare. Pater Diogenis Diogenes patricius, ordinib. præfuerat & ob seditionem in Sardinia exulauerat. Romanus igitur cū victoria contra Turcas esset.

[illegible] ia [illegible] re contumula-tus. Imperauit annis [illegible] menses octo. *Vola-terranus lib.* [illegible]

POter[illegible] mulebri pru-dentia non [illegible] administrari, si à bellis externis [illegible] [illegible] cibus [illegible] [illegible] ende-[illegible] quo marito mo-[illegible] non [illegible] inductur im-[illegible] rebus maritum [illegible] etiam co-[illegible] Romanum cognomento Diogenem filiis [illegible] non improbantibus, post menses VII. Imperij virum sibi adiunxit, qui Remp. pru-dentia ac fortitudine tueretur. *[illegible]*

EVdocia Cōstātini Ducæ v[illegible] cū filiis, nondum imperio maturi[illegible] succedit. Poterant fortassè res domesticæ [illegible] pru-dentia non incommode administrari, si foris cessassent bella. sed imminentibus vndiq; Bar-baris, & imperij multas [illegible] vastantibus, fortissimum principem [illegible] periculis oc-curreret, hostiumque [illegible] compesceret, & Remp. prudentia sua ac fortitudine tueretur, à Senatu populoq; deligere coacta Romanum cognomine Diogenem, post menses imperij se-ptem, filiis non improbantibus, virum sibi ad-iunxit. *Appendix S. Aurely Victoris.*

DE ROMANO DIOGENE.

HVic Diogenes pater fuerat, haud dubie do mi, militieq; clarus, qui postea tyrannidis

affectatæ

affectaret: seu [illegible] præcipitauit. Patrem igitur laudis [illegible] [illegible] gregiam [illegible] ex bello [illegible] habitus, qui in Eudociæ [illegible] acciperet (quam tamen non multo post [illegible] pœnituit, cum insolentiæ [illegible] quirem ad se totam traheret. Prior expeditio in Barbaros Asiam vastantes variis rerum successibus illi administrata. Altera funestissimo Romano milite vel fugato, vel cæso ipso certe Imperatore (quod ad eam diem nunquam contigerat) capto. Ferunt Azan Turcarum principe ad primum nuntium capti Imperatoris Rom. vix credentem constitisse: mox vbi se adductum & cognitũ in summo honore a barbaro habitũ, & amplis donatum muneribus, pace inita dimissum: sed Byzantij omnia ad primum cladis acceptæ nuntium mutata erant: ipsa Eudocia relegata: Romano abdicatum imperiũ: & Michael maximus Constantini filius rebus præpositus. Ipse Romanus cum bellum frustra pararet, tandem deditus præter iurisiurandi religionem, oculis immanem in modum prius effossis, deportatur in insulam: vbi non multò pòst decedens, ab Eudocia vxore sepelitur post annos tres, menses autem octo. *Egnatius.*

ROmanus Diogenes suscepto imperio, cum victoria cõtra Turcas esset potitus ac Rem publ. metu liberasset: a Senatu ꝙ imperij iure pupillos priuare videretur, captus, oculisq; priuatus in insulam relegatur. vbi ab Eudocia vxore sepelitur post imperij annos tres, menses, octo. Huius pater Patricius ordinibus præfuit, & ob seditionem in Sardiniam ad exulandum missus. *Appendix S. Aurel. Victor.*

MICHAEL PARAPINACEVS, CONSTANTINI Ducæ F.

MICHAEL PARAPINACEVS cognomento (Constantini Ducæ filius) surrogatus: administrandi regni, omnino imperitus, duobus Eunuchis rerum curam tradidit, Ioanni & Nicephoro, quem Nicephoram, probri gratia nonnulli vocabant. Erat enim natura seditiosus ac turbulentus, militia tamen clarus: quippe victoriam contra Turcas in Oriente clarissimam adsecutus est. *Volat. lib. 23.*

Ignauissimum principem numina nobis (vt arbitror) iamprudem infesta dedêre, quem à fame quæ sub eo inualuit, Parapinaceum appellauere. Cum igitur Imperij res pari ignauia, ac sæuitia vexarentur, principe sub Psello magistro versibus tantùm factitandis intento, Nicephorus Botoniates cognomento, haud dubie nobilissimus, Imperium sibi asseruit: quem in socordis principis inuidiam ciues facile admisere, Michaele priùs cum vxore & filio post sextum Imperij annum & menses sex cœnobio incluso. *Egnatius.*

Michael Constantini Ducæ filius, à fame, quę sub eo inualuit, Parapinaceus cognominatus, imperio surrogatus, ad administrandũ minimè aptus, duobus Eunuchis rerum cura tradita, studiis tantùm literarum & versib. factitandis vacabat. Quare præfecti, Turcis vndecunq; imminẽtibus, velut coacti, Nicephorum Botoniatem, qui originem à Nicephoro Phoca impera-

imperatore ducebat, imperatorem sibi delegerunt: quem in principiis ignaui quidam, & ciues Constantinop. admisere. Michaelem cum vxore & filio in monasterio detrusum, ac in monachum recepto. Imperauit annos sex. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

NICEPHORVS BOTONIATES.

Andem NICEPHORVS Botoniates cognomento, qui originem à Nicephoro Phoca Imperatore ducebat, vir maximus surrogatus est deiecto Michaele qui quod podagra vexabatur & studiis tantùm vacabat (nam Constantino Psello operam dedit summo tūc philosopho cuius adhuc opera extant) inutilis plane Reipublicę videbatur. Monachū egit, & in exilio vixit, quum imperasset annos sex. Interea ipse tamen cum filio Andronico ad Gregorium VII. pontificem confugit. Pontificis ergo adhortatione Rogerius Siciliæ rex auxilio cū classe venit: castrisq; apud Dyrrachium positis à Dominico Syluio duce Venetorum, (qui partes Nicephori tuebatur) repellitur. Verùm haud multo pòst Nicephorus ab Alexio Comneno (eius copiarum duce) deceptus, imperio deiicitur, vrbe a militibus direpta. Ipse in templo Sanctæ Sophiæ captus, vita donatur, hac conditione, vt monachum ageret, anno tertio postquam imperare cœperat. *Volaterranus lib. 23.*

A Phoca Imperatore stemma huic ductum: quare tanquam omnium nobilissimus Mi-

chaele facile reiecto futurorumque Comnenorum fratrum forti primum fideliq; opera vsus, quo Bryennium tyrannidis inuasorem, & Basilacium sustulerat, mox ab illis desertus, mediantibus Imperio deturbatur anno 1184 imperare cœperat: ipse monasticam vitam secutus. Alexius autem Comnenus minor natu, militari turbæ acceptior, Imperator salutatur: qui Byzantium ingressus die dominicæ cœnæ sacratissimo magnæ hebdomadis, hostilem in modum vrbem totam diripuit, nullo non iniuriarum genere in ciues vsus. *Egnatius.*

NIcephorus in Michaelis locum cooptatus, Constantinum, Constantini Ducæ filium imperium sibi asserere contendentem captum totondit ac in sacerdotem inunxit. Verum haud multo post Nicephorus ab Alexio Comneno militib. acceptior, deceptus, imperio deiicitur, vrbe a militibus, ipso die paschæ direpta: & in arcem nobilium conijcitur, vbi aliquandiu vixit imperij anno tertio. His temporibus Gofridus Bullionius Lotharingiæ Dux expeditionem in Iudæam aduersus Saracenos sumpsit, quam illustrissimi ac prestantissimi e Gallia principes comitati sunt diuenditis vel oppigneratis bonis suis. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

ALEXIVS ISAACI COMNENI F.

ALEXIVS statim surrogatur à senatu. Is Nouellosimus cognominatus, Isaaci Comneni Imperatoris filius fuit, missusq; à Michaele, tum Imperatore contra

Basilacium Proedrum, qui Dyrrachium ceperat, tum illum quoque conculcauerat, vnde victor ab exercitu imperator consalutatus. Sub Nicephoro bellum cepit contra Robertum ducem Dalmatiam vastantem, vnde victor reuertens, paulo post iterum tumultuantem, prælio euicit. Zacham Turcarum ducem (qui in Cypro multas occupauerat insulas) fugauit. Pazinacas (quos hodie Tartaros vocãt) genus Ponticum, ad Istrum consistens, qui in Thraciam excurrerant, perdomuit. Hierosolymitanam expeditionem primam ab initio quidem impediuit, transitum negando: deinde pollicitatione communi quæ caperentur conuênit cum Boemundo Roberti Guisguardi filio, legato ab exercitu misso: quem, reconciliatis veteribus odiis, humaniter excepit. Domum orphanis pueris pauperibus, Musæumq; item litteratum extruxit, sumptus quotidie suppeditando. Vir fuit omnino laudatissimus: periit tandem morbo, quum imperasset annos XXXVII. *Volaterranus lib. 23.*


SVccessit iam hinc familia, vnde hæreditarium, ac prope iustum in Græcam gentem odium ad nos transmissum sit. Nam etsi iam pridem sub Photio schisma cœperat, manebat tamen qualiscunq; Romani pontificis maiestas, & male sartam gratiam affinitates quædã cum principibus nostris initæ fulciebant. Alexius autem veluti ex professo hostis Latini nominis præter bellum, quod cum Roberto Viscardo infeliciter gessit, Venetis etiam armis adiutus, Gallorũ memorabilem illam expeditionem q̃ suspectam semper ab initio duxerat, perturbare conatus est. Cæterum non succedente consilio,

his conditionibus cõmeatu [illegible] rebus adiuturum se Gallos [illegible] cepissent ex hoste, sibi [illegible] certe nostris plurimum Boamundo Norm[illegible] deferre visus est. Conu[illegible] orphanotropheion [illegible] pueros, puellasq; parenti[illegible] alendos in altero erudiendos instituit [illegible] regio vectigali [illegible] ipse vero [illegible] post VII. & XXX. Imperij annum, mense [illegible] cũ dimidio, moriens, Ioanni filio, reluctante inprimis matre, Imperium reliquit. *Egnatius.*

ALexius Comnenus Nicephori successor, veluti ex professo Latini nominis hostis, præter bellum, quod cum Roberto Viscardo [illegible] gessit, Venetis [illegible] armis adiutus, Gallorum memorabilem illam expeditionem, quam [illegible] semper ab initio duxerat perturbare conatus est. Cæterum non succedente consilio, his conditionib. commeatu & aliis [illegible] rebus adiuturum se Gallos recepit, [illegible] cepissent ex hoste, sibi restituerent. [illegible] nostris certe plurimum Boamundo Normano deferre visus est. Inde ad pacis artes conuersus orphanotropheium erexit & museum: in altero pueros puellasq; parentibus orbos alendos in altero erudiendos instituit, sumptusq; his ex regio vectigali dat. Ad supplicia minime præceps, moribus moderatus. Tandem morbo fatigatus post VII & XXX imperij annum, menses quatuor cum dimidio, moriens, Ioanni filio, reluctante inprimis matre, imperium reliquit. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

CALO-

CALOIOANNES COMNENVS, ALEXII F.



CALOIOANNES COMNENVS, eius filius, rem suscepit, tenuitque anos XXIIII. tepore Lotharij Imperatoris Germani, ad quem legatos misit, de congratulatione felicitatis in constituendis rebus Romanis, & Innocentio II. liberato Aderat inter eos Philosophus quidam hæresim Grecorũ de Spiritu Sancto contra Latinos defendens. Quem Petrus quidã diaconus dicitur argutissimè confutasse. Is insuper victorias multas ac præclaras in Oriente contra barbaros adsecutus. Ad extremũ, quũ esset in venatione, sagitta venenata, q̃ in aprum directa fuit, paululũ manu pcussus, nullis remedijs curari potuit, qn moreretur. *Volater. lib. 23.*

IOãnes, quẽ nostrorũ quidã Caloiãnẽ appellat, vbi Imperiũ adeptus est, suos oẽs dignitatib⁹ ornat, in Isaaciũ fratrẽ propensissimus, quẽ incredibili charitate dilexit. variis expeditionibus in Asiã vsus, Turcas, Persasq; pliis aliquot vicit, vrbesq; illis non paucas ademit. Latinorũ militum fortem, fidelemq; operam semper expertus, legatos ad Innocentium pontificem, & Lotharium Imperatorem victoriam de Rogerio gratulaturos misit: tandem memorabili exitu in venatione sagitta venenata digitum dextræ saucius, post quintum & vigesimum Imperij annum & menses octo, natu minori Manueli sceptrum reliquit, cùm Isaacium vt minus ad imperandum idoneum reiecisset: non contemnendus omnino princeps. *Egnatius.*

CAloioannes Alexij Comneni filius, mortuo patre imperiū adeptus, consanguineos suos dignitatibus ornat, in Isaacium fratrē propensissimus, quem incredibili charitate dilexit. Gallis & Venetis infestu fuit. Victorias multas ac præclaras in Oriente contra Turcas, Persasque assequutus: ad extremum, cùm esset in venatione, ac telo à seipso intoxicato, quod in aprum tendebat, digitum dextra sauciasset, moritur, post quintum & vigesimum imperij annum. Manuelem fratrem natu minorem imperij hæredem dixit, cùm Isaacium minus aptum sentiret, non contemnendus omnino princeps.
Appendix S. Aurel. Victoris.

MANVEL ALEXII F.

MANVEL deinde imperium tenuit annos XXXIIX. quem nonnulli ignobilem, ac ab vxore Alexius (contra voluntatem senatus) in coniugem simul & imperium susceptum fuisse dicunt. Veriores tamen historiæ ex Scilace auctore, eum Alexis filium tradit. Vixit facinorosus: vt qui Conradum Imperatorem illac ad expeditionem Hierosolymitanā proficiscentem cōmeatu se iuuare simulans, gypsum farinæ admiscebat. In Venetos Stephanum Pannoniæ regem excitauit, eorumque legatum Henricum Dandalum liberius locutū contra ius gentiū luminibus orbauit. Alexandro III. pontifici Fredericum Aenobarbū eius inimicum expugnaturū se promisit, si per eius authoritatem & concessionem liceret ei vtriusque potiri Imperio. Quam ille conditionem renuit;

sed

sed & ipse à Rogerio, Siciliæ rege non paruam animi sui sustinuit cladē. [illegible] lib. 33.

NVllus inferior in nos fuit: nulli insidiæ successus nostrorum fuere: vt Conradum Germanum, & Ludouicum Francorum regem, variis insidiis fatigarit: quare coacti intempestiuè Bosphorum traiicere, cùm in locorum angustiis à Græcis nostri cæderentur, fame quoque laborare cœperunt: sed famem morbus etiā subsecutus, gypso per summū scelus farinæ immisto. Quare indignatus Siciliæ rex Rogerius, bellum illi indixit: indictum fortiter gessit: vastata omni ora Græciæ, & Byzantio etiam per suos duces adeò insultatus, vt sagittas argenteas, aureasq; hortis regiis immiserint. Venetis etiam non minùs infestus, contra ius gentium Henricum Dandulum eorum legatum violat: negotiatores, quos simulata pace euocarat, vno die cōprehendit: ex quo Venetis armis pressus tandem promissa bonorum restitutione, æquis pensionibus pacem impetrat: prælium cū Turcis funestissimum gessit, in quo penè capt⁹ est. Fedricum Aenobarbum etiam Italicis auxiliis exercuit: rectæ fidei dogmata perturbare per insaniā adortus, non prius abstinuit ab incepto, quàm omnes aduersantes sibi vidit: demum cùm astrologiæ peritissimus haberetur, spondereturq; sibi multos adhuc vitæ & Imperij annos, totiusq; Orientis Imperium agitaret animo, post XXXVIII principatus annos monasticam vitam secutus morbo periit, Alexio filio paruulo relicto. *Egnatius.*

EManuel, siue Manuel Caloioannis frater, vel, vt alij volunt, filius, vir sceleratus, &

Reip. Christianæ perniciosus. Constantinop. Imperator, Conradi, ad expeditionem Ierosolymitana proficiscentis, militib. fame laborantibus, commeatu eos se iuuare simulans, gypsum commixtum farinæ immistam per summũ scelus dedit. Simili fraude impius ille Ludouicũ Francorum regem decepit: sic breui magna militũ nostrorum vis consumpta est, & ex tanta militum numerosa multitudine vix decimus euasit. In Venetos Stephanum Pannoniæ regem excitauit, eorumque legatum Dandalum liberiùs loquutũ, contra ius gentium vtroq; lumine priuauit: negotiatores, quos simulata pace euocarat, foedifragus ille comprehendit, quare armis Venetum pressus (promissa bonorum restitutione) æquis pensionibus impetrat. Prælium cum Turcis infoelicissimum gessit, in quo penè captus est. Tandem cum Astrologiæ peritissimus haberetur, spondere tq; sibi multos adhuc vitæ & imperij annos, post imperij ann. xxxviii. inconsulta secutus vitã morbo perijt. *Ap[illegible]en [illegible]*

ALEXIVS MANVELIS F.



ALEXIVM filium (cui Philippi Gallorum regis filiam desponderat) in Andronici Comneni tutelã moriens Alexius reliquit. Hic enim quanquam ex eadem familia, ab eo aliquando defecerat multaq; loca occupauerat. Tandem in gratiam reuersus, re[illegible] Imperij [illegible] deinde in[illegible]o pupillum necat vt imperio potiretur. *Volaterranus lib. 23.*

Patri

Patri puer Alexius adhuc successit, qui fatigatus multorum insidiis, Andronicum maxime infestum habuit, virū callidum & impiū: qui ex Isacio Comneno Ioannis fratre natus, nobilissimus haud dubie habebatur. Is Constantinopolim ingressus, primum tutorem egit, inde participem Imperij. Demum præter iurisiurandi fidem, Dominici etiam corporis & sanguinis haustu sacratiorem, Alexium xv. tantum annos natum, cùm treis annos à patris morte rerum potitus esset, miserabiliter excruciatum necari iubet: capiteque abscisso, reliquum cadauer in mare proiecit. *Egnatius.*

ALexius admodum puer patri Manueli successit. Andronicum callidū & impium tutorem testamēto sibi à patre relictum, infestissimum habuit. Is enim Latinis, qui puero fauebant, pulsis, Alexium cognatum quindecim annos natum, cum treis à patris morte rerum potitus esset, libidine regnandi excæcatus, clam misere excruciatum necat, capiteque truncato reliquum cadauer culeo insutum in mare proiicit. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

ANDRONICVS.

ANdronicvs à populo ob crudelitatem pulsus. *Volaterranus ibid. Cætera vide in Alexio suprà.*

CAllidissimus mortalium, ac sæuus, cætera non improbandus, si regnandi libidinem demeres: biennium rebus præfuit, omnibus ob insitam sæuitiam inuisus. Quare bello etiam à Gulielmo Siculo appetitus, cùm vndique pre-

mereretur, tandem ab Isaacio Angelo præter spem, omniumque opinionem Imperio deiicitur, captusque, ac per vrbem camelo insidens circumuectus, manu abscissa, oculisque effossis, turbæ vulgique tumultu lacer periit. *Zonaras.*

Andronicus Comnenus occiso Alexio cognato, imperium adeptus (vt tyrannidem stabiliret) proceres omnes quorum suspectam virtutem habebat, breui interfecit. Omnibus ob insignam sæuitiam inuisus, cùm vndique à Guilielmo Siculo premeretur, tandem ab Isaacio Angelo præter suam omniumque opinionem prælio victus, imperio deiicitur, captusque ac per vrbem camelo sedens, circumuectus, manu abscissa, caput aliorū reste, diadematis loco præcinctus, oculoque effosso, turbæ vulgique tumultu lacer, periit. Biennio rebus præfuit. *Appendix S. Aurel. Victoris.*

ISAACIVS ANGELVS.

Isaacivs Angelvs è gente item Comnena (qui Angeli cognominabantur) Vir æqui seruantissimus, è Peloponneso ad Imperium accersitus est, qui Andronicum in potestatem redactum, minutatim excarnificauit. Hic amantissimus Latinorum fuisse traditur: ac ea in fratrem Alexium pietate, vt captum a Turcis magno redimeret: A quo postea vt ingratissimo) per dolum captus, luminibusque priuatus, in custodiam coniectus est: quo fere tempore, Federicus Aenobarbus imperabat in Occidente. *Volaterranus lib. 23.*

Com-

C[illegible] stirpe, ad Isaacium
[illegible] cognomento Angelum summa rerum præ-
ter omnium spem delata [illegible] pruden-
ter [illegible] gerere [illegible]
[illegible] Cyprum frustra comparauit. Bellum
etiam cum Mysis, qui & Valachi dicuntur, Pe-
tro & Asane fratribus defectionis auctoribus in-
feliciter gessit: variis interim multorum tyran-
nides oppressit. Fridericum Aenobarbum in Sy-
riam properantem magnifice excepit. Ipse ve-
rè, cum in nostros beneuolo animo esse vide-
retur, ab Alexio fratre, quem captum à Turcis
redemerat Isaacius, per summum scelus Impe-
rio oculisque priuatur.

ISaacius Angelus, Comnenorum stirpe è me-
dio sublata post Andronicum, præter omnium
spem, summa rerum potitus, classem ad recipien-
dam Cyprum frustra comparauit. Bellum cum
Mysis infeliciter gessit. Fridericum Aenobar-
bum Rom. Imperatore in Syriam properantem
magnifice excepit. Ab Alexio fratre natu mino-
re, quem à Turcis captum magno redemerat,
per summum scelus Imperio oculisque priua-
tur, & in carcerem conicitur. Eadem impie-
tate Alexium nepotem suum annos XII. agen-
tem voluit perdere. Tandem post longam ca-
ptiuitatem à filio Alexio carcere eductus impe-
rioque restitutus, morbo aëris, vt creditum
est, insolentia contracto obiit,
anno imperij XVI.



ALEXIVS FRATER ISAACI ANGELI INVASOR imperij.

ALexio igitur per parricidiũ Imperiũ adepto Alexius alter, Isaacij frater filius, ætate duodecim annorum, sed ingenio senex, ad castra Christianorũ principũ (qui tunc aduersus Saracenos dimicabant) confugiens, cõtra patris proditorem auxilium impetrauit, ea conditione; Vt imperator Constantinopolitanus Romano subijceretur pontifici, præterea, illatas Francis Venetisq; quondam a Manuele iniurias, certo pretio redimeret. Igitur Constantinopoli per obsidionem expugnata, Alexius Tyrannus fugatur, Isaacius pater (vt erat amissis oculis) cum filio restituitur. Puer vero post obitum patris à quodam Murziphlo eius tutore proditur. Qui imperio occupato paulò pòst ab eisdem auxiliantibus Gallis fugatur & ipse. *Volaterranus lib.* 23.

NOn ingratus in fratrem solum, sed planè impius Alexius videri possit, qui non solum maiori fratri Imperium per scelus ademerit, verùm etiam nepotem exsortem pateretur. Sed affuit non multò pòst grauis vltio. Restitutus enim nepos patrem adhuc viuentem rebus præficit. Ipso autem Alexio fuga dilapso, nepos Alexius Isaacij filius post subitam patris mortem Imperator est dictus, Gallorum Venetorumq; armis præualentibus. *Egnatius.*

ALexius Angelus fratricida, princeps planè impius fratre natu maiore, imperio oculisque (vt diximus) priuato, imperium occupat, Alexium

Alexium Isaaci filium nepotem suum perdere conatus. Sed non multò post grauis vltio [illegible]. Restituitur enim Byzantio per obsidionem expugnato nepos, patremque e vinculis eductum, adhuc viuentem imperio restituit. Ipso autem Alexio fratricida nocte concubia fuga dilapso, nepos Alexius post patris Isaacij subitam mortem Imperator dictus est, Gallorum Venetorumq; armis præualentibus. *Ant. S. Aur. Vill.*

ALEXIVS IVNIOR, FILIVS ISAACI ANGELI.

¶ *Ex Volaterrano dictum est supra in vita* ALEXII.

PVer annorum XII. cum Pãnonas, Gallosque per matrem, vxoremq; attingeret, Venetorum, Gallorumq; ope in Imperium restituitur. Id verò præter alia in fœdere sanciendo diserte cautum, vt patriarcha Constantinopolitanus Romano pontifici tanquam maiori subesset: & damna Francis, Venetisque à Manuele illata compensaret. Qui mense post restitutionem suam vix exacto, cùm satageret rerum, quas promiserat, à Murziphlo quodam ignobili, quē tamen ad summũ dignitatis gradum extulerat, fraude puer necatur: sed Murziphlus & ipse non multò post in Peloponneso captus, & Constantinopolim retractus, per summam ignominiam, & cruciatus obiit. *Egnatius.*

ALexius iunior (qua dictum est ope) imperio Orientali restitutus, fœdus cum Gallis & Venetis sancierat, hac cõditione, vt Patriarcha

[illegible] [illegible] malum, [illegible] & damna Francis Venetisque [illegible] Manuele [illegible] [illegible], quæ [illegible], [illegible], à Murzyphlo [illegible] dam, [illegible], quem tamen ad summum dignitatis gradum euexerat, post admodum menses post restitutionem vix elapso, necatur. Sed Murzyphlus, imperio occupato, & vrbe Byzantina amissa, in Peloponneso à Francis Venetisque captus & Constantinopolim retractus, per summam ignominiam & cruciatus miserè perijt. Excellens Francorum Venetorumque virtus imperium, quod tot annos factiosissima & turbulentissima Græcorum natio possederat, Latino nomini facilè asseruit. *Appendix* [illegible]

BALDVINVS FLANDRIAE COMES.

Res deinde ad Gallos translata, quorum primus BALDVINVS Flandrensis Comes, natione Gallus, Imperator creatur: successoresque habuit item ex Latinis, annos propè LX. Hic Bonifacium Montferratensem regem Thessaliæ fecit, hortaturque; vti Cretam ei dono quondam ab Isacio datam, Venetis venderet. Paulum Morocenum patricium Venetum, Patriarcham Constantinopolitanum creatum Romanæ tunc primùm subiecit pontifici. Ea tempestate Theodorus Lascaris Alexij profugi apud Hadrianopolim inuadit imperium. *Blond. lib.* [illegible]

Excellens Veneti sanguinis virtus adiuta Gallicis armis, Imperium, quod tot annos factiosissima, & turbulentissima Græcorum natio posse-

ne adulterino pontifice luminibus priuato, Gregorius restituitur: qui statim sanctionem tulit, quæ per quingentos annos adhuc durat: *Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem vendicato: principes sex, sacris ordinibus tres, profani totidem, eum deligunto: hi si discordes fuerint, Bohemiæ regem cooptanto.* Nec multo post Otho vndecimo Imperij anno naturæ concessit. Fuit hic Veneto principi Vrseolo familiaris: in cuius gratiam cum Venetias inuisisset, voti reus pallium aureum, quod annuũ Veneti pẽdebãt, remisit. *E[illegible]*

OTho III. Saxoniç Dux, Othonis II. filius a principibus Germanis Imperator Romæ dictus, a Gregorio V. Pont. Max. consanguineo suo (Bruno antea vocabatur) quem ille Pont. crearat, diadema imperiale accipit. Sed cum Saxoniam peteret Imperator, Gregorius Pont. a Ioanne Pont. adulterino vrbe pellitur. Otho [illegible] plenus, maximis copiis accinctus, Italiam ingressus Romam vi capit: Crescentium consulem dissidij autorem, captum, oculis erutis & auribus truncis retrorsum asino impositum & spectaculi loco per vrbem circumductum interfecit: Ioannem Pont. exoculat: Gregorium V. consanguineum suum pristinæ restituit dignitati: qui sanctionem tulit, quæ in hunc vsque diem seruatur, in hæc verba: *Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem vendicato: principes sex, sacris ordinibus tres, prophani totidem, eum eligunto: hi si discordes fuerint, Bohemiæ regem cooptanto.* Hic cum imperasset annis XIX. Romæ moritur non sine veneni suspicione. Vxorem habuit Mariam filiam regis Aragonum, fœminam ut dicunt intemperantem. Mirabilia mundi vocatus est, ob ingenij

genij promptitudinem & singularem prudentiam. His temporibus Senonum vrbs ob Comitis Reginaldi scelus regis Francorum patrimonio adijcitur. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

HENRICVS. II. BAVARVS.

HEnricus Bauariæ dux prim⁹ Germãorũ, q procerũ sententijs non ex hæreditate patria imperium inierit: Romæ post annum XII. à Benedicto VIII. diadema susce pit. Cõtra Saracenos pugnauit, eosq; Capua expulit: ac Pupaganum Græcorum ducem, qui eis bello fauebat, adeo bello insectatus est, vt eum Troia eiecerit, quam ille in Apulia condiderat, vbi Annibalis castra fuerant. Templũ Bambergense maius excitauit: cũ vxore Sinegunda perpetuò abstinendo vixit. Stephanum Pannoniæ regem ad suscipiendam Christi fidem per Adalbertum præsulem plane induxit, eique sororem locauit. Imperauit annos VIII. Post mortem ambo coniuges sanctitatem prodigijs manifestauêre. *Volaterranus lib. 23.*

IN Othonis locum ex Gregorii formula Henricus Bauarici sanguinis Imperium adipiscitur, vir pietate insignis, nec armis vlli priorum principum minor: par sanctimonia, ac innocentia Cynegundę coniugis, qua cum Henricus cœlibem perpetuò vitam duxit: vnde etiã mortui diuorum numero adscripti, miraculis illustres fuere. Henricus igitur post Germaniæ res compositas, Italiã ingressus, Capua Saracenos expulit. Græcorum ducem Troia à se munita spoliat: quibus gestis, octauo Imperij anno in humanis esse desijt. *Egnatius.*

HEnricus huius nominis II. [illegible] Claudus, Othonis primi vel [illegible] filia nepos (nam id ambiguum) a [illegible] rbus, secundum Gregorii V. volunt. [illegible] Imperator electus anno incarnationis [illegible] pra millesimum, suum in Italiam adventum per annos duodecim distulit. Multa eo [illegible] rima cum Metensibus bella gessit. Accepta Romæ a Benedicto VIII. imperiali corona, in Capuam movit. Saracenos Italia expulit. [illegible] in Apuliæ finibus, vbi olim Hanniballis [illegible] fuère, à Græcis ædificatam, obsedit & per deditionem recepit. Hunc Henricũ historiographi multi efferũt laudibus, quod optimus Christianissimusque princeps cum Sinegunda [illegible] virginitatem, vel certe diutinam castitatem [illegible] uerit: Hungarosque debellatos [illegible] precum instantia ad fidem Christianam perduxerit, data sorore Stephano Hungarorum regi in matrimoniũ. Cum in imperio pie ac sanctissimè ann. V I I. vixisset, mortuus, Vr. bergæ sepelitur: Conrado Franco II. legitimo electorum suffragio Cæsare declarato prius. Ob vitæ innocentiam & insignia miracula post mortem in diuorum catalogo adscriptus est. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

CONRADVS. II. SVEVVS.



Onradus natione Sueuus, biennio post Henricum, dissidentibus inter se proceribus, legitur [illegible] tor. qui cũ composuisset [illegible] Italia Cisalpina ciuitates rebellasse, confestim in Italiam properat,

Medio-

Mediolanum obsidens direptione tamen temperauit, ob Heliprandi principis potentissimi virtutem & auctoritatem, ac Coloniensis præsulis admonitionem. Qui diuum Ambrosium in somnis dicitur vidisse. Inde Romam petens, diadematis insignia à Ioanne X I X. suscepit. Imperauit annis X V. fuit hoc tempore Gerardus Martyr præsul Canadiẽsis. *Volaterran.lib.23.*

POst trium annorum interregnum legitimo tandem suffragio Conradus Francus eligitur, virtute ac militari disciplina ad tantum fastigiũ euectus: qui comparato exercitu, Mediolanum diu obsedit: & cùm supremum exitium vrbi minaretur, deterritus oraculo omnem grauiorem iniuriã abstinuit. Romamq; profectus coronam Imperij à pontifice accepit. in Sclauos inde ac Pannonas feliciter pugnatum, qui rebellantem Italiam socialibus armis adiuuerãt: neque non Rodulphum Burgundiæ regem suis conciliat. Leopoldum etiam pacis & otij turbatorem, bello petitum compescit. Mouendi belli causa, quòd sub initia Imperij legem seuerissimam tulerat, si quis pacem turbasset. Conrado autem post annum X V. vita functo, Henricus successit. *Egnatius.*

COnradus Francus huius nominis secundus, post trium annorum interregnũ, legitimo tandem Principum Germanorũ suffragio eligitur, virtute ac militari disciplina ad tantum fastigium euectus: cùm sub imperij initium videret passim omnia turbari, effecit, vt in imperij consortium filius suus eligeretur: ne se in Italiam profecto, sine capite certo imperij subditi in

ter se tumultuarentur in Germania, Mediolanum comparato exercitu diu obsedit: cumque supremum exitium vrbi minaretur, deterritus bello obsidionem soluit. Itaque motis à Mediolano castris Romã profectus, aurea corona à Ioanne XII. & imperij titulis ornatus est. In Sclauos ac Pannonas, qui rebellantem Italiam adiuuerant, feliciter pugnauit. Basilicam Spirensem magnis sumptibus extruxit, in qua cum vxore sua Gisella, seu Gista ex qua Henricum II. suscepit, cùm in humanis esse desiit, conditus est, imperij anno XV. Hoc principe concilium Triburgi ad Moguntiam habitũ est. Et Burgundia tunc diuisa est, in Ducatum scilicet, & Comitatum: vt Ducatus ad regiam Gallicam: Comitatus vero ad imperij ditionem pertineret. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

HENRICVS III. F CONradi II.

HENRICVS III. Cõradi supradicti filius, de communi procerum sententia lectus est: de cuius genitura Vincentius & Martinus scribunt mira, nescio quę. Hic ante omnia Odelricum Boëmorũ regem diuersis in prælijs tandem superatum, tributarium fecit. Petrum Pannoniæ regem, à suis, suffecto Albono, regno eiectum, restituit: Romæ cùm discordiam Pontificũ, Gregorij, Syluestri, Benedicti comperisset, vti Clemẽs II. crearetur, Præsul tũc Bambergensis, auctor fuit: à quo & diadematis insigne postea suscepit. Moriẽs Victoris II. Pontificis

tificis auctoritate Henricum filium Cęsarem dixit. Imperauit Annis. XVIII. *Volaterranus 23.*

GEner hic Conradi Imperium accipit, & ante omnia Oldericum Boëmiæ bello atigatum tributum annuum sibi pendere cogit. Inde Petrum regem ab Vngaris eiectum restituit. Cæterum pertæsus eorum, quæ Romæ circa pontifices per summum scelus agerentur, Romam cōtendens, abdicatis adulterinis pontificibus aliquot, Bambergensem præsulem pontificiæ sedi præfecit, quem Clementem secundum dixere: & vt caueret in posterum summorum pontificum securitati, iure urando Romanos adigit, neminem creationi eorū interfuturū sine eius permissu. Capuaque aduersus Saracenos nouo præsidio firmata, in Germaniam abiens, duodecimo Imperij anno Henrico filio superstite ad superos abiit, cum Leonē nonū primò, mox eo defuncto Victorē secundum pontifices suo priuilegio declarasset: vnde Victor in beneficij gratiam Henricum adhuc puerum Cæsarē creari passus est. *Egnatius.*

HEnricus tertius Conradi Franci filius, dictus Niger, cum imperij coronā accepisset, Principum cōsensu Vldaricum Boëmiæ regem bello fatigatum tributū annuū sibi pēdere coëgit. Petrū Hungarorū regē à suis expulsum, regno restituit: apud Capuam Saracenos vicit. Cæterum pertæsus eorum, quæ Romæ agerētur, Romam contēdens, abdicatis adulterinis pontificibus aliquot, Syndegerū Bambergēsem episcopum Pontificiæ sedi Rom. præfecit, quē Clemētem II. dixêre, à quo Augusti Imperatorisq; titulis præsente synodo ornatus est: & vt caueret

in posterum pontificum [illegible] do Romanos adegit, vt a Pontificum [illegible] bus abstinerent. [illegible] de Capuam [illegible] præsidio aduersus Saracenos firmauit. [illegible] in Germaniam regressus filium quinque annos natum Cæsarem eligi, & Aquisgrani [illegible] curauit. Obijt imperij anno [illegible] habuit Agnetam Guilielmi Aquitaniæ principis filiã. Hoc principe species sectæ Mani[illegible] rum resurgit in Goslar, quæ omnis [illegible] sum execrabatur. *Append. [illegible]*

HENRICVS IV, F. HENrici III.

HENRICVS IIII. superioris filius, impietati ac omni sceleri deditus [illegible] Gregorio VII. ac eius successoribus magnopere infensus fuit. Quare ob eiu & hostis ecclesiæ appellatus, & sacris interdictus [illegible]. Ille autem furibundus cum Clemente Pseudo pontifice, quem ipse creauerat in Germania, Romam infesto agmine petens, Basilicas Petri & Pauli euertit, Gregorium in arce obsidet, aliaque gessit, quæ quoniam in ipsis pontificibus descripsi, repetere supersedeo. Agnetem matrem, fœminã longè prudentem, ac eius facta minimè probantem, à rerum administratione amouit: ex quo illa relictis omnibus Romam secessit, vbi aliquot annis piè casteque viuendo, ac sacras Basilicas quotidie salutando, anno V. Gregorij VII. cum summa laude decessit. visitur eius adhuc sepulchrum in basilica petri,

apud

apud Sacellum S. Petronillæ cum elogio vitę: Dum tamen valuit, in Italia Gisbertum Parmensem nobilem virum Rectorem constituit: In qua & Gottifredus tunc quoque potentissimus erat. Nam vt altius repetam, Beatrix Henrici II. soror Bonifacio viro Lucensi potenti nupserat: cuius hęres Matildis filia simul cũ Gottifredo coniuge Lucã, Parmã, Regiũ lepidi, Mantuam, & quod nunc vocan, patrimoniũ possedit. Hęc deinde superstes dicitur in quadam historia Actium Estensem matrimonio secundo sibi iunxisse: deinde Gregorio IX. iubente abdicatũ, quòd primi viri ignorata intercesserat necessitudo. Caste deinde ac pſanctè reliquũ tẽpus exegit. Decessitq; Mãtuæ M. LXXVI. B. Petro patrimonio nunc vocato, simul & Ferraria relictis. Ad Henricum redeo: expeditionẽ Hierosolymitanam Christianorum principum, tunc primum incipientem, impedire conatus est. Cum filio Henrico in discordiã venit, à quo tandẽ Leodij obsessus, in ea turbatione ex animi angustia moritur, Imperij Anno XLIX. *Volaterran⁹ lib. 23.*

IS siquàm bello magnus, tam pacis artibus, ac pietate insignis esse curasset, haud dubie Carolis & Othonibus æquari potuit. nemo bellacior hoc vno fuit: nemo collatis signis ad hanc diem pluries cum hoste conflixit, quippe qui Marcum Marcellum & Cæsarem Dictatorem supergressus bis & sexagies pugnarit. In Saxones tamen & Rodulphum eorum regem arma sæpius intentata, quibus cum congressus semper ferè victor ab ijs. Quin nouissimo prælio fugatum etiam Rodulphum interfecit Mathildem pontificis partes in terra

X

Italia tuentem vicit Henrici filij opera: sed quam bello clarus, tam insectatione pontificum infamis, a quibus diris etiam pontificijs primus Imperatorum post Arcadium petitus est. Nec causas in præsentia exquirere libet. Certè nunquam laudes Gregorium pontificem ab eo obsessum: adulterinum pontificem vnum & alterum superinductum: dolis & veneno etiam in illos grassatum: matrem feminam optimam à filio expulsam, atque in exilio mori coactam: Gallorum memorabilem illam expeditionem sæpe impeditam: sed luit mox pœnas: ab Henrico enim filio captus, & Leodij custoditus, pedore carceris post annum X L V I I I. Imperij miseram animam efflauit. *Egnatius.*

HEnricus quartus quem tertium Egnatius facit, superioris filius, impietati ac omni sceleri deditus: in super a Gregorio V I I. (qui Hildebrandus dictus erat) cui infestus erat, hostis ecclesiæ appellatur & sacris interdicitur. Quare commotus, exercitu conscripto, cum Clemente, quem pontificem in Germania creauerat, Romam petens, Basilicas D. Petri & Pauli euertit, Gregorium Pont. obsedit. Agnetam matrem, fœminam prudentissimam, eius facta improbantem, à rerum administratione amouit. Rodulphum Imperatorem a principibus, Gregorij Pont. hortatu, creatum, multis prælijs vicit. Expeditionem Hierosolymitanam Christianorum principum tunc primùm incipientem, impedire conatus est. A filio Henrico, quem Imperatorem delegerat, captus & Leodij custoditus, pedore carceris post annum

annum XLVIII. Imperij miseram animam effiauit. Rodulpho misit Hildebrandus coronam cum hac inscriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.* Quo significare voluit, à Christo imperium collatum esse Pontifici, & ab hoc vicissim principibus conferri. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

HENRICVS V. FILIVS Henrici IIII.

HENRICVS V. superioris item filius, haud parête melior, Romam veniens, cum a Paschale II. procul aliquantulû à mœnibus subsistere iuberetur, deinde præsulum ab eo creatorum electio infirmaretur, iureiurando bene pollicetur: Vrbem deinde ingressus, & ad basilicæ Petri gradus humaniter exceptus, dum intro vna progeditur, Pontificem cum patribus de improuiso capit, in montemque Soracte perductos vsque eo tenuit, donec côpulit eos ab se gesta ꝓbare, ac diadema augustale, vt moris erat, tradere. Quæ cû ille postea quasi per vim facta in Concilio reuocasset, Henrici furorem rursus ad repetendam vrbem excitauit. vbi iterum eo absente, a Præsule Bracchar[illegible]nsi, diademate redimitur. Tertiò item in Italiam contra Gelasium. II. traiecit: quem etiam deinde in Apuliam fugientem videns paulo post in Germaniam abijt, vbi moritur sine liberis, anno imperij XV. sepultus in ciuitate Spirensi inter maiores. *Volaterranus lib. 23.*

QVis non Henrici pio lemmo agnoſcat impietatem paternam redolentem, ex continua pontificum inſectatione? ſed cui parcet homo nefarius, qui impias manus in qualemcunque parentem intulerit? acceſſit ad imperialem animus dolo magis quā virtute, præter Germanorum morem, inſtructus: quare Paſchalem per ſummam perfidiam pontificem in poteſtatem redactum, non prius dimiſit, quàm ille cuncta rata, quæ voluit, faceret: a quo coronam quoq; Imperij per vim expreſſit. Quæ mox vt extorta ſibi cum irrita pontifex denuntiaſſet, Henricum in Italiam ſtatim exciuit. Romæ ergo agens (quando pontifex in Apuliā vitabūdus hominis furorem contenderat) ab Brachareñ antiſtite iterū corona inſigniri voluit: tertiò deinde Italiā inuadens, Gelaſium pontificem vrbe pepulit. Cuius aduentū reformidans Henricus (quippe qui Normannicis armis inſtructus aduentare dicebatur) in Germaniam rediit, vbi poſt annum Imperij XV. obiens, maiorum ſepulcris inſertur. *Egnatius.*

HEnricus quintus quarti filius, poſt patrem quē bello & armis inſectatus fuerat, Imperij faſces ſuſcipiens, animum patris maximè in pontifices retinet: nempe Paſchalis pōtifex eum ab Vrbis ingreſſu prohibere voluit: ſed tantæ iniuriæ ferox adoleſcentis animus impatiens, Pōtificē in poteſtatē redegit, & ab eo coronā extorſit, tū inhumaniter ſatis in clerū Romanū ſæuitū eſt. Qua cū poſteà, quaſi per vim facta, in concilio reuocaſſet Pontifex, Henrici furorē rurſus ad repetendam vrbem excitauit, vbi iterum, Pontifice abſente, a præſule Bacharenſi diademate

mate redimitur. Tertio postea in Italiam traijciens, Gelasium II. Vrbe pellit. His gestis Germaniam repetijt, vbi mortuus, nullis relictis liberis, anno imperij XV. Spiræ sepelitur inter maiores. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

LOTHARIVS II. SAXONIÆ Dux.

LOTHARIVS dux Saxoniæ, Imperauit annis XI. Innocentiũ. II. pulsum à Petro Pseudopontifice in Galliam iuuit: operam de eo reducendo iureiurando pollicitus, confestim cõparato exercitu præstitit. Cuius officii gratia ab eo solenni ceremonia Romæ diademate redimitur, mox in Germaniam ad tumultus Boëmorum sedandos redijt: ac vbi accepit Pseudopontificem iterum tumultuantem, vrbem ad eum comprimendum repetijt: Simulque Rogerium Apuliam iniustè possidentem Italia expulit. *Volaterranus lib 23.*

Non est cur Saxonum principum pietatem, ac constantiam in asserenda pontificia dignitate, præter alias egregias eorum virtutes, non magnopere commendes. nulli certe ex his principibus, qui Germanici sanguinis fuere, plus pontificum maiestati detulere: nulli religionem constantiùs fouêre, id quod Lotharius a maioribus acceptum velut hæreditarium in Innocentio præstitit. Quem in Gallis pene exulem, cùm venerabundus excepisset, breui, vti pollicitus est, Barionæ sedi restituit, & in Germaniam ad componendos tumultus, qui exorti erant, mox profectus, breui Italiam

in pontificis gratiam rediit [illegible]
Italia Roberto Normanno & [illegible]
fice, ita confirmauit, vt nihil eodem modo pon-
tificis aduersari sint ausi: sed breue imperium
annorum XI effecit, ne res felicibus auspiciis
cœpta conualescere admodum possent. Nam
constat hunc cum principes Imperatorem fa-
cerent, diu reluctatum esse, indignum se profes-
sum, qui tantæ rei præficeretur. *Cuspinian.*

LOtharius secundus, quem nonnulli [illegible]-rum vocant, Saxonum Dux, ab electoribus Imperator creatus, cum Conrado (qui postea imperauit) dissidiū de imperio maximum habuit, quod tamē D. Bernardi operâ sedatum est. Aduersum Bohemos expeditionem tentauit, atque inconsultò cœpta, plurimos ex suis amisit. & pax vtrinque desiderata, vtrinq; etiam accepta est. Bis in Italiam profectus est, primū ad compescendos motus contra Innocentium [illegible]dum (à quo coronatus est) propter nouam pontificis electionem Romæ coortos: deinde contra Rogerium Campaniam & Apuliam [illegible] possidentem, quàm Italia expulit. [illegible] compositis, peste in itinere correptus obijt, cum imperasset annos vndecim. *Append. [illegible] Aurelij Victoris.*

CONRADVS III. SVEVVS
Nepos Henrici IIII ex filia.

CONRADVS *III.* genere Sueuus, Bauariæ Dux, Henrici *IIII.* nepos, imperauit annis XV. vnàcum Ludouico Gallorū, ac Ricardo Anglorū regib⁹, aliisq; Christianis principib. expeditionē Hierosolymitanā frustra

&

& ipse sumpsit, cùm omnes rebus infectis redierunt. Moritur antequam diadematis insignia susciperet. *Volaterranus lib. 23.*

LVdouico Francorum rege contra Saracenos arma parante, Conradus gente Sueuus legitimè Imperator creatur, qui eandem militiam æmulatus pia & ipse arma induit: Sed Bosphorum Thraciū immaturè a Græco Imperatore traijcere coactus, cùm deesset commeatus, & qui à Græcis comportabatur, gypso infectus esset per summum scelus, ille Iconij obsidionem, in qua diu fuerat, soluere cogitur, decimoque vix milite ex tanta nuper multitudine superstite, ipse in Germaniam retro abijt, & Imperij anno XV. inglorius obijt. *Egnatius.*

COnradus III. genere Sueuus, Bauariæ rex, Henrici IIII. nepos ex filia, imperium consensu principum nactus, expeditionem omnium grauissimā tentauit: Asiaticam scilicet, contra Saracenos, quam priùs tamen parauerant Ludouicus iunior, Ludouici Crassi filius, Gallorum, & Richardus Anglorum reges. Traiecto namque Bosphoro Thracio immaturè, obsidionem Iconij soluere coacti sunt: reque infecta, maximo regum dedecore discessum, fraude & perfidia Emanuelis Constantinopolitani Imper. vt in Emanuele dicetur. Conradus ad suos in Germaniam reuersus, inglorius nondū Imperij diademate suscepto vitam cū morte commutat, anno imperij XV. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

FRIDERICVS AENOBARBVS seu Babarossa, Nepos Conradi ex fratre, Sueuus,



EDERICVS cognomento Aenobarbus, genere Sueuus, in Italiam traiiciens, Mediolanū, Dertonā, Cremonā, pluraq; alia, quæ ab eo descivissent, diruit. Romā ingressus, ab Hadriano IIII. clausis Vaticani ponte diademate insignitur Romanorū imperio: cuius per vim irruentium euitate non potuit. Ex quib. plurimi partim cæsi, partim capti ab eo. Pontificis deinde respectu restituti. Mox reuersus omnia populatus. post aliquot annos iterum Romam contra Alexandrum tertium contendit: ac in patris Neronis castrametatus, Vaticanū simul cum Petri basilica occupauit. Alexander interim Venetias fugit, vbi Venetorum ac Mediolanensium auxilio captus in pugna Federicus, supplex veniam præteritorum petijt. bona concordia ad expeditionem Hierosolymitanā profectus. Cùm aliquot Armeniæ oppida iam cepisset, in amnis transitu mersus periit, Anno Imperii XXXVII. Cuius reliqua vestigia in Alexandro Pont. percurrimus. *Volater. [illegible]*

PEssimo iam pridem exemplo pontificis ad Imperatoribus contentiones inoleuerunt, dum pontifices Imperatoriam maiestatem, quam illi suo suffragio ratam facerent, contemptim penè habent, & Romani principes [illegible] bitionē in sacerdote præposteram æquo animo ferre nō possunt. Vnde omniū malorum fons & origo, his inter se decertantibus, quorū ope

ac

ac concordia res Christianę florere diutissime potuit. Id cū aliâs experti maiores nostri sunt, tum verò hoc tempore vtinam nōn extrema cum nostra pernicie sentiamus. Certe Friderico ingentes animi, corporisque virtutes affuere, statura procera, robur & agilitas par, disciplinę militaris & gloriæ appetens, periculorum contemptor animus, non tamen vt ad ea subeunda prudentia deesset, multarum rerum peritia, liberalitas egregia, felicitas summa: quibus virtutibus instructus in Italiam ex more descendens, primùm omnium Derthonam portas sibi claudere ausam, obsessam capit: inde Romam ad Adrianum Pontificem profectus, coronæ insignia accipit: dumq; Cremonam inter redeundum obsideret, nuntiis Alexandri pontificis opem postulantis ita respondit, vti rem in dubiū trahere velle videretur. Hinc primùm Alexandro timor, inde apertæ inimicitiæ exortæ, indignante Friderico suum arbitrium declinari, Pontifice vero rem certam in disquisitionem venire recusante. Quapropter Imperator Octauianum ad se venientem complexus, cōcilio habito, vt verum Pontificē adorat. & Alexandrum Alexandriq; fautores insectatur: euersaq; priùs Derthona, quæ in partibus Alexandri stabat, Mediolanum inde solo ęquat. Galliamq, omnē Cisalpinam eadem sentiētem vastat: mox in Germaniam abiens, tertio Italiam maximis copiis cinctus inuadit, Anconemq; expugnat, & Alexandrum Roma fugere compellit ex vrbe autem pestilentia coactus abscedere, postquam iterum suos Germanos inuiserat, Italiam repetit, & Asta vrbe capta Alexandriam fru-

stra obsidet, & tum Parmenses [illegible] se obnoxios habuit primo [illegible] xilio fretus, prælioque Mediolanensibus [illegible] gressus, multos ex his amisit, ipse fuga e[illegible] plus, quinto post die Papiæ [illegible] visus. Cæterum Alexandro Pontifice Venetias ex diuturno [illegible] re confugiente, victo etiam nauali prælio a Venetis Othone filio Friderici (quod varia monumenta nobis attestantur etsi scriptorum [illegible] fides) tandem pax Venetiis sancita, Imperatorque ac Pontifex ex diutina discordia amicissimi facti. Nec multo post Fridericus dum rebus Syriacis opem maximo apparatu ferret, iamque Saladinum & Turcarum principes in maximum sui nominis terrorem coniecisset, minore etiam Armenia recepta, lauandi causa amnem ingressus, periit, cum annos XXXVII imperasset, Aenobarbus a colore barbæ rufæ appellatus. [illegible]

FRidericus cognomento Aenobarbus, a colore rufæ barbæ, natione Sueuus, patre Friderico, qui frater Conradi regis fuit, in Italiam traiiciens Mediolanum, Dertonam, Cremonam, pluraque alia loca, quod ab eo defecissent, solo æquauit. Romam ingressus ab Hadriano IIII. Pont. clausis Vaticani portis diademate insignitur. Romanorũ impetum eo per vim irruentium euitare non potuit. Mox reuersus omnia populatus, post aliquot annos iterum Romam contendit, Alexandrum Urbe fugat, Vaticanũ simul cum D. Petri Basilica occupat. Infeliciter tandem Mediolanenses, quos Veneti tutabantur, aggressus, vix fuga elapsus est. Inita concordia & simultate omni deposita, Syriacæ intentus expeditioni, in amnis transitu

mer-

mersus obijsse dicitur ann. imperij XXXVII.
Appendix S. Aurelij Victoris.

HENRICVS VI. F. FRIderici.

HENRICVS VI. Federico patri successit. Quo tempore cum Clemens III. non pateretur Siciliæ regnum (mortuo Guillermo, ad Rom. Pontificem iure pertinens) a Tancredo Notho occupari, Henrico concesserat, vti Constantiam Rogerii filiã virginem deo dicatam, iam grandæuam in matrimonium, simulque regnum hæreditatis ac dotis nomine acciperet. Igitur Henricus comparato exercitu, breui tempore Tancredum expugnat, Neapolim per vim capit ac diripit, vbi inter alias cædes duas Tancredi filias innuptas interfecit. Post hæc Messanæ ægrotans moritur Imperij anno VIII. Friderico filio (quem ex Constantia susceperat) Philippi fratris tutelæ relicto. *Volaterranus lib. 23.*

ASperũ à morib. appellatũ hũc à quibusdam video: qui rex Siciliæ accepta Constãtia Rogerij Northmanni filia in vxorẽ, mox ẽt Imp. à Pont. dictus. vt maior illi autoritas accederet ac gredi regni, ductis in Tancredũ copiis, q impari matre nat' regnũ sibi vẽdicabat reclamãtib. et põtificib. Neapolim frustra obsidet. Sed & pestilẽtia, q grassabatur, auertit ab incœpto hominẽ, retroq; in Germaniã ad suos abire cõpulit. Tãcredo aũt breui mortuo, potitus Henricus regni, Moguntinũ antistitẽ, Philippũq; fratrem in Syriam cum non cõtemnendis copiis misit. Dedit autem id magis Pontificum gratiæ quàm

quòd animum haberet Christianæ reuincendæ. Quare cùm Imperij anno octauo Messanæ mortuus esset, Germanus miles, qui Berytum in Syria muniera[t], & [illegible] obsidione [illegible] rat, tumultuose (vt mos est gentis) ex Syria in Italiam rediit, nec villius potestatis ad [illegible] re in officio contineri potuit. Egnatius.

HEnricus VI. Friderici filius, Asper [illegible] bus dictus, viuente patre Romanorum rex designatus, consensu Germanorum Principum Aquisgrani coronatur. dein mortuo patre, Clemente IIII. Pont. dara illi Constantia iam Deo dicata, & viro matura, Rogerij Siciliæ filia in vxorem, Imperator inauguratus, ea conditione, vt in eius gratiam Tancredum [illegible] Siciliæ regno pelleret, quod ad se Pontifex pertinere contendebat. Igitur Henricus [illegible] to exercitu, breui Tancredum expugnat, Neapolim per vim capit, ac diripit: duas Tancredi filias innuptas interficit. Sunt tamen qui scribant pestem Imperatorē ab incepto auertisse, & Tancredo mortuo potitum regno fuisse. Post hæc Messanæ ægrotans moritur, postquam imperasset annos VIII. relicto Friderico filio ex Constantia. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

PHILIPPVS, FRAter Henrici.



HILIPPVM Germani Imperatorem legerunt. Innocentius III. autem Othonem Saxoniæ Ducem ei prætulit. Res ad arma deducitur. Otho, Ioannis Anglorum, alter

alter Philippi Gallorum instructi copiis, decernunt. Pro Philippo tandem res stetit, qui post annum, IX. quam cœpisset imperare, à Comite Palatino interficitur. *Volaterranus lib. 23.*

HOc primum tēpore in Germania seditione laboratum est, aliis imperij nomen ad Othonem Saxoniæ ducem, aliis ad Philippum Henrici fratrem trahentibus: stabant autem pro Philippo ij, qui Germanum hominem Saxoni præferebāt. Recens insuper Henrici fratris, & Friderici patris memoria Philippum adiuuabant: & ne quid ad alendam discordiam deesset, Othoni Anglus rex, Philippo Francorum Philippus ex professo fauebant. præualuit tamen Philippus, & fugato sæpius Othone, rerum tandem potitur, indignante etiam Innocentio pontifice, qui Othonem Imperij infulis redimiuerat. Philippo autē occiso a Palatino Comite, postquam annos nouem imperasset, Otho. successit. *Egnatius.*

PHilippus Friderici Barbarossę filius, Henrici VI. frater, à Germanorum procerum parte maiore Imperator eligitur. At Innocētius III. Othonem Saxoniæ Ducem, cuius maiores Pontificiam dignitatem olim tutati sunt, ab aliquot principibus electum, confirmat, inungit, coronaque imperiali exornat. Qua discordia ad arma ventum est. Othoni Anglorum, Philippo Gallorum rex ex professo suppetias tulit. Præualuit tamen Philippus, profligatoque sæpius Othone, rerum tandem potitur. Deinde postquam Philippus annos nouem imperasset, à Comite Palatino Othone de Vuittelspach (aiunt fatale id sibi accidisse, miseri Bam-

bergæ occiditur, eo die quo à medico ei vena incisa fuerat. Huius Othonis de Vuitelspach genus celebre & clarũ fecerat Fridericus proauus huius Philippi pater. *Append. S. Aurel.* [illegible]

OTHO IIII. SAXONIAE DUX.

OTHO. *IIII* Saxoniæ Dux de sententia procerũ Germanorũ Philippo surrogat⁹, ab Innocẽtio *III.* diadema suscepit, pauloq; post quod eũ comperisset pont. suis inuadere terras, ac Federicum. *II.* puerum adhuc regno Siciliæ deturbare, sacris interdicit, imperioque per sententiã deiicit, Federico suffecto, tum bello auxiliãtibus Italis insectatur. *I*lle superatus e Sicilia in Germaniam reuertitur, vbi bellum aduersus Philippum Francorum regem mouens fusus fugatusque amissis copijs domum in Saxoniam se recepit, ibi post paulo morte obijt, cũ imperasset ann *IIII. Volat. li.* 3.

PHilippo mortuo, facile à Germanis proceribus ad tollendam discordiam subrogatur Otho, pro quo haud dubie pontificis fauor stabat, quem & confestim corona donauit, cum Romam petijsset. *I*lle vero cum & pontificiæ ditionis quædam oppida capere, & Friderici iunioris regnum inuadere vellet, diris pontificis petitus, Imperij titulis priuatur, Fridericusq; illi ex professo hostis adnitente etiã Innocentio creatur Imperator. Quo nuntio in Saxoniam profectus, vt res componeret, bellũ Philippo Francorum regi indicit. nec sine manifesta vi numinis, & Gallorum virtute, memorabili clade

[illegible]clade affectus Otho, in patriam se inglorius recepit, cum annos tantum IIII. rerum potitus esset. *Egnatius.*

OTho Saxonum Dux, quem in Philippi odium Imperatorem legerat Innocētius Pōt. Philippo mortuo, a Germanis primatibus ad tollendam discordiam facile sufficitur, coronaturq; Romæ confestim omnium consensu ab eodē Innocētio Pon. Cū verò & Pōtificiæ ditionis quædā oppida caperet, & Friderici minoris regnū Siciliæ inuaderet, sacris interdicitur, imperioque deijcitur. Fridericusq; illi ex professo hostis, adnitente Innocentio Imperator creatur, & adiuuantibus Italis insectatur. Victus in Germaniā proficiscitur, vt res componeret, Francorū regi Philipo II. bellum indicit: nec sine manifesta vi numinis, & Gallorum virtute, memorabili clade affectus, & in pugna Bononiensi victus, in patriam inglorius se recepit, vbi paulo post mortem obijt, cùm ann. tātum IV. imperasset. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

FRIDERICVS II. FILIVS *Henrici VI. ac de Guelphis & Gibellinis.*

FEDERICVM. II. Henrici. VI. filiū adolescentem Othone deiecto Innocētius. III. apud Aquisgranum iussit diademate redimiri, paulóque pòst mortua Cōstantia matre, quæ eum in officio continebat, omnib⁹ viribus Romanos insectatur pontifices tres, Honorium. III. Gregorium. IX & Innocentiū IIII. à quibus & successione & sacris interdictus & imperio deiectus per sententias

Fuit, ſicut in eorum attigi [illegible] Italiam omnem in Guelfos ex Gibellinos, quæ partes tunc primùm in Hetruria per Guelph & Gibel duces Teutonicos cepere, diuiſit, alteros vti pontificios inſectando; alteros verò, Gibellinos, vti ſuos tuendo. Piſanis maximè fauit auxilioque ad bella contra Genuenſes fuit. Cuius & illi iuſſu Cardinales nonnullos à Gregorio ad Concilium Lateranenſe vocatos mari deuectos apud Maloram inſulam Piſani puttis depreſſerunt. A. Florentinis in [illegible] non receptos Guelfos tamen expelli obtinuit. In expeditionem &. ipſe, quamquam grauatè, Hieroſolymitanã ꝓficiſcẽs, Rainaldũ [illegible] ctũ in Italia reliqt qui Rom. Pont. ſtatũ verteret: breui poſt tẽpore reb. infectis domũ reuertit. Parmam præterea multos annos fruſtra obſedit, vbi loco caſtrorũ Victoriam vrbẽ condidit Ortis leporariis fœminis omniq; luxu [illegible] etiã nũmos Victorinos percuſſit tandẽ prælio inde pulſus Panormũ ſe recepit. Cũ Siciliæ regnũ occupaſſet ab Othone quondã occupatũ, ibi morbo correptus opera Manfredi filij dicitur ocyus interiiſſe. Filiã Ioannis Brenni regis olim Hieroſolymitani duxit vxorẽ, ex qua perpetuus ei ac poſteris hæreditario iure titulus eius regni peruenit: & Filium Conradum ſuſcepit, quem imperij; Manfredum verò ex Concubina natum Siciliæ dimiſit hæredes. Henricum ex Conſtantia Aragonum regis filia iam antea meditantem in patrem inſidias captum cuſtodiæ tradiderat. Imperauit annos XXXII. Fuit huc tempore Petrus de Vineis ex vrbe Capua Iuriſperitiſſimus Federico prædicto familiariſſimus.

ſimus, à quo deinum ob ſuſpicationis ſuſpicionem in exilium miſſus, doloris impatiens capite parieti ſæpe illiſo expiraſſe dicitur compoſito priùs de Conſolatione libello. *Volaterranus lib. 23.*

VIguere in hoc principe, quod negari non poſſit, egregiæ corporis, animiq́ue virtutes, namque auo ſimillimus, militaris laudis appetentiſſimus fuit. Corpus laborum non minùs patiens, quàm ſtrenuum: plurimum audaciç ad pericula ſubeunda, non minùs tamen conſilij inter ipſa diſcrimina: nullo vnquã labore fatigatus, nullis caſibus victus, linguarum peritus, munificentię ſingularis: regij ſplendoris, & ornatus ambitioſiſſimus, vt in ea profectione, quia euocatus ad cõcilium ab Innocentio fuerat, oſtendit. Nanq; tot & tales ſecum eduxit, vt togatum agmen exercitui par eſſet. Sed & vrbi Victoriæ à ſe conditæ ea omnia affuêre, quæ nulli vnquam principes habuerint, nulla poſteà ciuitas ſimul viderit. Veſtis varia & pretioſa, animantes feræ, cicuresq; diuerſi generis: hominum portentoſæ formæ, & in his Saraceni-cus miles illi in primis acceptus. Tanta præterea incolarum frequentia, cõmerciis etiam multarum gẽtium aucta, vt nihil ad ampliſſimæ vrbis formam deeſſet. Cæterùm has ingentes in principe virtutes calliditas ingenij, ac perfidia, & ſæuitia in Guelphum nomen, neque non in pontifices odium obſcurarunt: acceſſit ad hæc libido hominis immẽſa, qui præter gentis morem cõcubinas multas & ſcorta aleret: ſcriptoribus etiam adnitentibus, ne is, qui toties execratione põtificia petitus erat, quiq; Italię adeò

infestus imminebat [illegible] ad [illegible]
cione redegerit, non omni infectatione [illegible]
haberetur. Cum hac igitur [illegible]
indole Aquisgrani coronatus, quo se [illegible]
adhuc receperat primum Othonem [illegible]
obsistentem facile profligat: deinde [illegible]
mis copiis de Syria vendicanda [illegible]
gorij etiam pontificis adhortatione [illegible]
appulit: indeque soluens cùm Acon [illegible]
n [illegible] anathemati subiectum se a [illegible]
cipit: vnde irarum plenus abiens [illegible]
tamen supplex accessit: imperatam [illegible]
[illegible] illum ludibrio habuit. [illegible]
dijs pontificiis obnoxius, in Italiam [illegible]
Mediolanenses pro pontifice [illegible]
vincit: & captum Petrū Teupolum [illegible]
rum ducem carceri inclusum crudeliter [illegible]
cat. In Venetos quoq; fines incursiom [illegible]
ta: mox Pisas sese recipiens, Guelphos [illegible]
bellinos perniciosissima Italiæ [illegible]
inuexit: quibus adeo Gregorium [illegible]
ille non multo post obierit, pr[illegible]
ris. Cœlestino autem intra X I [illegible]
cto, successit Innocentius, qui [illegible]
nis calliditatem atq; animum [illegible]
primum Imperio abdicat, deinde [illegible]
spiculum in illum distringens [illegible]
ringia [illegible] anium, ea est [illegible]
manos) Imperatorem dicit [illegible]
liæ partem in [illegible]. P[illegible]
ab [illegible] illi adempta [illegible]
ricus [illegible] eruptione victus à [illegible]
telen[illegible] Captaque [illegible] Victoria, ac
[illegible]; nec [illegible] ea clade a pontificum in-

iuria

iuria temperauit. Cæterum Panormum profectus, Manfredi filij nothi dolo necatur, cum annos duos ac XXX. rebus præfuisset. Hic Bononiense gymnasium, quia ciues imperata non statim fecissent, Patauium transtulit: ex Florẽtia etiam Guelphos populariter eiecit. *Egnat.*


FRidericus II. patre Henrico VI. ex Constantia, præstantissima muliere, annorũ non magis, quam prudentiæ plena, matre genitus, auo suo Barbarossæ haud dissimilis tum ambitione rei militaris, tum prudentia & consilio, quibus omnia pericula vicit, Othone V. defuncto in Rom. regem electus, Romę ab Honorio III. imperiali diademate insignitur. Mortua Constantia matre, tres Romanos insectatur pontifices: Honorium scilicet III. Gregorium IX. & Innocentium III. Italiam omne in factiones (quæ tunc primum in Hetruria per *Guelph.* & *Gibel.* duces Teutonicos cœpere) Guelphorum & Gibellinorum scidit. Quæ nomina vtique Italiæ perniciosissima, duos Pontifices ad mortem vsque exercuere. Mediolanenses, quòd Pontifici fauerent, prælio vincit: Petrum Teupolum eorum ducem captum, crudeliter necat. A Pontifice Innocentio IIII. imperio abdicatur, diris persequitur. Henricus Thuringiæ Landgrauius (ea est apud Germanos dignitas) Imperator dicitur. Quæ omnia haud magni æstimans, regnũ Siciliæ occupat. vbi morbo correptus, Manfredi filij nothi dolo necatur, cum annis duob. & triginta imperio præfuisset. Hic Bononiense gymnasium, quia ciues imperata nõ statim paruissent, Patauiũ transtulit: ex Florentia etiam Guelphos eiecit. Vxorem habuit

filiam regis Hierosolymitani, ex qua titulus regni perpetuo apud posteros Siciliæ reges manet. Circa hæc tempora Robertus D. Ludouici regis Francorum frater, Lutetiæ Sorbonam instituit. *Appendix S. Aurelij Villeru*

POst Federici mortem Imperio nullus annos XVIII. legitime sufficitur, dissidentibus inter se Germanorum principum sententiis. Succedens interea Conradus Federici filius populorum & ipse vexator Neapolim Campaniæ expugnauit ac diripuit. A[illegible] post annum deniq; à Manfredo veneno potionatus decessit, relicto Conradino filio, qui post Manfredum interfectum contra Guelfos in Italiam vocatus, ac cum maximo exercitu Romam ingressus, obuium habuit Henricum Regis Castellæ fratrem vrbis senatorem, cum omni nobilitate exceptus pro dignitate Imperatoria. Paulo post dimisso Romæ Guidone Feretrano ad bellum contra Carolum Siciliæ regem profectus, Clemete quarto Pontifice haud exitum ei felicem vaticinante, apud Beneuentum superatus, in Austriam profugit ignotus, vbi demum captus atq; securi percussus est, quod diuina factum est vltione. Is enim vxorem formosissimam Comitis Casertani eius fiduciarij Ducis adamarat: qua vti potiretur, eum honoris specie ablegauerat: ille facinore comperto, mœstus ac furibundus clam ad Carolum [illegible] sese exercitum illi proditurum [illegible] quod & fecit. vnde supradicta [illegible] calamitas. *Villaner. lib. 7.*

A.O.D.V.L-

RODVLPHVS I. HABS-PVRGENSIS.



ODVLPHVS ex Comitibus Alburgensibus, cuius genus postremo dicetur, lectus Imperator à Germanis in Concilio Lugduni à Gregorio X. celebrato. Cui redeunti fit obuiam in itinere apud Bellouacum Alfonsus rex Castellæ, questus se de Imperij successione posthabitum: tandem ipsius pontificis oratione delinitus est. Rodulphus vicarium quem in Hetruria misit,apud Miniatem oppidum iussit consistere. Hic Pisas rebelles,ac imperatam pecuniam dare recusantes vi expugnauit,ac ex magna ædificiorum parte. Lucenses item ac Florentinos bello vexauit, qui in perpetuum sese à seruitute pecunia redemerūt; alteri XII. alteri verò, Florētini, VI. aureorum nummorum millibus numeratis. Quam rem pontifex tunc Honorius III.vt pontificis Ro. finibus vtilem quidem probauit, indignam tamen Imperatori existimauit. Imperauit annis XIX. *Valaterranus lib.*23.

INterregnum à Friderici morte ad Rodulphū Habspurgensem per duodeuiginti años fuit, quo spatio Manfredus Friderici filius, & Corradinus regno Neapolitano pariter & vita a Gallis spoliati sunt. Interim Rodulphus ex Comite (vti nunc vocāt) Imperator declaratus Alphonso Castella posthabito, qui eam dignitatem ambierat, Othocarum Boëmiæ regem acie victum occidit. PseudoFridericum captum, qui se pro Friderico Iuniore Sueuis ostentabat,

Nouelli combussit. Ciuitates Hetruriæ libertate accepta pecunia donauit: quam rem Innocentius pontifex vt infamem, sibi tamen & Italiæ non inutilem magis non probauit, quàm prohibuit. Obiit autem Rodulphus XVIII. Imperii anno, & Spiræ sepelitur; in quo si auaritiam non accuses, cætera non reprehendas. Italiæ estu tum primum aliquid sibi polliceri potuit, Luchino Italici sanguinis vicario, nomine suo Mediolani præfecto: floruit huius Imperio Albertus cognomento Magnus. *Egnatius.*

RVdolphus Habspurgensis seu Habispurgensis à Friderici morte anno duodeuigesimo (tot enim interregni spatium fuit) Alphonso Castellæ posthabito Imperator eligitur. Lausannæ à Pontifice confirmatus. Othocarum Bohemiæ regem prælio victum occidit. Pseudofridericum, qui se in Sueuis erexerat, Nouelli combussit: Hetruriæ oppida præfecti virtute vi expugnauit. Cęterùm in Italiam nō est profectus, neq; coronam imperialem Romę de more maiorum accepit, solitus Æsopi fabulam recitare de vulpecula, quæ leonis ægrotantis legato respondit: Optare se vt Leo conualescat, idq; orataram superos. Cæterùm minime visuram hominem, terreri enim se vestigiis, omnibus leonis antro aduersis, & nullis auersis. Idq; indicium esse, multum quidem animalium intrasse, sed exisse nullum. Ad eundem modum apud se reputabat Rudolphus, maiores suos sępe magnis copiis ingressos Italiam, sed male acceptos plerunq; rediisse. Hic redacta sub ditione Austria, Albertum filium suum in ea ducem instituit, à quo originem trahunt Austriaci principes ad Carolum

Carolum Quintum vi[illegible], & Ferdinandum eius fratrem. Obiit V I I I, imperii anno. quo imperante Albertus cognomento Magnus [illegible]

Appendix Sexti Aurelij Victoris.

ATAVLPHVS seu ADOLPHVS Hassiæ seu Nassouiæ Comes.

ATAVLPHVM Hassiæ Comitem in Germania lectum post annos V I. quã imperare cœpisset, Albertus Rodulphi Cæsaris filius Austriæ Dux, in agro Spirensi prælio victum interfecit. *Volaterran. lib 23.*

DOnatus Imperij titulis hic primum in Columbarienses mouit: inde in Albertum Austriæ ducem dum bellum parat, quem proceres Germaniæ pertęsi Adolphi sordes & ambitionem, eo reiecto, Imperatorem declarant, ab eodem apud Vangionas prælio superatur & occiditur, cum annos octo rerum potitus esset. *Egnatius.*

ADolphus Comes de Nassau imperij titulis donatus, primum in Columbarienses mouit. Inde dum in Albertum Rudolphi Cæsaris filium, Austriæ ducem, bellum parat à Proceribus Germaniæ eius sordes ac ambitionem pertæsis imperio destituitur, in cuius locum cooptatur Albertus. Sed cum cedere imperio nollet Adolphus, armatis copiis contra eum profectus est Albertus. & infestis signis vtrinque pugnatum prope Vvormaciam. quo in conflictu periit Adolphus, anno imperij V I I I. *Appendix S. Aurelij Victoris.*

ALBERTVS I. E RO-
